<36602906230012

SUBSIDIA DIPLOMATICA AD SELECTA JURIS ECCLESIASTICI GERMANIAE ET HISTORIARUM CAPITA ELUCIDANDA

EX

ORIGINALIBUS ALIISQUE AUTHENTICIS DOCUMENTIS

CONGESTA, NOTIS ILLUSTRATA ET EDITA

a

STEPHANO ALEXANDRO WÜRDTWEIN.

Eminentiss. ac Celsiss. Archi Episcopi Princ. Elect. Moguntini Consiliario Eccles. Officiale &c. Insignis Ecclesiæ Colleg. B. M. V. ad Gradus Decano &c.

TOMUS OCTAVUS.




HEIDELBERGÆ,

SUMPTIBUS TOBIÆ GOEBHARDT,

BIBLIOPOLAE UNIVERSITATIS BAMBERGENSIS

MDCCLXXVI.



BENEVOLO LECTORI SALVTEM.

Ingenti deſiderio in hunc usque diem deſideravimus, cum altero hocce Tomo ſolis Germaniæ Concordatis deſtinato ſimul edere Hiſtoriam eorundem Diplomaticam, ſed his deſideriis nunc facere ſatis æque impoſſibile eſt ac ædes conſtruere & palatia, quin omne lignum omnisque lapis ad manus ſint.

Deeſſe autem quam plurima documenta, quæ vel ex profeſſo de Concordatis agunt vel iisdem egregie illuſtrandis adminiculari videntur, docet ſubjuncta Argumentorum ſeries, quam ſubminiſtravit Bibliotheca Vindobonenſis.

DESVNT AD ANNVM

1431.

Septembr. 17.

Joannis Card. S. Angeli ad Basiliense Concilium Pontificii legati literæ, in quibus Coloniensem universitatem ad idem Concilium invitat.

Init. Quum necessarium sit instanti tempore.

Cod. Can. 62. f. 13.

1431.

Eugenii Papæ Diploma quo juratos in conclavi cum aliis Cardinalibus Articulos confirmat.

Init. In qualibet Monarchia tam Ecclesiastica quam mundana.

Cod. Can. 68. f. 328.

1432.

Januarij 23.

Concilii Bas. Literæ quibus universitas Coloniensis ad Concilium citatur.

Init. Ex talento sapientiæ a divina providentia.

Cod. Can. 62. f. 14.

1432.

1432.
Januarij 5.

Narratio eorum, quæ nuntius vidit & audivit Pragæ cum Basiliensis concilii Litteras illuc pertulit.

Init. Præterea quia nuper ad placitum.
Cod. Can. 62. f. 76.

1432.
Januarij.

Quatuor propositiones factæ in publica congregatione sacri Concilii Basiliensis per ipsum Generale concilium unanimiter & concorditer, præsente illo Episcopo Veneto, qui portaverat Bullas dissolutionis Concilii.

Init. Primo fuit quod urgens necessitas.
Cod. Can. 62. f. 19.
vid. Lab. T. XVII. col. 446.

1432.
Januarij.

Universitatis Parisiensis literæ ad synodum Basiliensem, in quibus Patres hortatur, ut in incoepto permaneant & Papæ, si concilium dissolvere velit, resistant.

Init. Ad vestrarum dominationum harum serie perducimus.
Cod. Can. 62. f. 20. p. 2.

1432.

Tenor Capitulorum inter concilium Basil. & Civitatem Basileam conclusorum.

Init. Ut in civitate Basiliensi.

Cod. Can. 69. f. 141. & fol. 456. p. 2. adhuc exemplum in fine amplius est.

1432.

Dissertatio anonymi, in qua probatur, Julianum Cardinalem S. Angeli esse legitimum præsidem concilii Basiliensis.

Init. Quamvis utile sit de re magna disputare.

Cod. Can. 69. f. 52. p. 2.

1432. ut videtur.

Epistola Cardinalis S. Eustachii ad Julianum Cardinalem S. Angeli. Nimiam lenitatem & lentitudinem synodi carpit.

Init. Excepi literas sacri Concilii & V. R. P.

Cod. Can. 69. f. 63. & Cod. Can. 115. f. 34.

1432.
Novembris 26.

Conradi Moguntini Archiepiscopi S. R. I. septem viri literæ ad synodum Basiliensem. Afflictam valetudinem caussatur, quo minus ipse synodo interesse possit,

&

& narrat ſe interea legatos ſuos ad eam miſiſſe.
Init. Literas veſtras Bulla veſtra plumbea.
Cod. Can. 69. f. 64.

1432.
Novembris 24.

Libellus ſupplex Pontifici oblatus nomine Theodorici Archiepiſcopi Colonienſis, Rectoris aliorumque Univerſitatis Colonienſis Doctorum, ut liceat eis eligere confeſſarium, qui poſſit eos a caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvere; item rogant pro indulgentia in Articulo mortis.
Init. Supplicat veſtræ ſanctitati devota.
Cod. Can. 62. f. 14. p. 2.

1432.

Formula ſupplicis libelli ut confeſſario per Oratores eligendo poteſtas plena fiat abſolvendi viros quosdam religioſos.
Init. Pro Parte E. & E. oratorum.
Cod. Can. 69. f. 64. p. 2.

Juliani Cardinalis S. Angeli literæ, quibus poteſtatem facit eligendi confeſſarium juxta formulam præcedentis ſupplicis libelli.
Init. Benigne ſunt nobis illa concedenda.
Cod. Can. 69. f. 70. p. 2.

1432. ut videtur.

Anonymi breve ſcriptum, in quo oſtenditur non eſſe neceſſariam ſententiam ſuper contumacia ad hoc ut ad ſuſpenſionem Eugenii procedi poſſit.

Init. Vidi cedulam Paternitatis veſtræ & allegata.

Cod. Can. 69. f. 68.

1432.

Auguſti 20.

Archiepiſcopi Lugdunenſis Epiſtola ad Concilium Baſilienſe. Poſt Breve tempus ſe cum aliis prælatis ad ſynodum venturum ſcribit.

Init. Jubent me V. R. P. ad concilium accedere.

Cod. Can. 69. f. 163. p. 2.

1432.

Maij 15.

Salvus conductus a Concilio Baſilienſi conceſſus electo, nobilibus, & clero Trevirenſi.

Init. Quia pro diſſenſione ſeu discordia.

Cod. Can. 69. f. 169.

1432.

Formula teſtimonii de collato cuidam Wilhelmo Friſingenſis Diœceſis clerico ſubdiaconatus ordine.

Init. Nos Jo. Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus &c.

Cod. Can. 69. f. 169. p. 2.

1432.
Auguſti 30.

Litera miſſa per quemdam Prædicatorem Pragenſem & inter alios magis reputatum, Priori Prædicatorum Baſileæ & Magiſtro Heinrico Tocke Sac. Theol. Profeſſori, & fuerunt etiam pro parte ſacri concilii in tractatu cum Bohemis in Egra habito. Hortatur ut ſalvus conductus pro Boemis celeriter expediatur, & hoſpitia honeſta parentur.

Init. Literas Concilii Baſilienſis ſalvi conductus.

Cod. Can. 69. f. 170.

1432.
Maij 10.

Synodi Baſilienſis literæ, ad Regnum Angliæ. Hortatur populum Angliæ, ut operam ſuam cum Legatis a ſynodo mittendis conferat ad pacem inter Reges Angliæ & Galliæ conciliandam.

 Init.

Init. Mediator Dei & hominum Redemptor.
Cod. Can. 69. f. 168. & f. 398. p. 2.

Eodem pæne Exemplo missa fuit ad Regnum Franciæ quam edidit Mansi. T. IV. col. 304.

1432.

Septembris 21.

Epistola credentialis ad synodum Basiliensem a Baronibus regni Boemiæ & Marchionatus Moraviæ pro Nicolao de Humpeletz Notario majoris civitatis Pragensis & Joanne de Zacz legatis ad synodum.

Init. Egregios ac spectabiles viros.
Cod. Can. 69. f. 171. p. 2.

1432.

Julij 25.

Procuratorium missum ad Concilium Basiliense per Cardinales quinque in forma legali, quibus cum non integrum esset ad Concilium accedere, procuratores suos in eodem concilio constituerunt Brandam Episcopum Porsuensem. Placentinum vulgariter nuncupatum &c.

Init. Tenore præsentis publici. quod anno a nativitate domini 1432. Indict. X. die vero XXV. Mensis Julii.
Cod. Can. 69. f. 173. p. 2.

1432.

1432.

Julij 27.

Humfridi Comitis Glocestriæ literæ ad synodum Basileensem. Oratores synodi relaturos cur serius ad promovendum concilii opus adgressus fuerit, cum exhortatione ad patres.

Init. Me pridem vestræ, quos mihi per R. in Xto P.

Cod. Can. 69. f. 175. p. 2.

1432.

Augusti 23.

Academiæ Avenionensis Litteræ ad synodum Basileensen. Mittunt ad eam legatos Petrum Somardi decretorum Doctorem &c.

Init. Mittimus ad vos & vestram sanctam.

Cod. Can. 69. f. 176. p. 2.

1432.

Lentuli & Pilati Epistolæ suppositítiæ de Christo.

Init. Apparuit temporibus istis.

Cod. Can. 69. f. 177. p. 2.

1432.

Bartholomæi Vellatis Vice comitis Episcopi Navariensis Oratio edita & habita per eum

apud

apud Regem Galliæ Oratoris Concilii & Legati munere fungentem.

Init. Dudum majores noſtri ſereniſſime Princeps.

Cod. Can. 69. f. 342. p. 2.

Relatio Novarienſis poſt obitam legationem in Concilio.

Init. Niſi veſtra auctoritas.

Cod. Can. 69. f. 347. p. 2.

1432. ut videtur.

Baſilienſis ſynodi ad Joannem Archiepiſcopum Salzburgenſem. Petit ut citationem ad videndum declarari in excommunicationem ſe incidiſſe eo quod ad Concilium ſæpe moniti non venerint quibusdam provinciæ ſuæ Epiſcopis & Abbatibus S. Lamberti, ſignificare curet.

Init. Quia non nulli veſtræ provinciæ.

Cod. Can. 69. f. 377. p. 2.

1432. ut videtur.

Concilii Baſilienſis litteræ ad omnes fideles ut ab hæreticis caveant, & ſi qua eorum ſcripta ad manus ipſorum pervenerint, clauſa ad ſynodum mittant.

Init. Veritatis Magiſter imo ipſa æterna.

Cod. Can. 69. f. 378. & Cod. Th. 589. f. 48. p. 2.

1432.

1432. ut videtur.

Joannes abbas neſcio cujus inſtituti & loci conſtituit duos Monachos Coenobii ſui procuratores in Concilio Baſileenſi.

Init. Joannes permiſſione divina humilis Abbas.

Cod. Can. 69. f. 379.

1432.
Januarii 26.

Amadei Ducis Sabaudiæ litteræ ad ſynodum Baſileenſem. Laudato Patrum ſtudio hortatur eos, ut cum Roman. Rege agant ad hoc, ut concilium promoveat, quam in rem & ille operam ſuam pollicetur.

Init. Ex literis per Reverendiſſimas circumſpectiones.

Cod. Can. 69. f. 381. p. 2.

1432.
Januarii 23.

Synodi Baſilienſis Epiſtola ad Epiſcopum Auguſtanum. Vocat eum rurſus una cum aliis diœceſis prælatis ad Concilium.

Init. Mirari ſatis non ſufficimus.

Cod. Can. 69. f. 383.

Eandem Epiſtolam Noviomenſi Epiſcopo inſcriptam edidit Manſius. ſuppl. T. IV. c. 245.

245. vide quæ ad notat in fine ejusdem Epiſtolæ.

1432.

Martij 18.

Philippi Ducis Burgundiæ litteræ ad ſynodum Baſilienſem. Certiorem facit ſynodum de actis & ſermonibus habitis cum Philiberto de Rupe conſiliario & Legato Ducis Sabaudiæ, cujus in ſynodum ſtudium ſe æmulari ſcribit.

Init. Paulo poſt receſſum oratorum veſtrorum.

Cod. Can. 69. f. 385. p. 2.

1432. ut videtur.

Anonymi exhortatio ad ſynodum.

Init. Ad pacis & concordiæ ſtudia.

Cod. Can. 69. f. 387. p. 2.

1432.

Auguſti 24.

Alfonſi Card. S. Euſtachii epiſtola ad ſynodum, ad quam mittit Patriarcham Antiochenum, Epiſcopos Uticenſem, Gadicenſem & Cavallicenſem P. Somardi Decretorum Doctorem, primicerium Academiae Avenionenſis & alios religioſos viros.

Init.

Init. Cupiens ſummo animi deſiderio.

Cod. Can. 69. f. 392. p. 2.

1432. ut videtur.

N. Epiſcopi Baſilienſis mandatum, ut Henricus Mengher executor indulgentiarum ſynodi Baſilienſis pro unione Græcorum admittatur ad eas publicandas in cunctis ejusdem diœceſeos eccleſiis.

Init. N. Dei ac Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Baſilienſis.

Cod. Can. 69. f. 393. p. 2.

1432. ut videtur.

Reſponſum juridicum in cauſa Salzburgenſi in quo probatur non eſſe dandam remiſſoriam cauſa probandæ conſvetudinis, quando ea eſt irrationabilis ac potius corruptela.

Init. Certum eſt quod remiſſio dari non debet.

Cod. Can. 69. f. 394.

1432. Martij 21.

Synodi Baſilienſis literæ ad Philippum Ducem Burgundiæ, quem ad pacem cum Galliæ Rege ſanciendam hortatur.

Init. Inter mortales nil profecto dulcius.

Cod. Can. 69. f. 399. p. 2.

1432.

1432. ut videtur.

Synodi Basiliensis literæ ad Regem Galliæ, apud quem queruntur de immoderato quorundam Gallorum animo in Concilio, qui Romanæ curiæ vitia emendare volentes, ipsam Ecclesiam perditum eunt, potestate omni quoad beneficia Pontifici ademta.

Init. S. i. r. e. . . . veteres eam ingentibus erumnis.

Cod. Can. 69. f. 400. p. 2.

1432. ut videtur.

L. Thermidæ epistola ad Nicolaum Albergatum Archiepiscopum Bononiensem S. R. E. Cardinalem nuper renuntiatum.

Init. Ridendus forsan videri tibi possem.

Cod. Can. 69. f. 401. p. 2.

1432. ut videtur.

Ejusdem L. Thermidæ Epistola ad medicum quendam Patavinum, a quo consilium & remedium petit ad sistendam gonorrheam.

Init. Non quia dulcissimæ consvetudinis.

Cod. Can. 69. f. 402. p. 2.

1432. ut videtur.

Capitulum excerptum ex summa vitiorum Magistri Parisiensis de consuetudinibus

Morum

Morum Ecclesiarum quæ solum nobiles in canonicos recipiunt.

Init. Ostenso quod nobilitas carnis.

Cod. Can. 69. f. 403.

1432.

Februarij ultima.

Mandatum factum Romæ Cardinalibus Cortesanis nomine Eugenii Papæ de non exeundo urbem.

Init. Ex parte sanctissimi in X[to] patris.

Cod. Can. 88. f. 5. p. 2.

1432. ut videtur.

Synodi Basiliensis Bulla missa Metropolitanis & aliis eorum suffraganeis ad exigendam etiam ab exemptis collectam ipsis impositam.

Cod. Can. 88. f. 6. p. 2.

1432. ut videtur.

Eberardi (alii Gerardi) Landriani Episcopi Laudensis oratoris sacri concilii oratiuncula ad plenam & notabilem universitatem Coloniensem.

Init. Non eo nunc animo hæc a nobis.

Cod. Can. 69. f. 313. & Cod. Can. 115. f. 23. p. 2.

1432. Junij 28.

M. Henrici Toke S. Theologiæ professoris & Canonici Magdeburgensis oratio ad Boemos nomine legatorum concilii Basiliensis eos ad id concilium vocantium.

Init. Duo sunt hic principaliter peragenda.
Cod. Can. 115. f. 29. p. 2. & Cod. Th. CCIV. num. XV. 1. c. f. 110. ubi annus.

1432.

Epistola Regis Francorum ad Bohemos in Concilio Basiliensi existentes.

Init. Urget nos fratres sincere dilecti pietas.
Cod. Can. 115. f. 171. p. 2.

1432. Octobris 18.

Instructiones pro fratre Petro Canonico Regulari nomine Basiliensis concilii, ituro ad serenissimum Principem Regem Romanorum.

Init. Post salutationem explicabis sue serenitati.
Cod. Can. 115. f. 180. p. 2.

1432. ut videtur.

Sermo prioris sancti Benigni ord. S. Benedicti Cluniacensis de auctoritate & potestate concilii.

Init.

Init. Quia ſecundum Hilarium.
Cod. Can. 115. f. 183.

1432.
Octobris 27.

Copia litteræ vocationis ad concilium Baſilienſe Epiſcopis ac principibus.
Init. Inter cunctas &c.
Cod. Can. 115. f. 201.

Copia alia ad Principes univerſos.
Init. Inter cunctas &c. Dat. ut ſupra 1432.
Cod. eod. f. 201. p. 2.

1431. Martij ultima.

Adnotationes Hiſtoricæ de occaſione initio & progreſſu concilii Baſilienſis.
Cod. Th. 482. f. 353. p. 1. & 2.

1432. ut videtur.

Formula teſtimonii iis dandi, qui pecuniam pro indulgentiis a concilio Baſilienſi conceſſio ſolverunt. item abſolutionis formula, qua uti debet confeſſarius.
Cod. Th. 253. f. 288.

1432. ut videtur.

Reſponſio data a legatis concilii Baſilienſis ad articulos Bohemorum.
Init. Quantum ad Articulum de prædicatione verbi Dei.
Cod. Th. 261. f. 428. p. 2.

1432.

Modus obſervandus in ſeſſionibus conciliorum generalium practicatus & obſervatus in Concilia Conſtantienſi.

Init. Primo in loco ubi tenetur ſeſſio.

Cod. Can. 88. f. 50.
Cod. Can. 69. f. 155.

1432.

Bulla, ut nullus in curia Romana ad Epiſcopatus vel alias prælaturas promotus recipiatur, niſi ea de re litteras edat.

Init. Injuncta nobis debitum ſervitutis.

Cod. Can. 69. f. 156.

1432.

Alia Bulla ut nulla Provincia civitas, caſtrum villa &c. obtentu æris alieni Eccleſiaſtico ſupponatur interdicto.

Init. Provide attendentes quod ut.

Cod. Can. 69. f. 156. p. 2.

1432.

Alia Bulla, qua prohibetur, ne cadavera eorum præſertim, qui peregre moriuntur exenterentur & in partes ſcindantur, atque oſſa alio tumulanda mittantur, ſed in loco ubi mors contigit, aut alio vicino interea ſepeliantur, donec ad locum ubi ſepulturam elegerint deportentur.

Init.

Init. Deteſtandæ fœditatis abuſum.
Cod. Can. 69. f. 156. p. 2. ibid.

1432.

Decretum Excommunicationis Pontifici reſervata in eos, qui pacti fuerint, vel acceperint dederintve pro aliqua juſtitia ſive gratia pro ſe aut pro alio in judiciis, ſeu alias per litteras apoſtolicas & quibuscumque modis apud ſedem Apoſtolicam obtinenda.

Init. Excommunicamus & anathamatizamus.
Cod. Can. 69. f. 157.

1432.

Bulla Benedicti Papæ qua decernitur eos qui litteras in forma pauperum a ſede Apoſtolica obtinuerint non admittantur ad Beneficia quæ eum valorem excedunt.

Init. Ad providam circumſpectionem.
Cod. Can. 69. f. 157. p. 2.

1432. Maij 18.

Articuli de quibus inter Baſilienſis concilii legatos & Boemos convenit Egræ; item formula ſalvi Conductus a concilio dati.

Init. Dabitur ambaſiatoribus & nuntiis.
Cod. Th. 477. f. 225.

Salvi Conductus. Init. *Recognoscimus tenore praesentium universis.*

1432.

Oratio Polemarii apud Hussitas habita sed initio mutila.

Cod. Th. 477. f. 263.

Vide Cochlaei Hist. Hussit. p. 260. 261.

1432.

Quatuor Articuli Boemorum declarati.

Init. Communio divinissimae Eucharistiae.

Cod. Th. 477. f. 266. p. 2.

1432.

Januarii 26.

Basiliensis synodi ad Leonardum Episcopum Pataviensem litterae, quibus eum ad Concilium invitat.

Init. Mirari satis non sufficimus.

Cod. Th. 589. f. 47. p. 2.

Exstat apud Lab. T. XVII. C. 245. sed Episcopo Noviomensi inscripta.

1432. ut videtur.

Tractatus apologeticus pro concilio Basiliensi, in quo autor cujus nomen ibi non adponitur, sententiam adversus Eugenium latam tuetur & contendit nemini inte-

integrum esse abjicere obedientiam erga Basiliensem synodum, aut neutram in partem inclinare.

Init. Ex supradicto Capitulo non nulli dicunt fundari.

Cod. Th. 253. f. 126.

1432. Martij 8.

Eugenii Papæ IV. Diploma, in quo privilegia curialium continentur.

Init. Divina in eminentis sedis apostolicæ specula.

Cod. Hist. Eccl. 127. f. 64.

1432. ut videtur.

Anonymi Epistola ex concilio Basiliensi Joanni de Rokizana occulte scripta, qua illi non nullas auctoritates de communione sub utraque specie significat.

Init. Mitto vobis certas.

Cod. Hist. Prof. 1083. f. 52.

1432. f.

Dissertatio, in qua probatur licitam esse Boemorum vocationem ad synodum Basiliensem, non obstantibus legibus, quæ disputationes de fide vetant. auctore non indicato.

Init. Sacrum Generale concilium.

Cod. Can. 69. f. 317. p. 2.

1432.
Junij 5ta.

Epiſtola miſſa per Julianum legatum in Germania D. Eugenio Papæ de loco concilii Baſilienſis.

Init. Jam nunc univerſus cognoſcit orbis.

Cod. Can. 68. f. 177. p. 2. & Cod. Can. 115. f. 153. p. 2.

Exſtat in Orthuini Gratii Fasciculo rer. expet. a fol. 32. edit. 1535.

1432. Jan. 13.

Juliani legati Epiſtola ad Eugenium.

Init. Multa me cogunt libere & intrepide.

Cod. Can. 115. f. 160.

In Orthuini Gratii Fasciculo rer. expet. a fol. 27. edit. A. 1535.

1432. f.

Legatorum Galliæ Regis ad Imperatorem litteræ ad Boemos, quos ad concordiam hortantur, & a novitate doctrinæ avocant.

Init. Quamquam in fidei cauſa.

Cod. Can. 62. f. 57. p. 2.

1433. Aprilis 13.

Literæ credentiales ut vocant a ſynodo Baſilienſi datæ legatis ad Boemos.

Init.

Init. Quanto charitatis ardore.
Cod. Th. 477. f. 268. p. 2.

1433.

Propoſitiones legatorum Baſilienſis concilii ad Boemos & Boemorum reſponſiones.
Init. Secundum ea, quæ in Baſilea.
Cod. Th. 477. f. 269.

1433.

Sermo ex parte Ambaſiatorum Concilii ad Boemos per Dominum Auditorem.
Init. Verba hæc, quæ pro exordio.
Cod. Th. 477. f. 229.

1433.

Alia propoſitio legatorum Boemis facta.
Init. Salvator noſter Dominus Jeſus.
Cod. Th. 477. f. 277.

1433.

ReſponſumBaronum, militum clientum, civitatum regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ.
Init. Cum duo commendata per.
Cod. Th. 477. f. 282.

1432.
Maij 7.

Arenga M. Laurentii ex parte univerſitatis Pragenſis in viſitando Ambaſiatores concilii, qui venerunt Pragam feria VI. (ſic.

 ſed

ſed videtur poſitum pro IV.) in die Stanislai A. 33 quos viſitavit univerſitas, feria 4. poſt eorum adventum cum quibusdam munusculis.

Init. Libet profecto & expedire dinoscitur.
Cod. Th. 477. f. 287.

1433.
Julij 4.

Propoſitio facta feria V. poſt ſolemnitatem Pentecoſtes coram clero Pragenſi, quæ fuit 4. Julij Anno 1433. quando oratores ſacri Concilii ipſum clerum viſitarunt.

Init. Quoniam non poteſt oblivisci mater filiorum.
Cod. Th. 477. f. 288.

1433.

Sermo Boemorum nomine ad legatos concilii habitus.

Init. Superne oculos meos attollens.
Cod. Th. 477. f. 291. p. 2.

1433.
Septembr. 10.

Eduardi Portugalliæ & Algarbiæ Regis Literæ ad ſynodum Baſilienſem cui negotium ſaciendæ inter Gallos & Anglos pacis ſtudioſe commendat.

Init.

Init. Grande desiderium vehemensque cogitatio.

Cod. Th. 253. f. 321. p. 2.

1433.

Joannis de Ragusio Alia Oratio ejusdem argumenti, sive de communione sub utraque specie & de communione puerorum in qua respondet ad replicas M. Joannis de Rokuzana.

Init. Ad Replicas Magistri Joannis de Rokisana.

Cod. Can. 89. f. 133.
vide Gentil.

1433.

Initium Tractatus cujusdam de communione sub utraque adversus primum Articulum Boemorum sine nomine auctoris.

Init. Quarundam religiosarum personarum.

Init. Locuturus de divinissimo Evcharistiæ sacramento, opus ipsum.

Cod. Can. 89. f. 211.

1433.

H. de Campo Epistola ad universitatem Coloniensem ut opinor, cui mittit Bullam Eugenii qua irritabat translationem Basiliensis concilii.

Init.

Init. Jam dudum ante aliquot dies.
Cod. Can. 62. f. 86. ibid.

1433. ut videtur.

Formula libelli nomine cujusdam Friderici Ecclesiæ cujusdam cathedralis Canonici oblati Alberto Varentrap Cantori Leodiensi, judici causarum concilii Basiliensis & commissario.
Cod. Can. 69. f. 71.

1433.
Martij 17.

Littera Universitatis Parisiensis directa super condemnatione propositionis M. Johannis Parvi.
Init. Veritas præsertim nostræ fidei.
Cod. Can. 69. f. 72.

1433. ut videtur.

Formula Cessionis liti, & formula acceptationis hinc inde.
Cod. Can. 69. f. 72. p. 2.

1433.
Novemb. ult.

Compactata & concordata legatorum sacri Basiliensis concilii cum Bohemis super quatuor Articulis.
Cod. Can. 69. f. 433.

Alia

Alia Compactata & concordata in Egra, seu declarationes novæ. ibid. f. 444.

1433. ut videtur.

Causæ, quare prætensa decreta nuper in Basilea edita sunt nulla iniqua & exorbitantia.

Cod. Can. 88. f. 2.

1433.

Collatio facta in die sanctæ Trinitatis per M. Henricum Kaldeysen Ambasiatorem Domini Moguntinensis Doctorem in Theologia.

Init. Quia tu fili carissime.

Cod. Can. 115. f. 38.

1433. ut videtur.

Collatio facta per M. Joannem Polmair (de Palamar) sacri Palatii Apostolici Auditorem ipso die S. Michaelis.

Init. In hac sacratissima celebritate.

Cod. Can. 115. f. 44. p. 2.

1433. ut videtur.

Collatio Venerabilis M. Henrici Kaldeysen ord. Prædicat. facta in exequiis M. Michaelis (Pastoris Pragensis) procuratoris de causis fidei.

Init. Cum sacri Canones juxta veritatem.

Cod. Can. 115. f. 49.

1433.

1433. ut videtur.

Sermo de S. Hieronymo ſine auctoris nomine.

Init. Si quis veſtrum me forte miratur.

Cod. Can. 115. f. 53. p. 2.

1433. ut videtur.

Collatio quæſtionis, utrum liceat Eccleſiam bonis ſive rebus temporalibus abundare; ſine autoris nomine.

Init. Noverint experientiæ veſtræ.

Cod. Can. 115. f. 253. p. 2.

1433.

Oppoſitiones collectæ ex his quæ per Reverendiſſimum D. legatum plurimum egregie & per alios dominos prælatos, & Magiſtros dicta fuerunt, & ſolutiones ad ipſa ſuper articulos Bohemorum præſertim quarto per modum dialogi opponentis & reſpondentis.

Init. Ne fruſtra occupemus tempus.

Cod. Can. 115. f. 301.

1433. ut videtur.

Cauſæ, quæ Regiam majeſtatem non tantum habent movere ad ſtandum principaliter in Senis, & non concilium accedere, imo & neceſſitare pro bono ſtatu univerſalis eccleſiæ Romanæque ſimiliter ſacri Con-

ciiii

cilii ac Imperii & deinceps pro eſtimatione & honoris ſui præſervatione.

Init. Si majeſtas ſua Regia.

Cod. Can. 115. f. 309. p. 2.

1433.

Legati Regis Luſitaniæ oratio in ſynodo Baſilienſi habita.

Init. Plato graviſſimus ſtoicæ.

Cod. Th. 253. f. 305.

1433. f.

Oratio ſine nomine auctoris, qui videtur eſſe legatus Ducis Mediolanenſis in ſynodo Baſilienſi habita in qua ſuadetur, ut Patres Papiam commigrent cum de loco ob adventum græcorum mutando delibe-raretur.

Init. Magnæ ſæpe res atque arduæ.

Cod. Th. 253. f. 308. p. 2.

1434.

Epiſtola ad univerſitatem Colonienſem ſine nomine ſcribentis qui ei mittit exemplum cujusdam ſynodalis decreti ſeſſ. XVII. ut reor, præſente Imperatore Sigismundo editi, & ſignificat vidiſſe ſe litteras Generalis ord. Min. olim concilii Baſilienſis capitalis adverſarii, pollicentis ſe intra 15. dies in concilio ad futurum item concilii

lega-

legatos in die S. Martini *Tractatum dietæ publicæ* habuisse cum Rege Boemiæ.

Init. Mitto vobis copiam decreti.

Cod. Can. 62. f. 93.

1434.

Februarii 15.

Dissertatio sine nomine auctoris. Utrum præsidentes in Bulla Eugenii quarti nominati debeant seu possint admitti illarum vigore salvis auctoritate & libertate Generalium Conciliorum specialiter Constantiensis & Basiliensis & præeminentia potestatis, quæ in Ecclesia residet supra cunctos fideles.

Init. In sacro Generali Basiliensi concilio.

Cod. Can. 68. f. 36. &
Cod. Can. 73. f. 37.

1434. ut videtur.

Epitome sive brevis historica narratio Conciliorum Generalium a Nicæno usque ad Vienense sub Clemente quinto.

Init. De sacrosanctis synodis seu conciliis.

Cod. Can. 68. f. 58.

1434. ut videtur.

Opusculum de sanctitate & potestate Ecclesiæ atque auctoritate Generalium conciliorum.

Init.

Init. Apud ſapientes in deciſione.
Cod. Can. 68. f. 70.

1434.
Maij 17.

Decretum ſeu Privilegium incorporatis Concilio a ſynodo conceſſum.
Init. Attendens circa ſtatum & commodum.
Cod. Can. 69. f. 414.

1434. ut videtur.

Reſponſum ad quinque Dubia occaſione cap. *Frequens* concilii Conſtantienſis in Baſilienſi exorta.
Init. Cum per capitulum *frequens*.
Cod. Can. 73. f. 64. p. 2.

1434. ut videtur.

Thomæ de Birago ſacri conſiſtorii Advocati opuſculum de auctoritate & poteſtate concilii univerſalis, in quo pro papa adverſus concilium concludit.
Init. Requiſitis a me ut de auctoritate.
Cod. Can. 73. f. 72.

1434. ut videtur.

Joannis Archidiaconi Tiraſenſis Tractatus pro Eugenio Papa IV. adverſus concilium Baſilienſe.
Init. Quia frequenter audio.
Cod. Can. 73. f. 306.

1434.

Prioris S[ti] Benigni ord. S. Benedicti Cluniacensis sermo de Dominica sexagesimæ.

Init. Ut semine gratiæ Dei.

Cod. Can. 111. f. 192.

1434.

Februarij 15.

Dissertatio, utrum legati ab Eugenio IV. missi ad concilium Basiliense admitti possint salva auctoritate & libertate conciliorum Generalium specialiter Constantiensis.

Init. In sacro Generali Basiliensi concilio die Lunæ XV. Febr.

Cod. Th. 195. f. 187. p. 2.

Respondetur negative conf. sess. XVII.

1434. f.

Errores Græcorum.

Init. Ab ipsa Majestate divina negant tertiam.

Cod. Th. 195. f. 209. p. 2.

1434. f.

Errores Græcorum per Andream Hispanum Megarensem Episcopum collecti.

Init. Noverint cuncti christiani.

Cod. Th. 205. f. 25. p. 2.

1434.

1434. f.

Opuſculum de proceſſione Spiritus ſancti a patre & filio contra græcos, ſine auctoris nomine.

Init. Recuſant Græci confiteri.

Cod. Th. 205. f. 26. p. 2.

1434. f.

Diſputatio de poteſtate Papæ & concilii Generalis, ſine nomine auctoris, qui concilium ſupra papam ſtatuit.

Init. Utrum Pontifex ſummus pro hujus quodlibeti deciſione.

Cod. Th. 636. f. 1.

1434. f.v 38.

Opuſculum conſtans XVI. articulis, in quo defenditur Papæ poteſtas ſupra totam Eccleſiam ſimul & collective ſumptam ſine deſignatione auctoris.

Init. Pro juſtitia agonizare. Quemadmodum de officiis.

Cod. Th. 636. f. 28.

1434. f.v 38.

Tractatus ſeu conſiderationes de poteſtate concilii ſupra papam ſcriptus occaſione concilii Baſilienſis.

Init. Conſideratio prima ſanctæ Eccleſiæ univerſali.

Cod. Th. 636. f. 38.

 1434.

1434. f.v. 38.

S. Joannis Chryſoſtomi homilia de adventu Spiritus ſancti in ordine XVII. & bene facit pro auctoritate Eccleſiæ.

Init. Multi quidem fluctus & immanes.

Cod. Th. 636. f. 93.

1434. f.v. 38.

Ludovici Pontani Romani non a Patria, ſed quod majorem ætatis ſuæ partem Romæ exegerit, Protonotarii Apoſtolici Baſileæ A° 1439. defuncti (vide hic Gentilot.) diſſertatio de poteſtate Eccleſiæ univerſalis ſupra papam.

Init. Omnipotentis Dei poſtulato ſuffragio. Beatiſſimus Papa ſextus.

Cod. Th. 636. f. 95. p. 2.

1434. f.v. 1438.

Teſtimonia conciliorum & SS. PP. pro auctoritate Eccleſiæ ſupra papam.

Init. Ad oſtendendum quod Concilium.

Cod. Th. 636. f. 97. p. 2.

1434.
Maij 1.

Articuli ſynodi Generalis cleri Regni Bohemiæ aö D. 1434. in feſto Sti Jacobi Apoſtoli in civitate inclyta Pragenſi celebratæ.

Init.

Init. In primis pio & fideli corde.
Cod. Th. 944. f. 1.

1434.

Formula & norma eligendi Episcopum Albiensem durante synodi Bas. confecta.
Init. Noverint universi quod.
Cod. Can. 68. f. 1.

1434. f.

Caroli VII. Galliæ Regis litteræ ad synodum Basiliensem pro Abbate & conventu insignis monasterii de Sellis ord. S. Augustini Bituricensis Diæcesis & Vicario parochiali perpetuo ejusdem loci, contra frates eremitanos ord. S. Augustini, qui obtendentes Bullam Eugenii IV. in memorato loco coenobium exstruere volebant. Perstringit Rex in hac Epistola quorundam mendicantium perversos mores, eorumque multiplicationem reprehendit.
Init. Regnans in Excelsis Rex.
Cod. Can. 69. f. 2.

1434. f.

Formulæ aliæ ad electionem Episcopi Albiensis pertinentes. Legitur in iis Nomen

Bernardi de Goffiliaco ejusdem Ecclesiæ Præpositi.

Init. Cod. Can. 69. f. 3.

1435.

Augusti 13.

Eugenii Papæ IV. Literæ ad synodum Basiliensem per Legatos redeuntes missæ, in quibus synodum ad ea, quæ ipsi coram exponent, rejicit.

Init. Venientes ad Nos dilecti filii.

Cod. Th. 253. f. 295.

Collegii Cardinalium literæ ad eandem synodum ejusdem argumenti. dat. 17. Aug.

Init. Per manus egregiorum nuntiorum.

ibidem.

Cardinalis S. Petri litteræ ad synodum Basil. Ejusd. argum. dat. 16 Aug.

Init. R. P. Litteras per egregios ibid.

1435. Junij 9.

Decreta concilii Basiliensis in sess. XXI. habita.

Cod. Th. 294. f. 65. p. 2.

1435. Septembr. 21.

Mandatum Ordinum Regni Boemiæ & Marchionatus Moraviæ datum Wenceslao de Drachow &c. ad sistendum se Philiberto Episcopo Constantiensi.

Init.

Init. Nos Affo de Rizenburg.
Cod. Th. 482. f. 171. p. 2.
Exſtat apud Leibnit. Cod. Dipl.

1435. f.

Tractatus compulatus per M. Joannem de Rokyzano contra ſex propoſitiones frivolas ipſorum Doctorum Apoſtatarum.
Init. Quia prima Joannis V.
Cod. Th. 482. f. 293.

1435.

Decretum in ſeſſ. XX. a. 1435. in concilio Baſilienſi.
Init. Ad evitanda.
Cod. Hiſt. Prof. 805. fol. ult.

1436. Martij 4.

Synodi Baſilienſis mandatum datum Philiberto Epiſcopo Conſtantienſi Joanni de Polemar, Martino Beruerii & Thomæ de Haſelbach ad agendum & tranſigendum cum Boemis.
Init. Cum vos ad inclitum regnum Boemiæ.
Cod. Can. 477. f. 224. & f. 228. p. 2.

1436. Martij 11.

Eugenii Papæ Literæ ad ordines Regni Boemiæ, Pragenſem aliasque civitates, in

quibus commendat Imperatorem suumque in Boemos amorem declarat.

Init. Gratus Nuntius.

Cod. Th. 482. f. 348. p. 2. vid. Gentil.

1436.

Octobr. 2.

M. Pauli Ghenghen Artium Magistri & Baccalaurei formati in Theologia Declaratio ad universitatem Coloniensem facta sermonis habiti in synodo postridie Remigii A. 1436.

Init. Anno Domini 1436. in vigilia.

Dec. In. Intellexi quod hesterna Die.

Cod. Can. 67. f. 23.

1436.

Decemb. 4.

Fragmentum actorum concilii Basiliensis a die 4 Decembris anno 1436. usque ad Diem 7. Mensis Maij anni 1437. quod fragmentum complectitur seriem contentionis inter Patres de loco eligendo pro futuro concilio cum Græcis quemadmodum duo contraria decreta per seditionem edita; ac testimonia, quæ ad probandam furtivam plumbationem decreti de Florentia & Utino dicta fuerunt. Accedit formula ipsius decreti de Florentia & Utino.

Cod. Can. 62. f. 170.

1436.

1436.

Quæſtio diſputata per Henricum Tacke in concilio de poteſtate & ſuperioritate Papæ & Eccleſiæ.

Init. Quæritur an Eccleſia catholica militans.

Cod. Can. 68. f. 114.

1436. f.

Quæſtio an a concilio Baſilienſi opponi poſſit Decretum irritans etiam adverſus Pontificem in collationibus Beneficiorum & proviſionibus Eccleſiarum cathedralium auctore non deſignato.

Init. Ad Laudem gloriam & honorem.

Cod. Can. 68. f. 174. &

Cod. Can. 69. f. 330. p. 2.

1436. f.

Diſſertatio an a Concilio Baſilienſi opponi poſſit decretum irritans etiam contra Papam in collationibus Beneficiorum & in proviſionibus Eccleſiarum cathedralium, ſine autoris nomine.

Init. Videtur valde deliberandum.

Cod. Can. 69. f. 325. p. 2.

1436. f.

Anonymi ſcriptum in quo oſtenditur Avenionem comprehendi in urbibus nomina-

tis pro agendo concilio cum Græcis in decret. ſeſſ. XIX. conc. Baſ.

Init. Non eſt dubium quin civitas Avenionenſis.

Cod. Can. 68. f. 187.

1436. f.

Variæ opiniones deputatorum circa gratias expectativas.

Init. Quibusdam videtur quod non penitus.

Cod. Can. 68. f. 188.

1436. f.

Alexandri Abbatis Verziliacenſis ord. S. Benedicti Decretorum Doctoris & a ſacra Baſilienſi ſynodo ad executionem indulgentiarum pro Reductione Græcorum ad fidem Commiſſarii ſpecialiter deputati litteræ, quibus poteſtatem facit abſolvendi quemdam, qui ad id opus reductionis contribuit, ſemel in vita & ſemel in mortis articulo, adjecta utriusque abſolutionis formula.

Init. Nos Alexander humilis Abbas.

Cod. Can. 68. f. 188. p. 2.

1436. f.

Brevis Disputatio inter Anſelmum Epiſcopum Havelbergenſem & Nechiſen Nicomediæ

mediæ Archiepiſcopum; quorum alter pro Eccleſia Romana ejusque capite: alter contra diſſerit.

Init. Certum eſt igitur & nulli.

Cod. Can. 68. f. 189.

1436. f.

Formula decreti conciliaris de moderatione expectativarum & qualitatibus eorum, quibus beneficia conferenda ſunt. Eſt imperfecta & incipit ad hunc modum.

Init. Statuit S Synodus.

Cod. Can. 68. f. 189. p. 2.

1436. f.

Formula Decreti conciliaris quomodo quis aſſumi debeat ad gradus prædictos id eſt: doctoratus vel Magiſterii.

Init. Ne paſſim & ſine delectu.

Cod. Can. 68. f. 190.

1436.

Octob. 26.

Oblationes civitatis Aveniocenſis ſacro Concilio Baſilienſi factæ in caſu quo civitas ipſa eligeretur pro œcumenico concilio celebrando & pro reductione Græcorum.

Init. Sacro ſanctæ Generali ſynodo.

Cod. Can. 68. f. 337.

1436.

1436.
Decemb. 28.

Litera Domini Imperatoris Græcorum lecta in generali congregatione die veneris ult. Aug. 1436.

Init. Per Venerabilem Henricum Menger.

Cod. Can. 69. f. 7. p. 2.

1436. (†)

Literæ Patriarchæ Constantinopolitani lectæ ut supra. Est ejusdem argumenti.

Init. A vestro Ambasiatore Domino Henrico.

Cod. Can. 69. f. 7. p. 2.

(†) Propter hæc notam chronol. vide Gentil.

1436.
Febr. 9.

Litera M. Joannis de Ragusio & Simonis Fierum ambasiatorum sacri concilii.

Init. Licet jam gratia altissimi speremus.

vide Gentilot.

Cod. Can. 69. f. 8.

1436. Martij 10.

Joannis de Ragusio & Simonis Fierum Legatorum concilii Bas. Literæ ad Julianum cardinalem cæsarinum, ut videtur, (nunc ejus nomen ibi non exprimitur) petunt

sibi

ſibi certa renuntiari de concilio, quod diſſolutum fuiſſe fama attulerat; & late deſcribunt piiſſimam quamdam ſupplicationem Cpoli habitam.

Init. Poſtquam ſcripſeramus jam & nuntii erant parati ad iter.

Cod. Can. 69. f. 11.

1436.
Maij 21.

Tabula permutationis factæ inter Albertum Varentraff officialem curiæ Archiep. Colonienſis decretorum Doctorem & Joannem Hymel ſacræ Theologiæ Doctorem canonicatus & præbendæ Olomucenſis, quem Albertus poſſidebat cum parochiali Eccleſia S. Pauli in Krachfelt Salzburg. Diœces. quam Joannes optinebat, aſſentiente Juliano Cardinali S. Angeli per Germaniam Legati Baſileæ apud S. Leonardum in ædibus ſolitæ reſidentiæ memorati cardinalis.

Init. Anno a nativitate ejusdem. 1436.

Cod. Can. 69. f. 12. p. 2.

1436. Martij 8.

Alphonſi Regis Aragonum ad ſynodum litteræ ſcribit delectos jam eſſe viros, quos

ad

ad synodum mittat, quos, ut cito profi-
ciscantur, compellet.
Init. Longum nos Desiderium tenuit.
Cod. Can. 69. f. 397.

1436.
Julij 5.

Philippi Ducis Mediolanensis litteræ ad concilium ratam haberi petit electionem Abbatis factam a Monachis ord. S. Benedicti, licet Eugenius Papa coenobium istud Joanni de Vicecomitibus commendasset.
Init. Attendentes & non immerito.
Cod. Can. 69. f. 398.

1436.
Octobris 27.

Privilegium synodi, quo irritæ declarantur, prærogativæ ab Eugenio IV. concessæ in detrimentum incorporatorum concilio.
Init. Congruit illis præsertim qui pium.
Cod. Can. 69. f. 414. p. 2.
Aliud ejusmodi privilegium quod incipit.
Init. Plasmatoris omnium. editum a Lab. T. XVII. c. 632.

1436. f.

Copia litterarum super semidecima imposita Regni Franciæ clero auctoritate concilii Basiliensis.

Init.

Init. Etsi ad extirpationem hæresium.
Cod. Can. 69. f. 416.

1436.
Octob. 31.

Synodi Basiliensis Literæ quibus mandat omnes illos qui pecuniam ex indulgentiis collectam avertunt & supprimunt per edictum citari ad videndum declarari se in sacrilegii excommunicationis aliasque poenas incidisse.

Init. Cum te nuntium nostrum juratum.
Cod. Can. 69. f. 454.

1436.

Petri Episcopi Dignensis sermo de conceptione B. M. V. habitus in concilio Basiliensi.

Init. Memoria mea ingenerat.
Cod. Th. 253. f. 270.

1436. in Adven.

Henrici Tocke Canonici Magdeburgensis sermo habitus in concilio Bas. in Dominica adventus. A. 1436.

Init. Magnum opus & arduum loqui coram.
Cod. Th. 252. f. 278.

1436. f.

Scriptum breve pro concilio Bas. sine nomine auctoris.

Init.

Init. Ad ostendendum quod Concilium generale in Spiritu sancto legitime congregatum ūrlem Ecclesiam repræsentans claves a Christo ligandi atque absolvendi accepit &c.

Cod. Th. 253. f. 286.

1436. f.

Formula Testimonii iis dandi, qui pecuniam pro indulgentiis a concilio Basiliensi concessis, solverunt: item absolutionis formula, qua uti debet confessarius.

Cod. Th. 253. f. 288.

1436.

Tractatus pro communione, utriusque speciei quoad adultos pro audientia concilii Basiliensis adoptatus, Magistri Peribram.

Init. Ad honorem Domini nostri Jesu Christi.

Cod. Th. 482. f. 109.

1436. f.

Tractatus de communione parvulorum sine autoris nomine.

Init. In primis ergo perfecta communione.

Cod. Th. 482. f. 141.

1436. f.

Tractatus de communione parvulorum sine nomine auctoris.

Init. Cum secundum Apostolum nemo est.

Cod. Th. 483. f. 342.

1436.

1436. Julij 5.

Compactata Legatorum Baſ. concilii exarata & ſigillata Iglaviæ *Bohem.*

Init. Mg. Jilibert & Vinatelſo.

Cod. Th. 483. f. 342.

1436.

Ratificatio concordatorum cum Boemis a Concilio Baſilienſi facta & alia fragmenta actorum ad eandem rem pertinentium.

Cod. Th. 482. f. 346. p. 2.

1436.

Excerpta ex compactatis cum Regno Boemiæ Latine & Boemice evolvenda.

Cod. Th. 482. f. 349.

1436.

Compactata Pragenſia inita inter Proceres Regni Boemiæ & Marchionatus Moraviæ Legatos concilii Baſilienſis cum aliis monumentis ad ea pertinentibus, quæ omnia exſtant in Mantiſſa Cod. Diplomat. Leibnitii p. II. a pag. 138.

Cod. Th. 944. f. 8.

Totus hic codex eſt evolvendus.

1436.

Fragmenta concilii Conſtan. & Baſ. partim Lat. partim Boh. evolvenda.

Cod. Th. 482. f. 354. usque ad finem codicis.

1436.

Collatio facta ad clerum Wormatiensem in synodo. Bartholomæi. per Antonium de Cuba.

Init. In hac synodali congregatione.

Cod. Th. 636. f. 390.

1437. Januarij 15.

Concilii Basiliensis litteræ quibus rata habet ea, quæ gesta sunt inter Rev. patres & dnōs ipsius concilii legatos & generalem congregationem regni Boemiæ & marchionatus Moraviæ.

Init. Quoniam venerabilem Philipertum.

Cod. Th. 477. f. 219.

1437. Aprilis 27.

Attestatio Philiperti Constantiensis Episcopi copiam superiorem originali suo esse per omnia conformem.

Init. Et nos Philibertum Constan. Ep.

Cod. Th. 477. f. 223. p. 2.

1437.

Fragmentum compactatorum cum Boemis.

Init. Nos Philibertus.

Cod. Th. 477. f. 229.

1437.

1437.
Martij 27.

Andreæ Escobar Tractatus de conciliis & de ratione reformationis in iis instituendæ.

Init. In primis pro fundamento totius.

Cod. Th. 195. f. 217.
vide Gentil.

1437.
Maij 7.

Forma prætensi decreti minoris partis pro loco ycumenici concilii celebrandi.

Init. Hæc sacrosancta synodus inter suæ.

Cod. 68. f. 190. p. 2. & Cod. 69. f. 264. editum quidem est; sed sine nota, quod vide apud Gentil.

1437.
Maij 17.

Sequuntur litteræ credentiales bullatæ etiam sine scitu concilii quæ similiter reperiebantur apud nuntium, qui detulit secum prædictum prætensum decretum immediate superius copiatum sunt litteræ ad Joannem Palæologum Græcorum Imp. quibus synodus Basiliensis vel illius pars fidem facit Legatis ad eum Petro Dignensi &c.

 Init.

Init. Mittimus venerabiles Petrum Dignensem.

Cod. Can. 68. f. 191.

1437. f.

Primum Decretum (verius decretabulum paucorum in Concilio), videlicet L^ta vel circiter quod in Generali congregatione legi fecerunt, & tamen postea aliud seu in alia forma decretarunt.

Init. Cum jam dudum oblata pro parte.

Cod. Can. 68. f. 192.

1437.

April. 26.

Copia Bullæ potestatis datæ Dominis ambasiatoribus concilii, missis ad Græciam.

Init. Dum exquisitam vestrae circumspectionis.

Cod. Can. 68. f. 193.

1437.

Febr. 5.

Littera Credentialis D^ni Imperatoris Græcorum per Joannem Dissipatum græcum missa lecta in generali congregatione die Mercurij 5. Febr. 1437.

Init. Pro aliquibus tangentibus sanctum.

Cod. Can. 68. f. 193. p. 2.

1437.

1437.
Januarij 28.

Copia litteræ Regis Francorum afferentis se gratam & accepta habere electionem seu nominationem loci factam de Avinione non obstante quod per prius idem rex supplicaverat per literas suas Concilio in favorem papae, ut eligeretur civitas Florentina.

Init. Rex ille cujus jussu.

Cod. Can. 68. f. 195. p. 2.

1437. f.

Tenor avisamenti conclusi super Bullacione litterarum decreti facti de Avenione.

Init. Eligantur per sacras deputationes.

Cod. Can. 68. f. 199. p. 2.

1437.
Decemb. 30.

Eugenii Papæ Bulla qua irrita declarat synodi Basiliensis decreta, quibus mandat omnibus sequentibus Eugenii curiam ut eum deserant & ad beneficia sua se conferant.

Init. Inscrutabilis superni patris.

Cod. Can. 68 f. 338.

1437. Octob. 17.

Epistola synodalis ad Principem quendam significat ei synodus se Eugenium citasse,

ſuadetque ut concilii decreta ab univerſis ditioni ejus ſubditis debite recipi & obſervari faciat.

Init. Excitavit dudum Eccleſiam ſuam.

Cod. Can. 68. f. 346. p. 2.

1437. Octob. 17. f.

Baſilienſis ſynodi litteræ ad Joannem Regem Caſtellæ & Legionis, cui patres nuntiant, ſe in ſolemni ſeſſione IX. Kal. Februarias habita Eugenium ab omni adminiſtratione Papali ſuſpendiſſe omnemque ei obedientiam ſubtraxiſſe, iis de cauſis quas ibi late proponunt.

Init. Quamvis tuam erga ſacrum Conc.

Cod. Can. 68. f. 347. p. 2.

1437. f.

Synodi Baſil. litteræ ad Carolum Regem Galliæ Gratias agit de decreto in conventu Turonenſi pro ſynodo contra Eugenium.

Init. Magna cum lætitia.

Cod. Can. 68. f. 350. p. 2.

1437. f.

Joannis Papæ XXII. Bulla de prædicatione crucis contra Matheum de vice comitibus.

Cod. Can. 69. f. 449.

1438.

1438.

Quæſtio per Reverendum P. Dominum Ludovicum de Roma Protonotarium facta, utrum ad depoſitionem papæ incorrigibilis procedi poſſit.

Init. Quæſtio discutienda eſt.

Cod. Th. 636. f. 98. p. 2.

1438. f.

Propoſitio R. P. D. Ludovici de Roma Apoſtolicæ ſedis Protonotarii ad R. P. & illuſtrem principem D. Archiep. Colonienſem facta dum ad ipſum orator accederet nomine concilii Baſilienſis.

Init. Sancta Catholica Eccleſia Audivit S. Synodus.

Cod. Th. 636. f. 101. p. 2.

1438. f.

Eugenii Papæ IV. litteræ ad Carolum Galliæ Regem contra Baſilienſe concilium, hortans eum ad pacem Eccleſiæ & populo chriſtiano procurandam.

Init. Rem peſtiferam ac ſceleſtam.

Cod. Th. 180. f. 211.

1438. f.

Allegationes R. P. D. Ludovici de Roma Protonotarii de auctoritate univerſalis Eccleſiæ ſupra Papam.

Init. Primum diligenter mente.

Cod. Can. 68. f. 226.

1438. f.

Scriptum pro Concilio Basiliensi adversus Eugenium IV. sine auctoris nomine.

Init. Quod Concilium actu sit in Basilea.

Cod. Can. 62. f. 128.

1438.

Pragmatica sanctio a Carolo VII. Avarici Biturigum in celeberrimis Galliæ comitiis edita. a. 1438. d. 7. Julij, in cujus postmodum abolitæ locum successerunt concordata pacta Bononiæ inter Leonem X. & Franciscum I.

Cod. Can 62. f. 147. & fol. eod. p. 2.

1438. f.

Copia responsionum factarum per Eugenium IV. ad petitionem Ambasiatorum dominorum Electorum Imperii.

Cod. Can. 67. f. 61. (303.) p. 2.

1438.

Ludovici de Roma Propositio prima facta coram Duce Sabaudiæ nomine concilii Basiliensis.

Init. Sancta universalis Ecclesia autore domino.

Cod. Can. 78. f. 168.

Secun-

Secunda Propositio per eundem facta.
Init. Cognovit illustrissime Princeps. f. 177. p. 2.
Tertia propositio ab eodem facta. ibid. f. 183. p. 2.
Init. Inter cæteras tuæ sublimitatis.

Item exstant.

Cod. Can. 68. f. 263. p. 2.
271. p. 2.
275. p. 2.

1438. 28.

Propositio facta per D. Lod. de urbe Protonotarium sedis Apostolicæ conc. Bas. oratorem apud Philippum Ducem Burgundiæ.
Init. Variis quidem & gloriosis naturæ.
Cod. Can. 68. f. 290. p. 2.

1438.

Exhortatio facta per D. Ludovicum de Roma in Generali congregatione Conc. Basil. de potestate Ecclesiæ universalis supra Papam.
Init. Omnipotentis Dei postulato suffragio.
Cod. Can. 68. f. 294. p. 2.

1438.

Quæstio Ludovici de Roma, An ad depositionem Papæ incorrigibilis procedi possit.

Init. Quæstio discutienda est.

Cod. Can. 68. f. 297.

1438. Junij.

Propositio facta Bituris a Dni 1438. de Mense Junij coram rege Franciæ & prælatis Ecclesiam Gallicanam repræsentantibus ibi congregatis a Thoma de Cercellis unius ex oratoribus concilii pro justificatione concilii missis.

Init. Ingentissimam consolationem Ecclesiæ Dei.

Cod. Can. 68. f. 299.

1438. Junij.

Thomæ de Corcellis responsum ad Episcopi Dignensis Pontificii Legati in conventu Bituricensi pro Pontifice habitam orationem.

Cod. Can. 68. f. 303.

1438.
Augusti. 3.

Protestatio facta per Franciscum de Barbavariis oratorem Ducis Mediolanensis in sacro Bas. Conc.

Init. Convenistis Reverendissimi patres.

Cod. Can. 68. f. 306.

1438.

1438.

S. Joannis Chryſoſtomi Homiliæ Duæ, quarum prima cum de ejiciendo ageretur habitu.

Init. Multi quidem fluctus & immanes.
Cod. Can. 68. f. 309. p. 2.

Init. Hodie nobis facta eſt terra coelum.
ibid.

1438.

Eugenii invectivæ litteræ in ſynodum Baſil.

Init. Jam vobis tandem Chriſtiani.
Cod. Can. 68. f. 325.

1438.

Caroli ſexti Regis Galliæ conſtitutio libertatem Eccleſiæ Gallicane concernens.

Init. Notum facimus quod eum nuper.
Cod. Can. 68. f. 331.

1438.

Epiſtola bene longa ſine ſcribentis & ejus ad quem ſcribitur nomine continet querelas contra Antiſtitem quemdam in conventu Generali Siradienſi propoſitas præſertim a collegio Cathedralis Eccleſiæ Leopolienſis.

Init. Variæ duræque nimis.
Cod. Can. 69. f. 112. p. 2.

1438.

1438.

Tenor horum, quæ in effectu aperta sunt ex parte Illustris D. Ducis Sabaudiæ oratoribus serenissimi & christianissimi D. Regis Franciæ super exhortationibus & propositionibus eorum in facto pacis Ecclesiæ.
Init. Primo: Cum in hoc negotio tangatur factum fidei.

Cod. Can. 68. f. 114.

1438.

Sermo Ludovici de Roma ad R. P. & illust. Principem D. Theod. Archiep. Coloniensem dum ad ipsum orator accederet nemine conciiii.
Init. Sancta catholica & universalis Ecclesia apud.

Cod. Can. 68. f. 287. &
Cod. Can. 69. f. 114. p. 2.

1438.

Testimonia sanctorum Patrum de auctoritate Ecclesiæ.

Cod. Can. 69. f. 121.

1438.

Dissertatio de potestate concilii Basiliensis quoad causas particulares dispensationes statuta & constitutiones poenales cum de-

creti

creti inter positione, indulgentias faciendas majores causas Pontifici reservatas &c.
Sine auctoris nomine.
Init. Quia video nonnullos.
Cod. Can. 69. f. 123. p. 2.

1438.
Septembr. 13.

Synodi Basiliensis litteræ testimoniales de incorporatione concilio facta Joannis Episcopi ejusdem procuratoris.
Init. Dignum censemus & debitum.
Cod. Can. 69. f. 410. p. 2.

1438.

Clementis Papæ constitutio de electione summi Pontificis.
Init. Licet constitutione a felicis.
Cod. Can. 69. f. 411.

1438.
April. 16.

Basiliensis synodi litteræ, quibus constituit quosdam collectores pecuniarum, quæ ex indulgentiis pro reductione Græcorum concessis redigentur in Constantiensi Basiliensi civitatibus & diœcesibus nec non illis oppidis & castris Lausanensis Diœcesis, quæ in natione Germanica sita sunt.

Init.

Init. Devotionis & fidei quibus nos.

Cod. Can. 69. f. 428. p. 2.

Aliud ejusmodi litterarum exemplum pro collectore in civitate & Diœcesi Misnensi.

Ibid. f. 429.

1438.

April. 29.

Synodi Basiliensis literæ quibus memoratæ pecuniæ in Salzburgensi Strigoniensi & Colocensi provinciis ac Constantiensi Augustensi, Euchstettensi Herbipolensi & Bambergensi civitatibus & diœcesibus collectores facit Ludovicum Patriarcham Aquilegiensem Georgium Episcopum Vicen & Johannem de Bachenstein Archidiaconum Ecclesiæ Ragrabiensis synodi oratores ad Albertum Rom. Reg.

Init. Cum vos ad Charissimum universalis Ecclesiæ.

Cod. Can. 69. f. 431. p. 2.

1438.

Formula litterarum encyclicarum quas synodus ad plurium civitatum magistratus dedit, nuntiisque ad recipiendas oblationes pro indulgentiis missis tradidit.

Init. Cum hæc sancta synodos.

Cod. Can. 69. f. 433.

1438.

1438.
Novembris 8.

Synodi Basiliensis mandatum adversus Gilbertum Archidiaconum, qui pecunias in Scotia ex indulgentiis pro concilio collectas & Brugas in Flandria delatas Eugenio Papæ tradere meditabatur.

Init. Cum itaque postquam nos dudum.

Cod. Can. 69. f. 439. p. 2.

1438. f.

Tractatus decem avisamentorum ex sacra scriptura & sanctitate Ecclesiæ & generalis concilii auctoritate, sine nomine auctoris occasione Basiliensis schismatis editus.

Init. Apud sapientes in decisione.

Cod. Th. 253. f. 169. p. 2.

1438.

Cracoviensis Academiæ consilium seu Responsum in causa schismatis Basil. datum.

Init. Deliberantibus nobis quod super instanti.

Cod. Th. 253. f. 249.

1438. d. 28.

Propositio facta per Ludovicum de Roma concil. Basil. oratorem apud Philippum Ducem Burgundiæ A. 1438. die 28. . . in oppido Bruxellensi ducatus Brabantiæ.

Init.

Init. Variis quidem & gloriosis.

Cod. Th. 636. f. 105. p. 2.

1438. Jun.

Thomæ de Corcellis unius ex oratoribus concilii Propositio facta Bituris a Dn 1438. de Mense Junij coram Rege Franciæ & Prælatis.

Init. Ingentissimam consolationem Ecclesiæ Dei.

Cod. Th. 636. f. 110 p. 2.

1438.

Ejusdem Thomæ de Corcellis responsio ad Episcopum Dignensis. Eugenii Legati in conventu Bituricensi pro Pontifice habitam orationem anno Dn 1438.

Init. Incumbit nobis ex legationis officii.

Cod. Th. 636. f. 115. p. 2.

1438.

Tractatus sine nomine auctoris pro concilio Basiliensi adversus Eugenium in quo per XVI. propositiones conciliorum Potestas supra Papam extollitur.

Init. Victus modestia imperantis.

Cod. Th. 636. f. 119. &

Cod. Can. 68. f. 495.

Ubi Bartholomeo Carthusiano Priori Ruremundensi tribuitur.

1439.

1439.
Februarij 1.

Inſtrumentum propoſitionis facte in Concilio Baſilienſi a Nicolao Archiepiſcopo Panormitano nomine Legatorum Imperatoris Alberti, aliorumque Regum & principum ſuper electione alius loci pro concilio.

Init. Per hoc publicum inſtrumentum cunctis pateat.

Cod. Can. 67. f. 169.

1439.
Februarij 10.

Litteræ credentiales ut vocant a ſynodo Baſilienſi ſcriptæ ad Joannem Ducem Britanniæ.

Init. Dudum deſideravimus Legatos noſtros.

Cod. Can. 68. f. 286. p. 2.

1439.
Februarij 17.

Baſilienſis ſynodi Epiſtola ad Alfonſum Regem Aragonum. Commendat Ludovicum Pontanum de Roma unum ex Regis ad ſynodum nuntiis, & egregiam operam, quam in Concilio navavit, tum ſignificat ſe eidem Archidiaconatum in Eccleſia ma-

jore Valentina contulisse sperans id Regi. gratum fore.

t. De multis quæ in laudem tui nominis.

Cod. Can. 68. f. 334. p. 2.

ısdem synodi litteræ ad Mariam Reginam Aragonum ejusdem argumenti.

t. Vacante nuper Archidiaconatu.

Cod. Can. 68. f. 334. p. 2.

1439.

Junij 25.

riptum pro Justificatione sententiæ per sacrum generale concilium Basiliense contra olim Eugenium IV. latæ; sine designatione auctoris.

t. Ut omnibus evidenter constet sententia.

Cod. Can. 68. f. 367. &

Cod. Can. 78. f. 120. p. 2. sed ex illo colligitur pertinere ad an. 1442.

1439. f.

atio a Francisco de Tuce de ordine minorum in Concilio Basiliensi habita contra quosdam oratores Principum, qui prius erant serventissimi pro Concilio & tempore orationis factæ erant ei fere æmuli & insidiatores.

it. Multæ sunt rationes a sancta synodo.

1439.

1439. f.

Exceptum ex decretis Pisani Concilii quæ habentur sess. XXII.

Init. Item ut in unione & pace.

Cod. Can. 69. f. 134. p. 2.

1439.

Julij 31.

Synodi Basiliensis cassatio gratiarum expectativarum.

Init. Considerans dudum hac sancta synodus.

Cod. Can. 69. f. 405. p. 2.

1439.

Decembr. 30.

Synodi Basil. litteræ ad Petrum Episcopum Augustanum. Potestatem facit clero Augustano detrahendi de collectis impositis vel imponendis centum & quadraginta florenos, quos alias ultra debitum de distributionibus quotidianis solverat.

Init. Dudum quando semidecima.

Cod. Can. 69. f. 440. p. 2.

1439.

Maij 28.

Synodi Basil. Epistola ad Joannem Offenburg militem. Mittit ei quadraginta sex florenos eidem debitos ob expensas in legationem nomine synodi ad Sigismun-

dum Imperatorem, dum Romæ esset obitam. Legat eum ad Albertum Rom. Regem cavetque de restituendis sumptibus in ejusmodi legationem faciendis, in singulos itineris dies sesqui florenum assignans.

Init. Dudum tecum litteris nostris.

Cod. Can. 69. f. 440. p. 2. ibid.

1439. f.

Ejusdem synodi Epistola ad præpositum, Decanum & capitulum Ecclesiæ Beatæ Mariæ, nescio cujus loci Mandat ut pecuniam ex indulgentiis collectam Conrado Baroni de Winsperg concilii Protectori numerari faciant.

Init. Cum nos dudum pro supportandis.

Cod. Can. 69. f. 441.

1439.

Synodi Basiliensis Decretum in sess. XXXVI. de conceptione B. M. V.

Init. Elucidantibus divinæ gratiæ.

Cod. Can. 76. f. 26.

1439.

Litteræ, in quibus Wipertus de Franckenstein Decretorum Doctor, Cantor Ecclesiæ Wormatiensis a Basiliensi synodo constitutus ut Monasteria fratrum minorum

Pro-

Provinciæ Argentinenſis viſitaret & reformaret, id munus in Nicolaum Karoli Quardianum Heidelbergenſem & Nicolaum Dieppach e conventu Baſilienſi ambos ordinis Minorum transfert.

Cod. Can. 112. f. 150.

1439.

Articuli reformationis cœnobii Pforzheimenſis ordinis Minorum a Nicolao Karoli factæ, & a Jacobo Marchione Badenſi probatæ, ſermone Germanico.

Cod. Can. 112. f. 152.

1440. ut videtur.

Determinatio veritatis ſuper diſſenſione inter venerabile concilium Baſilienſe & portas inferi contradicentes tradita a Divino lumine ſcolæ Cracovienſis.

Init. Deliberantibus nobis quid ſuper inſtanti.

Cod. Can. 111. f. 1.

1440. ut videtur.

Fr. Joannis Keck ord. S. Benedicti in coenobio Tegrenſeenſi Tractatus pro concilio Baſilienſi.

Init. Præ ebrietate erraverunt ſacerdos.

Cod. Can. 111. f. 45.

1440. ut videtur.

Fr. Joannis Keck Tractatus Ecclesiasticus unitas inscriptus pro Eugenio IV. & Nicolao V. adversus Concilium Basiliense & Felicem V. in quo mutata sententia statuit Basiliense concilium non habuisse universalem Ecclesiæ consensum ut Pontificatum Eugenio abrogaret &c.

Init. Præsentis scismatis causam arbitror.

Cod. Can. 111. f. 82.

1440.

Concilium Universitatis Cracoviensis de auctoritate conciliorum & contra neutralitatem.

Init. Deliberantibus nobis quod super.

Cod. Can. 68. f. 557. Cod. 111. fol. 1. Cod. 115. f. 333. p. 2. Cod. Th. 253. f. 249.

editum a Bulæo Hist. univ. Parif. T. V. p. 479.

1440.

Consilium Academiæ Coloniensis in eadem Causa datum Theodorico Archiep. Coloniensi pro Basiliensi concilio.

Init. Ad requestam Reverendissimi in Christo Patris.

Cod. Can. 68. f. 543. &
Cod. Th. 253. f. 111. p. 2.

Viden-

Videndum in Bulæi Hiſt. univerſ. Pariſ. T. V. a pag. 471. ubi editum eſſe aſſerit Gentil. conſilium univerſitatis Vienenſis.

Vulgatum typis a Bulæo Hiſt. univ. Pariſ. T. V. p. 460.

1440.

Conſilium univerſitatis Erffordenſis ad D. Archiep. Moguntinum pro Baſ. concilio transmiſſum contra olim Eugenium & contra neutralitatem Principum Elect. ad Concilium provinciale in Aſchaffenburg nuper in craſtino Aſſumptionis Virginisglorioſæ inchoatum præſenti anno 1440.

Init. Reverendiſſimo in Xto patri.

Cod. Can. 68. f. 537.
Cod. Can. 111. f. 113.
Cod. Can. 78. f. 150.

Typis vulgatum legitur in Bulæi Hiſt. univerſ. Pariſ. T. V. p. 462.

1440.

Tractatus contra neutralitatem & quod appellationes proteſtationes & ſeparationes &c. & ſimiliter tertii loci electio ſine auctoritate Eccleſiæ repræſentatæ in ſacro Baſilienſi Concilio initæ & factæ nullæ ſint & de facto attemptata ſuſpecta de ſcismate & de hæreſi ſine nomine auctoris.

 Init.

Init. Quis dabit ne in ſolitudine.

Cod. Can. 68. f. 513.

1440.

Conſilium Univerſitatis Wienenſis de neutralitate.

Init. Circa Materiam unionis.

Cod. Can. 67. f. 60. (302.)
68. f. 508. p. 2.
111. f. 109.

Item.

Init. Initio diverſo.

Cod. Can. 78. f. 158.
111. f. 88.
111. f. 104.

Edidit Bulæus in Hiſt. Univ. Paris. T. I. p. 471.

1440. f. 38.

Reſponſum ad ſynodum Baſilienſem ſine inſcriptione & auctoris nomine, in quo rationibus & Exemplis probandum aſſumitur ad ſuffragium ferendum in generalibus conciliis non modo Epiſcopos ſed & presbyteros aliosque inferiorum ordinum admitti debere item decreta ſynodalia non Pontificis ſed Concilii nomine ferenda eſſe.

Init. Beatus Jacobus appellatur.

Cod. Can. 68. f. 506. &
Cod. Can. 62. f. 103.

1440.

1440. f.

Teſtimonia SS. PP. de auctoritate Eccleſiæ excerpta ex Auguſtino Iſidoro, Manipulo florum, & decreto Gratiani.
Cod. Can. 68. f. 490.

1440.

Votum Jo. de Raguſio Epiſcopi Argentini in deputatione fidei ſuper translatione concilii Baſilienſis ad petitionem principum.
Init. Circa materiam translationis.
Cod. Can. 68. f. 493.

1440.
Decemb. 25.

Guillelmi Evardi Collegii Navarra Magiſtri Epiſtola ad Ludovicum Cardinalem Arelatenſem. Significat Dionyſii de Sabernays, ſynodi legati opera factum eſſe ut Academia Pariſienſis ſynodo adhærere ſtatuerit, ſupereſſe tamen quosdam adhuc adverſarios, quibus neceſſe eſt in faciem reſiſtere, quod legationem ſpecialem requirit.
Init. Ad noſtram acceſſit univerſitatem.
Cod. Can. 68. f. 489.

1440.
Januarij 31.

Felicis Papæ V. Litteræ ad Reges & Principes de conſenſu electioni præſtito.

Init. Cognovit universus orbis.
Cod. Can. 68. f. 487. p. 2.
Cod. Can. eod. f. 657. fragm.
Cod. Can. 69. f. 74.

1440.

Januarij 5.

Consensus sanctissimi D[ni] nostri Felicis Papæ V. in Electionem.

Init. Vocem Vestræ concionis sacræ veluti.
Cod. Can. 68. f. 487. &
Cod. Can. 69. f. 76.

1440. f.

Arenga responsiva facta per D. Petrum Marchandi Locumtenentem in Cancellaria ex parte Amedei Ducis Sabaudiæ electum in Papam.

Init. Licet cor exagitare balbutire.
Cod. Can. 68. f. 474.

1440. Martij 9.

Deliberatio sacræ deputationis Reformatorii in materia provisionum facta die Mercurij IX. Martii A° 1440.

Init. Visum fuit majori parti.
Cod. Can. 68. f. 455.

1440.

1440.
Decemb. 6.

Felicis V. Epiſtola ad univerſitatem Colonienſem commendat eorum ſtudium defendendæ Eccleſiæ & ad perſeverandum in eodem.

Init. Magnus & admirabilis & omni.
Cod. Can. 62. f. 144.

1440.
Novemb. 20.

Baſilienſis ſynodi litteræ ad univerſitatem Colonienſem. Mittit ei Epiſtolam ad omnes chriſtianos ſcriptam eamque hortatur ad poteſtatem generalium conciliorum porro defendendam.

Init. Unius ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ.
Cod. Can. 62. f. 143. p. 2.

1440.

Æneæ Sylvii Epiſtola ad Hartungum J. U. D. in qua ſententiam ſuam de poteſtate Conciliorum exponit.

Init. In aula cæſaris cum nuper.
Cod. Can. 62. f. 109.

1440.

Diſſertatio ſine nomine auctoris contra neutralitatem & de obedientia præſtanda Felici V.

Init.

Init. Quia nonnulli propter ignorantiam.

1440.

Academiæ Lipſienſis reſponſum de auctoritate generalium conciliorum.

Init. Quamquam teſte Apoſtolo.

Cod. Can. 69. f. 268.

1440.

Marquardi Sprenger determinatio quæſtionis: utrum ſicut ad congregandum Generale Concilium requiritur conſenſus omnium vel majoris partis eorum, qui conciliis tenentur intereſſe, ita ad continuandum aliquod generale concilium neceſſarius ſit conſenſus eorundem.

Init. Utrum ſicut ad congregandum.

Cod. Can. 111. f. 225. p. 2.
ad finem eod.

1440.

Marquardi Sprenger Aviſamenta utilia tempore currentis ſcismatis pro timoratis conſcientiis.

Init. Cum Domino Jeſu diſcipulis ſuis &c. docet adhærendum eſſe concilio ita tamen, ut cum concilio non ſentientes pro excommunicatis & ſchismaticis minime ſint habendi.

Cod. Can. 111. f. 211. p. 2.

1440.

1440.

Marquardi Sprenger refutatio ſcripti a Fr. Joanne Keck pro Tractatu ſuo: *Eccleſiaſticus unitor.* editi.

Init. Dominus noſter Jeſus Xtus fundare volens.

Cod. Can. 111. f. 200.

1440. ut videtur.

Marquardi Sprenger Reſponſio ad apologiam F. Joannis Keck pro Tractatu cui *titulus Eccleſiaſticus Unitor.*

Init. In apologia in ſolutione.

Cod. Can. 111. f. 196.

1440. ut vid.

Marquardi Sprenger juxta indicem huic codici præfixum Tractatus pro concilio Baſilienſi, in quo probat concilium illud ſe ipſum non diſſolviſſe.

Init. Multis viis & modis.

Cod. Can. 111. f. 173.

1440. ut videtur.

Anonymi monachi Mellicenſis reſponſio ad apologiam Fr. Johannis Keck editam pro Tractatu, qui inſcribitur Eccleſiaſticus unitor.

Init. Apologiator reſpondendo ad rationes.

Cod. Can. 111. f. 95.

1440.

1440.

Fr. Joannis Keck breve ſcriptum, quo Tractatum ſuum *Eccleſiaſticus unitor* inſcriptum tuetur & aſſerit aliud eſſe Eccleſiam univerſalem aliud Concilium, & potiorem eſſe Eccleſiæ auctoritatem.

Init. Dominus noſter Jeſus Xtus.

Cod. Can. 111. f. 198. p. 2.

1440.

Aviſamentum in materia proceſſus fidei contra Eugenium.

Init. Quod juxta Athanaſium quatuor ſunt.

Cod. Can. 68. f. 545.

1440. Maij 12.

Baſilienſium ſalvus conductus pro Concilio.

Init. Nos Arnoldus de Berenfels.

Cod. Can. 69. f. 137. p. 2.

1440.

Maij 13.

Franciſci Prioris cartuſiæ & definitorum Capituli Generalis litteræ ad ſynodum Baſ. Reſpondent litteris a ſynodi oratoribus ſibi redditis & pollicentur abſoluto capitulo Generali quosdam de ſuis ad concilium mittere.

Init. Applicuerunt ad nos.

Eorun-

Eorundem litteræ ad ſynodum ad quam mittunt procuratores ſuos.

Init. - - -

Eorundem ad Felicem Papam ejusdem Argumenti.

Init. Recepimus literas credentiales.

Cod. Can. 69.

f. 410. ibid. ibid.

1440.

Notabilia de iis, quæ deſignatus Pontifex ante inaugurationem facere non conſuevit, Felici V. Antipapæ aptata.

Init. De illis, quæ electus in Papam.

Cod. Juris civ. 180. f. 246. ibid.

1441.

Aprilis 20.

Eugenii Papæ litteræ ad univerſitatem Montipeſſulanam adverſus Baſilienſe concilium.

Init. Etſi non dubitemus, quæ ſcripturi ſumus.

Cod. Can. 62. f. 96.
Cod. Can. 68. f. 654.
Cod. Can. 69. f. 237.

1441.

Epiſtola Reſponſalis cujusdam Carthuſiani ad Epiſcopum Bononienſem Card. S. Crucis acer-

acerrima Epiſtola, in qua pro concilii Baſilienſis auctoritate & Felice V. adverſus Eugenium agit & Cardinalem increpat quod fidem Concilio Conſtantienſi juratam fregerit.

Init. Perlecta Epiſtola veſtra nuper.

Cod. Can. 69. f. 253.

1441.

Martij 24.

Thomæ de Corcellis unius ex Baſilienſis concilii legatis ad Germaniæ Principes oratio de ſuprema poteſtate conciliorum de iniuſta diſſolutione & ejus in Eugenium ſententia.

Init. Explicaturi quæ nobis a ſancta ſynodo.

Cod. Th. 253. f. 44.

1442.

April. 11.

Felicis V. Litteræ ad univerſitatem Colonienſem cujus ſtudium in ſuſtinenda generalium conciliorum auctoritate commendat & petit, ut doctores ad conventum propediem Franckfordiæ agendum mittant, qui ibidem veritatem & juſtitiam tueantur.

Init. Gaudemus in Domino & delectamur.

Cod. Can. 62. f. 100. ibid.

1442. f.

Anonymi familiares epiſtolæ XI. quarum prima Jacobo J. U. D. inſcripta &c. Epiſcopo Fornacenſi cui mittit ea, quæ Ferrariæ geſta & decreta fuerunt ſuper certis articulis Græcorum nomine exhibitis, quæ decreta ad ſe nuper delata fuiſſe ſcribit.

Cod. Can. 62. f. 185.

1442.

Januarij 17.

Pariſienſis Academiæ litteræ ad Dionyſium de Sabernais & Nicolaum Amici ſuos in Concilio Baſilienſi oratores. Mittit Exemplum Epiſtolæ ad ſynodum ſcriptæ de pace atque in eandem ſententiam ſe Romanorum Regi ſcripſiſſe ait, cujus ſtudium diſtractum Eccleſiam reducendi commendat.

Init. Plurima Vobis grata ſcribere convenit.

Cod. Can. 63. f. 187. p. 2.

1442.

Univerſitatis Colonienſis ad Pariſienſem Epiſtola bene longa, in qua conqueritur eos, qui doctores vel Magiſtri ab eadem univerſitate creati ſunt a Pariſienſi pro legitime creatis non haberi.

Init. Turbatus eſt a furore auctus.
Cod. Can. 62. f. 188.

1442.

Colonienſis Univerſitatis, ut videtur, litteræ ad Cardinalem Arelatenſem Orat ut eam tueatur adverſus quorundam Calumnias & vexationes, qui indultum ab Eugenio IV. dum ab univerſa agnoſcebatur Eccleſia, ad certa beneficia illi conceſſum, tanquam ſubreptitium ſpernebant, atque irritum facere conabantur.

Init. Eam nobis a veſtre dignitate.
Cod. Can. 62. f. 189. p. 2.

Ejusdem litteræ ad Cardinales S. Prudentiana aliosque de re eadem.

Init. Etſi de veſtra conſtantia patres.
Ibid. f. 190.

1442. f.

Tractatus Jo. de Segobia ſuper juſtificatione Baſ. concilii & ſententia ipſius contra Gabrielem alios Eugenium lata & in juſtificatione ipſius Gabrielis & ſibi adhærentium ac etiam a ſacro Concilio qualitercunque ſe abſtrahentium.

Init. Frequens generalium conciliorum.
Cod. Can. 78. f. 103.

1442.

1442.
Februarij 25.

Eugenii Papæ Bulla translationis concilii Florentini Romam.
Init. Miſerator & Miſericors Dominus.
Cod. Jur. Civ. 180. f. 260.

1443.

Joannis de Polemar ſacri Palatii cauſarum Auditoris tractatus pro Eugenio quarto adverſus concilium Baſilienſe.
Init. Non fuit moris me.
Cod. Can. 111. f. 137.

1443.
April. 9.

Mandatum Bernardi tit. SS. quatuor Coronatorum Cardinalis legitimatio Joanni Schedner.
Cod. Can. 68. n. CXXXII.

1443.
Junij 21.

Tractatus contra propoſitiones Alfonſi de Matricali Romæ in diſputatione publica adſertas.
Init. Sanctiſſimus Pontifex maximus Eugenius.
Cod. Can. 73. f. 349.

f 2 1443.

1443. f.

Conclusiones de auctoritate generalium conciliorum & nominatim Basiliensis.

Cod. Can. 73. f. 360.

1443. f.

J. Nicolai Jaqueri Flandri Ord. Præd. sermo ad synodum Basil. Dominica 3. post octavam Paschæ.

Init. Veritatis moralis verbum facturus.

Cod. Th. 636. f. 139.

Ejusdem Sermo in Dominica prima quadragesima.

Init. Consideranti mihi quid huic.

Cod. Th. 636. f. 143.

1443.

Sermo synodalis.

Init. Sicuti testante sacro eloquio.

Cod. Th. 636. f. 381.

1444. f.

Tractatus pro Concilio Basiliensi anepigraphos.

Init. Cogitanti mihi & sedule.

Cod. Can. 115. f. 335. p. 2.

1444.

Responsum seu tractatus pro Concilio Basiliensi adversus Eugenium auctore Panormitano.

Init.

Init. Quoniam veritas verborum lenocinio.

Cod. Can. 68. f. 383.

69. f. 179.

78. f. 200.

Codex S. N. fol. 49.

Pertinet ad A. 1444.

vide Cod. Jur. Can. 78. f. 200.

1444.

Academie Colonienſis litteræ ad Archiepiſcopum Colonienſem, reſpondet litteris Archiepiſcopi, quibus præceperat, ut viros quosdam idoneos eligeret juris divini & humani peritos ad conventum Noſimbergæ a Rom. Rege indictum pro compoſitione diſſidii, mittendos, atque id ſe inpleturum pollicetur.

Init. Gaudemus pater clementiſſime.

Cod. Can. 62. f. 190. ibid.

Ejusdem Univerſitatis literæ credentiales ut vocant, Ad Archiep. Colonienſem Pedello datæ. Ibid. 190. p. 2.

1444.

Archiep. Colonienſis litteræ ad Un. Colonienſem reſpondet ſuperioribus litteris & ait, ſe quosdam Conciliarios delecturum, qui cum ipſa agant de injuriis per Pedellum propoſitis iisque delectum virorum

 ad

ad conventum Norimbergensem mittendorum remittit.

Init. Accepimus literas vestras responsales.
Cod. Can. 62. f. 190. p. 2. ibid.

Universitatis Colon. ad superiorem Responsoria significat quosdam ex nominatis ab Archiep. se excusasse ceteros paratos esse & expectare ejus Mandatum.

Init. Commendamus & magnopere.
Ibid. f. 190. p. 2. ibid.

1444.

Archiep. Coloniensis Litteræ ad eandem universitatem in quibus nominatim appellat eos, quos secum ad conventum Noribergensem ducere vult.

Init. Literas vestras responsales.
Cod. Can. 62. f. 191.

1445.

Octobris 20.

Concilii Basiliensis litteræ ad universitatem Coloniensem, qua Patres hortantur, ut pro conservatione fidei catholicæ & auctoritate Generalium conciliorum allaborent in proximo conventu Norimbergæ prima dominica quadragessima agendo, mittuntque ad eandem universitatem Nicolaum

colatum Amici canonicum Cameracensem & Joannem de Renve Præpositum Aldensalensem.

Init. Instetimus jam longo tempore.

Cod. Can. 62. f. 100.

1445. f.

Decani & Capituli Ecclesiæ Leodiensis epistola supplex ad Papam. orant ut appellationem senatus populique Traiectensis ab interdicto, quem ipsi cessum vocant, eo usque posito, quo ab injustis vexationibus collegii S. Servasii ejusdem oppidi Trajectensis abstineant.

Init. Sanctitatis v. solitus misericordiam & benignitatem.

Cod. Can. 62. f. 183. p. 2. & 184. fere eodem Exemplo ad Cardinales &c.

1445.
Augusti 2.

Avisamentum deputationis pro communibus oblatum synodo Basiliensi.

Init. Quia tunica inconsutilis.

Cod. Can. 69. f. 109.

1446. Aug. 1[illegible]

Joannis Card. tit. S. Calixti Epistola ad Sebastianum Pedellum Ubio - Colonienf.

 cui

cui agit gratias de numere quodam ſibi miſſo.

Cod. Can. 62. f. 192. p. 2.

1446. Julij 8.

Sententia lata contra Nicolaum de Bullersdorf, qui ſe nominavit Angelicum paſtorem, Chriſtum D. ac Dei verbum a Concilio Baſilienſi.

Init. A patre luminum Deo noſtro.

Cod. Can. 68. f. 19.

1446.

Januarij 6.

Reſponſio facta per Dominos Regni Poloniæ in conventione Pyocrkonienſi Ambaſiatoribus S. Concilii.

Init. Primo referimus magnas gratias.

Cod. Can. 69. f. 127.

1447.

Fragmenta Epiſtolarum e concilio Baſilienſi ad univerſitatem Colonienſem ſcriptarum de Nicolai V. legato, qui Lugduni disponebat neceſſaria ad vocandum concilium Generale &c.

Cod. Can. 62. f. 106. p. 2.

1448. Febr. 1.

Synodi Baſilienſis Literæ ad univerſitatem Cracovienſem. Narrat tractatus de parte

inter

inter Nicolaum V. Felicem V. ac ſynodum eamque interea ad conſtantiam hortatur.

Init. Meruit charitas veſtra noſtris gaudiis.
Cod. Can. 62. f. 132.

Eadem hæc Epiſtola inſcribitur Principi cuidam (forte Regi Polonie) in Cod. 69. f. 30.

1448. Julij 16.

Univerſitatis Cracovienſis literæ ad ſynodum Baſilienſem, quæruntur ſe ob ejus ſynodi propugnationem vehementer exagitari.

Init. Dignata eſt ſacroſancta ſynodus veſtra.
Cod. Can. 62 f. 133. & 69. f. 144. p. 2.

1448. Julij 16.

Academiæ Cracovienſis Epiſtola ad Academiam Pariſienſem. Petit ab ea edoceri nam verum ſit id, quod Pontificis Legatus Baptiſta de Roma Epiſcopus Camerinenſis in Polonia divulgavit eum Nicolao Papæ V. obedientiam præſtitiſſe, quidque ad id faciendum eum permoverit, ſibi ſignificari.

Init. Divinæ & humanæ ſapientiæ eruditi literis.
Cod. Can. 62. f. 194. p. 2. Cod. Can. 69. f. 143. Et 115. f. 318.

Cod. Can. 62. f. 194. p. 2. inſcripta eſt univerſitati Colonienſi ub. f. 195. eſt reſponſum hoc initio.

Init. Ascendit fumus aromatum.

Exſtat in Thes. anecd. Edm. Martenii Tom. II. a p. 1751.

1448. f.

Epiſtola anonymi conſolatoria & hortatoria ad ſynodum Baſ.

Init. Nonnullis de Eccleſiæ fluctuatione.

Cod. Can. 62. f. 134.

1448. Jan. 28.

Upſalenſis Archiep. & comprovincialium Epiſcoporum litteræ ad ſynodum Baſileenſem. Excuſant quod propter Hyemis marisque ſævitiam &c. nondum ad ſynodum venire potuerint; interea ſecum ea ſentire & obedientiam Felici V. præſtare ſcribunt patresque ad conſtantiam hortantur.

Init. Anxiatæ matri noſtræ propter.

Cod. Can. 62. f. 136.

69. f. 31. p. 2.

1448. Junij 12.

Univerſ. Colonienſis litteræ ad Jacobum Epiſ. Trevirenſem. Reſpondet quærelis de certis Mandatis in detrimentum quorun-

rundam ab abbate S. Martini & Præposito S. Georgii Colon. tanquam conservatoribus & subconservatoribus latis.
Init. Obsignatæ nobis sunt Litteræ.
Cod. Can. 67. f. 193.

1448. Jacobi Archiep. Trevirensis litteræ ad universitatem Coloniensem, quibus in superioribus respondit universitas.
Init. Scripsimus alias repetitis vicibus.
Cod. Can. 62. f. 193. ibid.

1448. Sept. 9.

Universitatis Coloniensis literæ ad Papam cui supplicant ut petitionem, quam suo, Burgi - magistrorum & consulum Coloniensium nomine ei fecit, ad exauditionis gratiam admittere dignetur.
Init. Super salutem & omnem pulchritudinem.
Cod. Can. 62. f. 196.

1448. April. ult.

Anonymi Epistola ad anonymum, Pontificis fortasse Legatum, a quo petit, ut instante pace Ecclesiæ Bas. Concilium, per quod ea pax sit danda, insectari & exagitare nolit ac processum contra Mattheum -- inchoatum sistat.

Init.

Init. Dat mihi R. P. Loquendi ausum.
Cod. Can. 69. f. 27. p. 2.

1448. Aug. 12.

Copia salvi conductus Domini ducis Sabaudiæ, datum sacro Lausanensi Concilio.
Init. Cum singulari omnipotentis Dei.
Cod. Can. 68. f. 32. p. 2.

1448. Julij 28.

Felicis V. litteræ salvi conductus pro accedentibus ad synodum Lausanensem.
Init. Cum per operam altissimi.
Cod. Can. 69. f. 33. p. 2.

1448. Aug. 26.

Lausanensis synodi litteræ ad universitatem Cracoviensem.
Init. Gratias Deo nostro pro vobis.
Cod. Can. 62. f. 102.
68. f. 699.
69. f. 145. p. 2.
115. f. 320.

1448. Julij 24.

Synodi Lausanensis decretum Basiliensem synodum Lausanam esse legitime translatam atque inibi cætera, quæ ad unionem & pacem Ecclesiæ spectant esse peragenda.

Init.

Init. Divinus atteſtatur ſermo.

Cod. Can. 115. f. 322. p. 2.

1432. Martij 5.

Schedula Sigismundi Imp. in Literas conjecta, qua Concilio nuntiat, Joannem de Monte cum Florentiam perveniſſet, latuiſſe ibi dies aliquot & mandata ſibi ad Pontificem deferri curaſſe a quo juſſus fuerit, ſe ejusmodi negotiis prætermiſſis, ad ea loca conferre, ad quæ miſſus fuerat: miſſum autem fuiſſe ad deferendas Principibus quibusdam Bullas diſſolutionis. Item legatum Galliæ Regis declaraſſe in curia Romana, Regem non paſſurum antiſtites regni ſui ire Baſileam ad Concilium &c.

Init. Poſtquam hæc Littera noſtra ſcripta fuit.

Cod. Can. 69. f. 385. p. 1. 2.

1432. Martij 16.

Schedula Sigismundi Imp. in epiſtolam conjecta, qua vehementer probat decreta ſeſſionis ſecunda.

Init. Poſtquam hæc noſtra littera ſcripta fuit.

Cod. Can. 69. f. 384.

1432.

1432. Maij 4.

Alberti Ducis Auſtriæ Litteræ ad Synodum Baſilienſem a Nicodemo de la Scala Episcopo Friſingenſi petiiſſe, ut ſynodo exponat pericula quæ ditionibus ſuis ab Huſitis impendent.

Init. Sacroſanctæ congregationis veſtræ Litteras transmiſſas.

Cod. Can. 69. f. 389. p. 2.

1432. Junij 22.

Sigismundi Imperatoris literæ ad Concilium Baſilienſe. Eſt apologia adverſus bullas quasdam Pontificias &c.

Init. Poſt expeditionem horum noſtrorum ſervitorum.

Cod. Can. 69. f. 45.

1432. Auguſti 8.

Synodi Baſilienſis literæ ad Ludovicum Ducem Bavariæ, quem ad Pacem cum Henrico itidem duce Bavariæ faciendam hortatur, mittens eam ob cauſam legatum.

Init. Redemptor noſter Jeſus Chriſtus.

Cod. Can. 69. f. 164.

Ejusdem ad Conſiliarios Ludovici & Henrici Bavariæ Ducum, ut eos Principes ad pacem adducant Epiſtola.

Init.

Init. Inter alias ſanctæ Generalis Synodi Baſilienſis.

Cod. Can. 69. f. 165. p. 2.

Inſtructiones datæ Ambaſiatoribus Concilii ſuper legatione pro pace tractanda inter illuſtres Principes Ludovicum & Heinricum Bavariæ Duces.

Init. Primo quod accedant ad D. Ducem.

Cod. Can. 69. f. 166.

Ejusdem Synodi litteræ ad Ludovicum Ducem Bavariæ. Hortatur ut a vexandis monaſteriis aliisque piis locis deſiſtat.

Init. Decet catholicos Principes.

Cod. Can. 69. f. 166. p. 2.

1432. Auguſti 22.

Ludovici comitis Palatini Rheni literæ ad ſynodum Baſilienſem, ut proceſſus contra adverſarium Udalricum de Manderscheid Rabani Archiepiſcopi Trevirenſis ſuſpendere nolit.

Init. Juſtæ diſcretionis examen juſtitiæ ſtateram.

Cod. Can. 69. f. 160.

1432. Aug. 26.

Sigismundi Imp. Litteræ ad ſynodum Baſilienſem commendat cauſam civitatis Bambergenſis.

Init.

Init. Crebris vicibus negotium.

Cod. Can. 69. f. 154. p. 2.

1432. ut videtur.

Status controverſiæ inter Eccleſiam & Civitatem Bambergenſes.

Init. Eccleſia Bambergenſis per divæ memoriæ.

Cod. Can. 69. f. 159.

De cauſis hujus controverſiæ conf. Mart. Hoffmann lib. V. annal. Bamberg. n. 1—21. in ſcriptor. Rer. Germ. J. P. Ludewig tom. 1. p. 233. 234.

1432. Octob. 10.

Principum Electorum S. R. I. Literæ ad ſynodum Baſilienſem credentiales pro oratoribus ad eam miſſis.

Init. In lapide angulari Jeſu Chriſto.

Cod. Can. 69. f. 178. p. 2.

Editæ quidem a Manſio Supplem. T. IV. c. 359. ſed ratione anni & ſubſcriptionum vulgandæ iterum videntur.

1432. Octobr. 13.

Quæſtio utrum Romanorum Rex cauſas in rebus civilibus ad Imperium ſpectantibus & in Alamania auditas & ibidem per proceſſus concluſus executioni eo exiſtente in Italia in terris tamen Imperio ſubjectis

de

de jure demandare poſſit & hujusmodi proceſſus aggravare & reaggravare valeat, notanter ſuper Ducatu, Marchionatu, Comitatu. Cui quæſtioni affirmative reſpondetur.

Init. In deciſione quæſtionis ſuppoſitæ.
Cod. Can. 69. f. 69.

1432.

Synodi Baſilienſis ad N. Comitem Palatinum Rheni Ducemque Bavariæ. Poſtulat ut viros quosdam doctos ad ſynodum mittat.

Init. Non ambigimus ſatis diuque.
Cod. Can. 69. f. 38.

Eodem prope exemplo Uladislao Poloniæ Regi exſtat quid Lab. T. XVII. c. 619.

1432.

Sigismundi Imperat. Literæ ad Papam, commendat ei cauſam Joannis Schallermanni Weſtphali ab Archiepiſcopo Saltzburgenſi deſignati Epiſcopi Gurcenſis, adverſus Laurentium de Liechtenberg Epi-

ſcopum Lavantinum, qui ſe in eam Ecclesiam intruſerat.

Init. Vacante nuper Eccleſia Gurcenſi.

Cod. Can. 69. f. 178.

Vide Gentilottum ad hunc locum.

1432. ut videtur.

Anonymi Epiſtola ad anonymum, in qua deſcribitur impreſſio in Sileſiam & depopulatio a Polonis facta.

Init. Obſequium votivis cum ſucceſſibus.

Cod. Can. 69. f. 399. p. 2.

1432. ut videtur.

Libellus a procuratore Erici Lauenburgenſis Saxoniæ Ducis oblatus judicibus a ſynodo Baſilienſi datis contra Fridericum Misniæ Marchionem, in quo petit Erico adjudicari dominium terrarum in Wittemberg cum fructibus, Electoratum & Marſchalatum Imperii.

Init. Coram vobis Reverendiſſimis.

Cod. Can. 69. f. 395.

Vide Gentilottum ad hunc locum.

1432.

1432. ut videtur.

Oratio anonymi pro W. Comite Palatino Rheni utriusque Bavariæ Duce, Protectore Basiliensis Concilii a Sigismundo Rom. Rege designato.

Init. Quia placuit illustri Principi.

Cod. Can. 69. f. 386.

1432. ut videtur.

Basiliensis synodi literæ ad senatum populumque Noribergensem de dissolutione Concilii a Pontifice tentata, cui se Roman. Rex & synodus opponit, quam ob caussam quædam in sessione secunda nuperrime decreta, quemadmodum a sacri Concilii nuntiis fusius intelligent.

Init. Novimus vos non ignorasse hanc sacram.

Cod. Can. 69. f. 380. p. 2.

1432. ut vid.

Synodi Basiliensis epistola ad Academiam Viennensem Hortatur ut quosdam doctores ad synodum mittat, qui pro extir-

patione Huſſitarum in medium conſu-
lant.

Init. Ex talento ſapientiæ a divina provi-
dentia.

Cod. Can. 69. f. 380.

Nota. Eodem initio ſimilis Epiſtola miſſa fuit ad
Academiam Colonienſem A. 1432. Jan. 23.

1432. ut videtur.

Concilii Baſilienſis Literæ ad Venetos, qui-
bus eos invitant ad ſynodum & ad pa-
cem cum Romanorum Rege & Duce Me-
diolani hortatur, ad quam interpoſitio-
nem ſuam offert.

Init. Quantis bellis & armorum & hæreſum.

Cod. Can. 69. f. 46.

1433.

Oratio Ludovici de Roma ad Sigismundum
Cæſarem tempore ſuæ coronationis in
Roma.

Init. Quod a Deo Opt. Max. attentiſſima
dudum.

Cod. Can. 115. f. 35. p. 2.

1433.

1433.

Junij 23.

Epiſtola Sigismundi Imp. ad Bohemos de optima ſpe concordiæ in Baſilienſi Concilio ſanciendæ, quo & ipſe proficisci cogitat, atque ut ſuos legatos illuc remittant hortatur.

Init. Notificamus vobis quod informati.

Cod. Can. 115. f. 173. p. 2.

1433.

Quæ Dominus Sereniſſimus Imp. Romanorum Rex injunxit Illuſtri Principi Wilhelmo Protectori ſacri Concilii referenda concilio.

Init. Item primo quod veſtræ reverendiſſimæ paternitates.

Cod. Can. 115. f. 312. p. 2.

1434.

Deſcriptio munerum, quæ Regi Sigismundo nomine Turcarum Imperatoris oblata fuerunt in concilio Baſilienſi.

Cod. Can. 62. f. 63. p. 2.

1436. f.

J. Comitis Palatini Rheni & utriusque Bavariæ Ducis. Epiſtola ad J. tit. S. Suſannæ Presb. Card., Petit, ut cauſa quædam tamquam mere temporalis nec uſuræ quoquo modo macula vitiata a ſynodo ad judicandum ſibi remittatur.

Init. Ad aures benigniſſimæ P. V. deducimus.

Cod. Can. 69. f. 5. p. 2.

1436. f.

Copia ſupplicationis oblatæ per promotorem ſacri Concilii ſuper ſpoliatione bonorum Eccleſiæ Gurcenſis a Laurentio de Lichtenberg Lauantino Epiſcopo factæ.

Init. Cum pium ſit & devotum.

Cod. Can. 69. f. 13.

1437.

Januarij 15.

Baſilienſis Concilii literæ ad Regem Sigismundum ut communionem parvulorum ceſſare faciat.

Init.

Init. Clamore publico deferente.
Cod. Th. 937. f. 143. p. 2.

1437.
Julij 21.

Sigismundi Imperatoris ad Concilium Basiliense super compactatis & concordatis cum Bohemis credentialis pro oratoribus Regni Boemiæ & Marchionatus Moraviæ ad synodum Basiliens. missis ad complendum compactata.
Init. Quia secundum formam pactatorum.
Cod. Can. 69. f. 444. p. 2.

1437.
Septemb. 20.

Concilii Basiliensis literæ, quibus Imperatori Sigismundo & singulis aliis Romanorum Regibus & Imperatoribus, qui ex nunc in antea fuerint, canonice tamen intrantibus privilegio & consvetudine imperialibus quoad preces sive nominationes ad beneficia faciendas perpetuis futuris temporibus libere & plenarie uti

& gaudere possint decernitur. Insertæ aliis Literis executorialibus.

Cod. Can. 52. f. 464.

1437.

Octobris 17. f.

Basiliensis synodi literæ ad Albertum Romanorum Ungariæ & Boemiæ Regem. Conqueritur, oratores suos ad Regem Christianissimum & Ducem Borgundiæ missos, captos & ad castrum Tuctensteyn Argentinensis diæcesis ductos fuisse; rogatque ut ad Fridericum Ducem Austriæ Episcopum Argentoratensem &c. scribat & iubeat eos liberos dimitti.

Init. Scribimus tuæ serenitati.

Cod. Can. 68. f. 350.

1438.

Martii 1.

Eugenii Papæ literæ ad Wilhelmum Marchionem de Hohberg. Laudat ejus in se & apostolicam sedem studium ab ejus Legato Petro Rouer in decretis Licentiato decla-

declaratum, ac petit ut ſalvum conductum, ſi quem forſan hactenus dedit Baſilienſibus niſi intra præſtitutam diem reſipuerint, revocet.

Init. Summe placet nobis dilecte fili.

Cod. Can. 68. f. 324. p. 2. ibid.

1438.

Commentarii litis de Præpoſitura Cathedralis eccleſiæ Vratislavienſis, quam Eugenius Papa contulerat Nicolao Goltberg Canonico Eccleſiæ Vratislavienſis A. 1438. Conradus vero Epiſcopus Vratislavienſis Nicolao Gramus.

Cod. Th. 205. f. 251.

1438.

Synodi Baſilienſis literæ ad Guilielmum Marchionem de Hochberg Gratias agit de promiſſa itinerum ſecuritate & conductu eorum, qui ad ſynodum veniunt petens ut Dionyſium de Sabernays & Stephanum Ploverii ſynodi oratores, qui in caſtro Landeck capti detinentur educi curet.

Init. Gratiſſima nobis eſt liberalis oblatio.
Cod. Can. 69. f. 434.

1438.
Maij 29.

Chirographum in quo Joannes Præpoſitus Bardevicenſis Jacobus Freyeshamer Canonicus Ratisbonenſis &c. receptores & theſaurarii provinciarum inclytæ nationis Germanicæ fatentur, ſe accepiſſe a Joanne Odſern curato Eccleſiæ Egmondenſis Traiectenſis Diæces. XX florenos Rhenenſes ob commutationem voti peregrinationis ad S. Jacobum quo quidem erat adſtrictus.
Cod. Can. 69. f. 435.

1438.
Septembr. 11.

Jodoci de Heilpruna Licentiati Viennenſis epiſtola Domino Joanni Bachenſteyn Locumtenenti Auditoris Cameræ ſacri Concilii Baſilienſ.

Init.

Init. Magiſter quidam honorabilis.

Cod. Can. 68. f. 191. p. 2.

Deſcribit impreſſionem a Turcis in Tranſilvania factam ejusque depopulationem.

1438.

Octobr. 6.

Anonymi Epiſtola ſcripta ad Archiep. Trevirenſem ex populari ſermone in Latinum verſa, in qua narrat geſta Romanorum Regis & Catholicorum adverſus Huſitas in Boemia.

Init. Notifico vobis quod Romanorum rex divertit.

Cod. Can. 68. f. 191. p. 2. ibid.

1438.

Cedula oblata Legatis Concilii a Diæta Nurenberg: ſuper mutatione concilii ipſius in alium locum.

Init. Primo per ſacrum concilium.

Cod. Can. 68. f. 426.

Deliberatio Legatorum ad ſuperiorem Cedulam.

Init.

Init. Videtur Dominis deputatis.
ibid. f. 426. p. 2.

1438.
Decembr. 5.

Rationes quibus deputati ſacri Concilii prædicti moti ſunt ut cedulam ſuam ita prout jacet aviſarent.

Init. Veneris quinti Decembris.
Cod. Can. 68. f. 427.

Articuli a deputatis pro pace cum concilio & Papa ſancienda propoſiti.

Init. Videtur Dominis deputatis.
Cod. Can. 68. f. 441.

1438.

Proteſtatio Nationis Germanicæ facta in concilio Conſtantienſi contra Cardinales ut non accelerent electionem Papæ antequam facta eſſet reformatio capitis & curiæ papalis cui neceſſario electio futura inniti habeat.

Init. Multotiens & iteratis vicibus.
Cod. Can. 68. f. 332.

1438.

1438. f.

Universitatis Vindobonensis responsum pro Concilio Basiliensi adversus neutralitatem alia manu scriptam.

Cod. Can. 67. f. 60. (302.)

1439.

Febr. 18.

Concilii Basiliensis Litteræ ad Episcopum Wormatiensem. Petit, ut in eos, qui Ludovicum de Roma ex legatione ad Concilium redeuntem ex itinere retraxerunt & in custodiam tradiderunt animadvertat, & Georgium quidem de lapide Canonicum Wormatiensem pro qualitate culpæ salutari correctione percellat &c.

Init. Dudum considerantes, quod aliquos noxiæ voluntatis.

Cod. Can. 68. f. 334.

1439. f.

Oratio unius ex Legatis Concilii Basiliensis ad Albertum Romanorum Regem nuper designatum, qua Patribus Legationem renuntiat.

Init.

Init. Niſi explorata mihi eximia veſtra atque.

Cod. Can. 68. f. 335.

1439.

Martij 26.

Modus & exceptiones memoratæ acceptationi a Legatis Regiis & Principibus adjectus.

Init. Nos Oratores Rom. Regis, Principes Electores.

Cod. Can. 62. f. 163. p. 2.

1439. f.

XLI Concluſiones cum probationibus adverſus Eugenium Papam poſitæ a Deputatione fidei Concilii Baſilienſis.

Init. Veritas de poteſtate concilii.

Cod. Can. 68. f. 450. p. 2.

1439.

Junij 29.

Nationis Germanicæ Literæ ad Albertum Rom. Regem ſignificant Eugenio Pontificatum abrogatum fuiſſe, quemadmodum ex relatione Joanis Epiſcopi Lubicenſis,

censis, sui in Concilio legati, plenius intelliget.

Init. Pridem sacrum Basiliense Concilium ut videat.

Cod. Can. 69. f. 441. ibid.

1439.

Julij 30.

Literæ in quibus Fridericus Cilicæ comes Joannem Karschaw Licentiatum in decretis, familiarem, domesticum, continuum commensalem procuratorem & consiliarium suum creat.

Cod. Theol. 205. f. 261. p. 2.

1439. f.

Eugenii Papæ Litteræ ad Fridericum Ciliæ Comitem, in quibus collaudato ejus erga se et apostolicam sedem studio ad constantiam hortatur, &, ut Albertum Rom. Regem in eandem sententiam inducat, petit.

Init. Magna dudum nos afficit animi.

Cod. Theol. 205. f. 263. p. 2.

1439.

1439.

Aug. 6.

Mandatum Generale ad lites, ſingulatim ad litem quam de decimis in Tſchankenthurn colligi conſuevit Friderico comiti Ciliæ movet Præpoſitus & Capitulum Eccleſiæ Zagrabienſis, datum Joanni Karſchaw.

Init.

Cod. Theol. 205. f 261. p 2. ibid.

Formula examinis teſtium & alia ad litem de decimis modo memoratam pertinentia.

Ibid. f. 264.

1439.

Octobr. 27.

Joannis Joffridi de Luxovio decretorum doctoris Prioris de Arboſio Biſuntinæ Dioeceſ. oratio in funere Alberti Regis Romanorum Florentiæ in concilio oecumenico habita A° 1439. die 7. Menſis Decembris.

Init. Egreſſus a filia Syon.

Cod. Th. 205. f. 48. p. 2. & Cod. Jur. Civ. 180. f. 261. p. 2.

1439.

1439.

Allocutio, vel Libellus Nomine Friderici Ciliæ Comitis Eugenio Papæ IV. oblatus in quo Basiliensium adversus ipsum molimina reprobat, seque in fide & obedientia erga eundem constantem fore pollicetur.

Init. Existimat certe beatissime.

Cod. Theol. 205. f. 259.

1439.

Protestatio seu edictum neutralitatis a Theodorico Archiepiscopo Coloniensi propositum.

Init. Gravi dudum inter sacrum.

Cod. Can. 69 f. 133.

1440. ut videtur.

Narcissi Hertz de Perching S. Th. Magistri in universitate Wiennensi breve responsum pro Concilio Basiliensi.

Init. Circa materiam unionis.

Cod. Can. 111. f. 109.

1440. ut videtur.

Resſponſum Doctorum Juris Canonici univerſitatis Wiennenſis pro concilio Baſilienſi.

Init. Diverſis in divina & humana lege.

Cod. Can. 111. f. 104.

1440.

Allocutio Italicæ nationis nomine ad Concilium Baſilienſe habita, in qua mirifice laudat Synodum ob abrogatum Eugenio IV. pontificatum & proteſtationem contrariam, quæ ejusdem nationis nomine interjecta fuerat, non agnoſcit.

Init. Gratia vobis & pax reverendiſſimi.

Cod. Can. 62. f. 101.

1440.

Propoſitio miſſa ad unum de Principibus Electoribus Imperij a Thoma de Lemugſtori Abbate in Scotia & Michaele Waldenwini Præpoſito Tricaſtrenenſi legum Doctore & ſacræ paginæ Baccalaureo Felicis V. & Baſilienſis ſynodi oratoribus.

Init.

Init. Cum adverſus Sanctam Synodum.

Cod. Can. 69. f. 265.

1440. Martij.

Wladislai Poloniæ Regio & Ungariæ deſignati literæ ad Eug. Papam IV. cui gratulatur de Græcorum Armenorumque reductione ad unionem & obſequium, ſeque poſt obitum Alberti Rom. & Ungariæ Regis, Regem Ungariæ factum ſignificat.

Init. Recenti adhuc tenemus memoria.

Cod. Theol. 205. f. 302. p. 2.

1440.

Wladislai ejusdem literæ encyclicæ ad Magiſtrum Pruſſiæ, Duces Sileſiæ aliosque Principes amicos ſuos ejusdem argumenti, id eſt de regia dignitate a proceribus Ungariæ ſibi delata.

Init. Quia pro mutua noſtre benevolentia.

Cod. Theol. 205. f. 303. p. 2.

1440.

Epiſtola cujusdam in Romana curia advocati ad Fridericum Rom. Regem cui operam

h 2 ſuam

ſuam defert in rebus quæ emergere poſſent & in fidem ac clientelam ejus ſe tradit atque committit, addens ſe ad celebrandum Alberti deceſſoris ejus Nomen ſcripſiſſe librum in quo omnia quæ cum Græcis religioſiſſime geſta, tractata, disputata ac conventa, concluſa firmatave ſunt adſcripſit, nullo addito vel deminuto ex his, quæ a die prima qua advenerunt usque ad diem receſſus egerunt, eiumque Librum ſi illi gratum fore intellexerit, per fidum nuntium ſe miſſurum ſcribit.

Init. Cum regiæ dignitatis dudum.

Cod. Theol. 205. f. 308. p. 2.

1440.

Maij 17.

Nationis Germanicæ Literæ ad Felicem V. hortantur ut cito ad concilium veniat, & Rudolfo cauſarum Çameræ Concilii Baſilienſis ejusdem Nationis membro ad eum ablegato fidem faciat.

Init.

Init. Quanto devotionis desiderio.
Cod. Can. 69. f. 442.

1440.

Forma visa & concordata per deputatos super provisione Dni nostri Papæ Felicis V. tradenda & exhibenda sacris deputationibus.

Init. Apostolicæ dignitatis sublimitatem.
Cod. Can. 68. f. 454. p. 2.

1440.

Oratio nomine Conradi de Windsberg Concilii Basiliensis Protectoris nec non S. R. I. Camerarii hæreditarii ad Felicem V. nuper designatum habita, qua ei legatus & Pontificatum gratulatur & ut celeriter Basileam se conferat hortatur.

Init. Optassem Beatissime Pater.
Cod. Can. 68. f. 336.

1440.
Aug. 16.

Decreta synodi Aschaffenburgensis de modo, quo Prælati Ecclesiarum populos sibi

commiſſos regere debeant, donec ſtatutum fuerit cui parti ſit adhærendum Eugenio an Conc. Baſil. confer Patricium Cap. LXXIII.

Init. Placuit conventioni Aſchaffenburgenſi. Cod. Can. 68. f. 330. p. 2.

1440. f.

v. 1447.

Tres bullarum formulæ a Legatis Principum Electorum S. R. I. Baſilienſi ſynodo oblatæ quarum prima eſt Bulla certificationis concilii Baſilienſis de futuro Concilio convocando & ſe transferendo, quam Electores a dicto concilio petunt.

Init. Ad Laudem omnipotentis Dei.

Altera.

Bulla proviſionis ne fiat impoſitio quinti denarii & ne Dominus Felix Papa præſideat.

Init. Cum jam dudum hæc ſancta ſynodus.

Tertia.

Bulla proviſionis ſuper gravaminibus nationis Germanicæ.

Init.

Init. Ecclefiafticæ folicitudinis ftudio.

Cod. Can. 69. f. 14.

1441.

Avifamenta in Conventu Moguntino Principibus propofita pro pace Ecclefiæ quæ cautiones fint adhibendæ declarabitur a natione Germanica cui parti fit adhærendum.

Init. Millefimo quadrugenteffimo quadragefimo primo Moguncia in materia.

Cod. Can. 69. f. 148.

1441.

Sermo factus in commemoratione depofitionis quondam fereniffimi Principes Alberti Regis Rom. Florentiæ 1441.

Init. Non cogitabam apud me.

Cod. Theol. 205. f. 59. & 305.

1442.

Refponfum facultatis Theologicæ Studii Wiennenfis pro Concilio Bafilienf.

Init. In primis dicimus quod.

Cod. Can. 111. f. 88.

1442.

Archiep. Trevirensis ad Frid. Imp. literæ commendatitiæ mercatoris de quo in superioribus literis.

Cod. Can. 62. f. 194.

A. Mercatoris modo memorati Epistola in qua opem Archiep. Trevi. implorat.

Ibid. f. 194.

1442.

Julij 4.

Friderici Rom. Regis Literæ ad Franciscum Foscari Ducem Venetiarum commendatitiæ mercatoris de quo supra, ut reparationem damni consequatur.

Init. Sua nobis nuper A. olim mercator.

Cod. Can. 62. f. 193. p. 2. ibid.

1442. f.

A. Mercatoris Trevirensis Diæces. querelæ ad Venetos delatæ de damno, quod passus fuerat submersa culpa nautarum, nave vino malvatico aliisque mercibus onerata.

Cod. Can. 62. f. 193. p. 2.

1443.

1443.

Avisamentum regum pro via pacis & unionis Ecclesiæ media in sacro Basil. Concilio deducenda.

Init. In primis congrue rebus agendis.

Cod. Can. 69. f. 103. p. 2.

1444. Aug. ult.

Casparis Slickii Epistola ad Antistitem quemdam varii argumenti.

Init. Scribit mihi crebro R. R. V.

Cod. Can. 69. f. 110. p. 2.

1445.

Casparis Slickii Epistola, cujus mentio superius facta.

Init. Ex litera, quam majestas Regia.

Cod. Can. 69. f. 112. p. 2.

1445.

Maij 6.

Vicentii Guesnensis Archiep. & Primatis literæ ad Thomam de Strzumpo mittit ei Exemplum literarum Slickii Cancellarii Friderici Rom. Regis ad magnum Magistrum

ſtrum Pruſſiæ, quibus eum invitat ad conventum ſub feſtum S. Viti in opido prope Francof. celebrandum.

Init. Noverit F. V. quod die heſterna.

Cod. Can. 69. f. 112.

1447.

Septemb. 25.

Felicis V. literæ ad Cardinales Baſileæ exiſtentes certiores eos facit declaratæ a ſe voluntatis Papatui ſe abdicandi monetque ut de translatione mutatione loci, aut diſſolutione Concilii ſe inſcio nihil decernant.

Init. Ultra literas provocationis & alias oblationis.

Cod. Can. 69. f. 22.

1448. f.

Caroli VII. Galliæ Regis Epiſtola ad Joannem Cardinalem S. Angeli in Germaniam Legatum. Hortatur eum ut mandatam ſibi a Nicolao V. cum Principibus Germaniæ tractationem de Generali Concilio

con-

convocando eo usque differat quo ad parata jam & proxima Ecclesiæ pax sarciatur.

Init. Magno semper optamus desiderio.

Cod. Can. 69. f. 25. p. 2. ibid.

1448. f.

Anonymi ad anonymum Epistola bene longa Vindobona scripta in qua eum de gestis Legati Pontificis Nicolai V. de tractatione cum Ungaris de legatis Basiliensium ad Fridericum missis excusationem afferentibus cur regiis mandatis de tollendo & aufferendo salvo conductu iis, qui adhuc Basileæ Concilii causa commorantur parere non possint, & de nonnullis ejus temporis eventis.

Init. Memor. pauperis discipuli Socratis.

Cod. Can. 69. f. 26.

1448.

April. 8.

Friderici Imp. diploma nobilitationis Henrici Hartkesen de Montenaken artium & Medicinæ Doctoris & S. Theologiæ Baccalau-

calaurei formati, nec non ejus nepotis Henrici Ferch.

Init. Sceptrigera Romanæ Regiæ.

Cod. Can. 62. f. 196. p. 2.

Ejusdem literæ commeatus ejdem Henrico Hartkeſe traditæ eodem loco & anno d. 7. Menſis Aprilis f. 197.

Recognitio ſuperioris diplomatis.

Ibid. fol. 197.

Sufficiat interim ſequens

ELEN-

ELENCHVS CHARTARVM.

V.

XII.

XVIII.

Tu, interim, Lector amice! laboribus hisce nostris pro bono Ecclesiæ & Imperii susceptis fruere & vale. Dabam Moguntiæ e Musæo tertio Kalendas Septembris MDCCLXXV.

I. AL-

I.

ALBERTI II. ROM. REGIS CONSTITVTIO DE ACCEPTATIONE DECRETORVM CONCILII BASILIENSIS CVM CERTIS MODIFICATIONIBVS. *)

Albertus D. G. Romanorum Rex &c. ſemper Auguſtus &c. univerſis preſentes litteras inſpecturis ſalutem &c. Inſcrutabilis Divine altitudinis providencia per quam Reges regnant & legum conditores juſta decernunt, poteſtatem regiam ad hoc inter cetera ordinavit in terris, ut Eccleſiam ſanctam Chriſti ſponſam ejusque precioſo ſanguine fundatam ipſiusque miniſtros fideliter protegat & defendat, nec non ſanctorum Patrum decreta pro inſtruendis reformandisque eorum moribus ſalubriter edita ſinceriter exequi illibateque obſervari faciat, atque ideo ſingulariter ipſius Eccleſie Advocatus dici meretur. Cum itaque ſacroſancta Univerſalis ſynodus Baſileenſis in Spiritu S. legitime congregata univerſalem eccleſiam repreſentans

*) Vid, Tom, VII, Subſidior. Diplom. nro. XLII.

animadvertens in Ecclesia Dei difformitates nonnullas passim indies excrescere, moresque turpissimos eandem multipliciter inficere, cunctis palam curavit ingerere monita salutis ac contra hujusmodi, quantum cum Deo potuit, efficaciter providere, maxime cum inter alia precipua ob hoc extitit convocata, certa decreta certasque ordinationes statuta solempnia fecit & condidit, que per suos oratores & Nuncios Nobis & nostri Regni Romani Electoribus Principibus ac proceribus presentari fecit & exhiberi, Nosque ac ipsos cum plurima devocione & instancia exhortando, requirendo & obsecrando, quatenus hujusmodi decreta statuta & ordinationes ob causas premissas facta & condita recipere ac ea per nationem Germanicam observari facere dignaremur. Nos autem viam tuciorem & Deo graciorem eligere volentes habita desuper Nostri magni consilij deliberacione Archi Episcopos & proceres nostros Romani Imperij Electores aliosque Episcopos & Prelatos nec non divini & humani juris Magistros & Doctores in civitate Moguntina convocavimus, ibique recensitis & ad memoriam reductis origine nascentis Ecclesie ac religionis Christiane, devocione sacrorumque canonum & decretorum saluberrima edicione tam super felicis regimine status Ecclesiastici, quam super eleccionibus modisque ipsius ministros assumendi, eorumque ac ceterorum salutari direccione, qui quamdiu observati fuerant, Ecclesia Dei profectus honoris & honestatis felici ubertate produxit, discipline ecclesiastice vigor perstitit ac religio,

ligio, pietas & caritas effloruerunt, anime hominum in pace pacis auctorem excoluerunt. ſed proch dolor, dampnate ambicionis improbitas & deteſtande cupiditatis inſtabilitas humanitatis jura violans ipſa ſalutifera ſanctorum & antiquorum Patrum decreta paulatim cepit deſerere etiam & contempnere, pedetemptimque in vicia ruere. Subſecute ſunt exinde morum corrupciones atque difformitates ſtatus Eccleſiaſtici, dehoneſtaciones ac uſurpaciones graviſſime & preſertim per dignitatum aliorumque beneficiorum, reſervacionum graciarum expectanciarum innumeras multiplicaciones aliaque graviſſima & inportabilia onera, quibus Eccleſie noſtre deciſiones & preſertim Germanice nationis graviter afflicte, oppreſſe & fere ad exinanitionem redacte conſpiciuntur. Que omnia & ſingula alia quam plurima & ex premiſſis colligibilia incommoda divine credenda ſunt diſplicere voluntati, quin ymo in grave noſtri regni & Nationis Germanice verſantur prejudicium & gravamen, unde amplius absque Dei offenſa etiam conſcientijs ſtimulantibus diſſimulari non poſſunt, quare prefata decreta ſacre Baſileenſis ſynodi ſuper predictorum correccione & reformacione proviſionem congruam afferencia aliqua ſimpliciter prout jacent, alia vero cum certis modificationibus & formis, non quidem quod heſitamus de poteſtate ipſius ſacri Concilij condentis, ſed quatenus commoditatibus temporibusque & moribus prefate nationis Germanice convenire videntur, prout inferius annotatur illico & indilate cum omni reve-

rencia & devocione recipimus & acceptamus. quorum Decretorum tenor ſequitur: — (vide Nrum XLII. qui hic inſertus legitur.) Nos igitur *Albertus* Romanorum Rex & ſemper Auguſtus una cum Venerabilibus Archi Epiſcopis aliisque illuſtribus Principibus S. R. I. Electoribus nec non alijs Archi Epiſcopis & Prelatis noſtre Germanice Nationis, ne hujusmodi ſaluberrima decreta tanquam neglecta & ſpreta habeantur, quemadmodum ſecundum ea que memoravimus retro haberi viſa ſunt in Dei offenſam, animarum periculum ac univerſalis ecclesie & ſtatus eccleſiaſtici vituperium nec non enervacionem penitus eorundem, ſacroſanctam Generalem ſynodum Baſileenſem in Spiritu S. legitime congregatam univerſalem Eccleſiam repreſentantem tam humiliter quam devote rogamus & hortamur, quatenus ipſa hec decreta, quemadmodum ſupra deſcriptum eſt, in quibusdam ſuis articulis declarata & modificata ſeu limitata, prout noſtre Germanice Nationi ſunt proficua, nec non dioceſanis locorum cum eorum ſubditis in gradibus predictis contrahere volentibus ſeu qui ignorantes hujusmodi gradus jam contraxerunt, diſpenſandum & a predicta excommunicatione abſolvendum, facultatem concedere ſtatuta & abuſus hujusmodi tollere novaque rationabilia ſtatuere, aliaque certa premiſſa neceſſaria, ut prefertur, diſponere & ordinare ac alias caritative deſuper providere, eaque ſic ordinata & declarata in Germanica Natione perpetuis futuris temporibus efficaciter exequi & inviolabiliter dignetur facere obſervari,

ſervari, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis privilegijs indultis exempcionibus & quibusvis alijs auctoritate Apoſtolica vel alterius cujuſcunque ſeu alias motu proprio ſub quacunque verborum forma vel expreſſione conceſſis ceterisque contrarijs quibuſcunque, decernendo nichilominus irritum & inane, ſi ſecus ſuper premiſſis etiam per Romanum Pontificem ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari, cum penis & clauſulis opportunis ac cum invocatione, ſi opus fuerit, auxilij brachij ſecularis &c. *)

*) Licet conſtitutioni huic neque dies neque Annus reperiatur additus, aſſeverare tamen poſſumus, quod edita ſit eodem, quo decreta Baſileenſia Moguntiæ acceptata fuere anno, nempe MCCCCXXXIX. quo obijt *Albertus II.* Rex Romanorum & quidem ante vigeſimam Octobris ſeptimam.

II.

RESPONSVM UNIVERSITATIS ERFORDIENSIS.

In nomine Spiritus ſancti Paracliti Amen. Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino Domino *Theoderico* Dei gratia ſancte Maguntine ſedis Archiepiſcopo ſacrique Romani Imperij per Germaniam Archi-Cancellario, nedum per organum Venerabilis Magiſtri *Henrici Loubing* Legum Doctoris & in Decretis Licentiati ſui Cancellarij, verum etiam per litteras ſuas de & in facto cujus-

 dam

dam unionis & quarundam proteſtationum appellationumque pro bono pacis & concordie inter ſacrum Baſilienſe Concilium & olim Dominum Eugenium Papam quartum per Reverendiſſimos Patres & Illuſtriſſimos Principes ſacri Romani Imperij Electores initarum, factarum & interpoſitarum Univerſitas ſtudij Erfordenſis conſulta & preſertim Doctores Theologie, divini juris & humani Collegium ſecundum conſultationis ordinem ad duo puncta ſue conſiderationis oculum convertit. Quorum primum eſt: *an in unione, proteſtationibus appellationibus jam dictis diutius ſit reſidendum.* ſecundum: *ſi non ſed alteri parti ſit adherendum, cui earum poſſit & debeat adhereri?* quibus diligenter diſcuſſis & perpenſis eſt tota dubietas diſſoluta.

Quantum *ad primum*, quia dicte conventiones in unum proteſtationes & appellationes non ab Eccleſie vel ſedis Apoſtolice ſuccubitu vel definitione ſed potius maxima perturbatione ſuam trahunt originem & occaſionem, igitur inprimis eſt advertendum, quod quamvis Eccleſia ſancta Catholica Chriſti ſoror & unica columba nunquam non eſſe nunquam errare, nunquam etiam hereticis novitatibus ſuccumbere poſſit ut pluribus in locis ſacrorum canonum authoritates atteſtantur, ipſam tamen varijs plerumque temptationum perturbationibus permittit omnipotens Deus impugnari, quatenus videlicet intelligat cum arguitur, vincat cum leditur, ſecura ſit cum ſuperata videatur & demum in ſublime velut arca Noe conſcendat, cum tribulationum inundationibus agitatur. Ad

cujus

cujus probationem licet innumeras heresum & scismatum sectas ac persecutiones adducere possemus, omissis tamen illis pro introitu ad materiam presentem sufficit aliquas, que nostris sunt vise temporibus ecclesie scissuras & victorias recenseri. Constat enim aliquamdiu presentibus temporibus scisma quoddam Babylonico monstro difformius tres partes in Ecclesia fecisse tamque crudeliter eam perturbasse ut nisi synodus sancta Constantiensis ipsam immediata a Christo super omnes homines potestatem habere declarasset ac per hoc in sublime levasset, ex humanarum perversitatum inundationibus, visa fuisset ejus auctoritas extincta. Notum est etiam post hoc Bohemorum hereticam pravitatem tantas adversus ecclesiam perturbationum procellas erexisse, ut nisi sacra synodus Basiliensis ad ipsam extirpandam elevata fuisset, eadem ipsa pestis heretica Bohemie regno minime contenta plures adhuc alias mundi partes infecisset. Visum est subsequenter adversus ecclesiam in dicta sancta synodo Basiliensi congregatam tot motus & gravamina persecutionum & impedimentorum per ipsum tunc *Eugenium* Papam, qui primus consilia sacra venerari & stabilire debuerat, attemptatas esse & attemptata, factos & facta ut nisi potestate sua devicta ejusdem sancte synodi pretensa dissolutio per ipsum solemniter cassata & irritata fuisset, intolerabiles in ecclesia confusiones dissensiones & divisiones evenissent. sed quia cum in omnibus his adversitatibus ecclesia potestatem auctoritatem atque triumphum obtinuerit, ad pacem quoque & refor-

reformationem aliquando pervenerit, poſtremo per iteratam dicte ſancte ſynodi pretenſam diſſolutionem & ad alium locum translationem ab ipſo tunc etiam *Eugenio* Papa qui ab omnibus novitatibus gravaminibus & prejudicijs ejus deſiſtere ſe pollicitus eſt, attemptatam & factam, tanta perturbationum tempeſtas in eccleſia ſurrexit, ut non ſolum inde reformatio defectuum & pacis tranquillitas ſit impedita, verum etiam ipſius eccleſie poteſtas & auctoritas tam in corpore quam in capite diviſa videatur & ex toto deſolata, venit inde periculoſiſſima Chriſtianorum partialitas & differentia, manarunt a partibus hinc inde contraria in ſe invicem & in alios edicta & cetera ſine numero mala ſunt inde ſecuta. Quorum occaſione ſicut in hujus exordio tactum eſt, nunc ultimo Reverendiſſimi Patres & Illuſtriſſimi Principes Electores quandam unionem proteſtationes & appellationes, quibus ſtantibus neutrius predictarum partium mandata recipiuntur, inierunt & fecerunt. De quibus quidem unione, proteſtationibus & appellationibus ſi bone ſint vel predictis malis continuande & per conſequens ſi manere vel ceſſare poſſint & debeant ad preſens eſt videre. Conſiderandum eſt igitur, quod licet in harum unionis proteſtationum & appellationum factis diligenti conſiderationis intuitu penſatis, finale quidem intentum ſit ſumme bonum, medium tamen ad hoc inventum cujuſcunque gratia ſalva, videtur inconveniens & minus idoneum; eſt enim finale quo Illuſtriſſimi Principes volunt ob cujus & intentio-

nem

nem permaxime commendandi ſunt pax & concordia que quia univerſum Corpus Chriſti miſticum regit, ſtabilit & coadunat, igitur omnem ſenſum & omne bonum in rebus agendis exſuperat hujus procurationem ad debita ſuorum officiorum & Principatuum dicti Domini Principes ſpectare cognoſcentes cum ſic eccleſiam in pace tuendam a Chriſto ſuſceperint ut ſecundum ſacros Canones ſi pax ſolvitur, ille rationem ab eis exacturus ſit, qui eorum poteſtati ſuam eccleſiam commiſit vigilanter & virtuoſiſſime fidos ſuos & indefeſſos labores ad dictum finem ſanctiſſimum multis vicibus impenderunt, quibus cum nil proficere ſe conſpexiſſent ad ultimum fortaſſis per ſiniſtram vel inſufficientem informationem aliud medium predicti finis adeptionem minime conveniens & idoneum dictum videlicet in unum conſenſum qui non verius quam neutralitas appellari poteſt, acceptarunt; Cujus quidem inconvenientia multipliciter poteſt apparere primo quia ad majorem diſcordiam vel diviſionem quam concordiam & unionem tendit & per conſequens fini predicto plus adverſum quam proficuum exiſtit. primo namque cum ad unionem duarum Eccleſie partium hoc medium neutralitatis acceptum ſit periculoſiori ſciſſura totam eccleſiam in tres partes dividere videtur, tum quia prius exiſtentibus ſolum duabus partibus extremis ſacro conſilio videlicet & olim Papa *Eugenio*, nunc ſuper has eſt media ſcilicet Natio neutra Germanica que tanto cum dictis extremis in numeris poſſit, quanto non per participationem ſive per abnega-

tionem utriusque exiſtit; tum etiam quia dum ſciſma in univerſali eccleſia ne dividatur in duas partes vitari putetur in proprijs Germanie terris & Eccleſijs & ſingulis quidem particularibus collegijs in tres partes diviſa reperitur ut patet ex dictis & ſcriptis. Quibus quidam anno *Felicis* primo quidam anno *Eugenio* nono, quidam ſede vacante dicunt, ſcribunt & facta ſua conſignant. Et quilibet ex illa neutralitate poſtpoſita recta ratione & regula juſtitie ſequitur Zelum ſine ſcientia & diſcretione, qui ſecundum beatum *Bernhardum* hominem precipitat. Item cum dictum medium pro concordia Germanice nationis in ſe ſacrique Concilij Baſilienſis & ſecundum eos ſummi Pontificis inter ſe ſuſceptum ſit, ad diviſionem ejusdem nationis ab eccleſia Dei capite & corpore devenit, que diviſio eſt huic nationi multo plus mala, quam dicta duplex unio ſit bona, cum nichil ſalutis ei per ſuam vel aliorum unionem conferatur, ſi per ipſam ab hoc extra quod ſalus non eſt, dividatur. Quod autem ad diviſionem hanc periculoſam ſit deventum, oſtenditur, nam cum ſtante neutralitate dicti Domini principes ſynodum Baſilienſem ſacrum Concilium & olim *Eugenium* Papam ſanctiſſimum fateantur & appellent, cumque ſicut ſacrum Concilium repreſentat Catholicam eccleſiam, ut eſt in Concilio Conſtantienſi diffinitum, ſic Papa caput eccleſie repreſentat & ſedem Apoſtolicam, quid aliud eſt neutrius illorum edicta recipere ab utriusque mandatis appellare, quam eccleſie Dei & Apoſtolice ſedi non obedire & ex conſequenti

per

per dictam divisionem ab utrisque separari, nisi forte alterius & majoris autoritatis putaretur ecclesia quam Concilium ipsam representans & sedes Apostolica quam summus Pontifex eam representans, sed hoc non esse Felicis recordationis *Martinus* Papa quintus declarat, qui in quibusdam suis litteris Apostolicis sententias quasdam sacri Conlij Constantiensis interserens sic inquit: quecunque igitur proxime de auctoritate Ecclesie dicta sunt, trahi ad Concilium generale quod illam representat necesse est, alioquin non recta esset representatio si eadem in representante & in representato auctoritas non esset, unde si in proposito alterius & majoris auctoritatis esset representatum quam representans, quilibet rebellis contra quem Concilium aut Papa procedent, causam & occasionem tam a Concilio quam a Papa recedendi & ab eorum mandatis ad Ecclesiam & sedem Apostolicam appellandi reperiret. quod maximarum rebellionum & discordiarum esse fomentum nulli dubium esse potest. Preterea quanquam duobus vel pluribus de Papatu contendentibus licitum sit & justum obedientiam eis subtrahi & denegari, donec in futuro Concilio cui jus competat, videatur, ut ex decreto: *Frequens:* sacri Constantiensis Concilij super provisione scismatis edito collegi potest, Papa tamen & Concilio discordantibus in his maxime que pertinent ad fidem & morum reformationem, nullatenus hoc fieri licet. Cujus est ratio diversitatis, quod de Papatu contendentes partes sunt disparatæ superiorem judicem habentes videlicet

eccle-

ecclesiam, que de eorum jure poterit diffinire. Concilium autem & Papa sunt partes ordinate communem judicem superiorem non habentes, imo altera illarum partium super alteram habet auctoritatem & jurisdictionem ut in secundo Principali clarius apparebit. Igitur non neutri sed alteri earum necessario est obediendum. preterea voluntas cui soli neutram esse convenit, ut manifestum est Philosophis & Theologis, duplicem potest habere neutralitatem, primam ex sua perfectione videlicet cum clare sibi presentato objecto tam velle quam nolle suspendit propter experiri suam libertatem in volendo & nolendo; hanc neutralitatem & si Reverendissimi Patres & Principes Electores circa processus sacri Concilij Basiliensis & olim *Eugenij* Pape cum primum occurrerent, habuerint, ipsam tamen continuare per moram non potuerunt, cum alias istius neutralitatis specie mutata radix ipsius esset error rationis in objectum presentando vel malitia voluntatis in actum quem merito suspendere non deberet, suspendendo. Aliam neutralitatem voluntas potest habere ex sui imperfectione ut cum ex imperfecto discursu rationis objecto sibi imperfecte presentato tam volitionem quam nolitionem suspendit propter perplexitatem in eligendo, que quidem perplexitas triplex est secundum Doctores, una consistit in scripturis sacris exponendis & tollitur per causarum dicendi in diversis locis scripture considerationem, quia intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi secundum beatum *Hilarium*. Alia consistit

in

In agibilium & factibilium rectitudinibus cognoscendis & tollitur per sancti Spiritus unctionem que omnia agenda noscere facit 1. Johannis 2°. Tertia consistit in conscientijs erroneis exercendis & tollitur per conscientie erronee depositionem, omne enim quod fit contra conscientiam peccatum est, secundum gloss. ad Rom. XIIII°. hanc perplexitatem & per consequens neutralitatem in presenti contrarietate quam si dixerint Concilij & Pape quamvis memorati Domini Principes habere dicantur, vere tamen ipsam non habent, nec habere possunt, ex quo cui dictarum partium sacrorum canonum scripture posteriores priores declarantes deferant, ad deponendum perplexitatem primam & cui earum probabiles boni species conveniant ad deponendum secundam, ac etiamsi conscientiam erroneam habeant, eam deponere debeant contra perplexitatem tertiam ignorare non presumatur, imo verisimiliter sciant & scire teneantur, ut ex articulo sequenti latius apparebit, igitur nullo modo conveniens erit in ista neutralitate vel unione, quomodocumque nominetur, diutius residere, sed alteri partium necesse est obedire, & tantum de puncto primo.

Quantum *ad secundum:* cui parti possit & debeat adhereri & obediri, hoc nulli dubium existit, quando superiori & inferiori contraria precipientibus, preceptis superioris sit potius parendum quam inferioris, cum totum posse precipiendi sumat inferior a superiore & per consequens contra

manda-

mandatum ſuperioris precipere de jure non poſſit; nunc autem Concilium quodcunque generale de cujus ſubſiſtentia non dubitatur, reſpectu ſummi Pontificis habet ſuperioritatem & majoritatem ut infra patebit, ideo ſi probari poſſit indubitata ſacri Concilij Baſilienſis firmitas & ſubſiſtentia clare concludetur, quod ipſi & nulli ſibi adverſanti facienda ſit obedientia; ſubſiſtentia autem indubitata hujus ſacri Concilij a tempore ſue inchoationis usque huc faciliter poteſt oſtendi, nam quod a tempore ſue inchoationis usque ad iteratam ipſius diſſolutionem ſeu translationem pretenſam in *Ferrariam* anno Domini MCCCCXXXVII. de menſe Octobris per tunc Eugenium ſummum Pontificem attemptatam & factam & etiam poſtea incluſive usque ad dietam per ſepe dictos Dominos Principes Electores ex poſt Anno Domini MCCCCXXXIX. de menſe Martij Maguntie celebratam ipſius firmitas & ſubſiſtentia nullum dubium habuerit, ſic probatur: nam omnibus conſiderate volentibus eſt notum, quod non ſolum auctoritate Duorum Pontificum Romanorum, primo videlicet Domini *Martini*, ſecundo tunc Domini *Eugenij*, verum etiam ſancte matris Eccleſie in ſacro Conſtantienſi Concilio congregate Concilium hoc Baſilienſe eſt inchoatum atque ſtabilitum. Conſtat etiam quod ex poſt longo tempore non obſtante pretenſa diſſolutione, quam pro tunc Eugenius Papa contra decreta Concilij Conſtantienſis attemptavit atque fecit ipſum in civitatem Bononienſem commutando, rite fuit continuatum, unde & ipſam diſſolutionem

preten-

pretenſam ſolemniter & publice de Concilio & aſſenſu ſex Cardinalium tunc ſecum exiſtentium irritam & inanem declaravit, ipſumque Concilium a tempore ſue inchoationis legitime continuatum fuiſſe proſecutionemque ſemper habuiſſe & habere debere perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet decernens ei pure & ſimpliciter cum omni devotione adheſit promittens, quod deinceps a novitatibus, gravaminibusque ſeu prejudicijs eidem vel ſuppoſitis ejus inferendis realiter & cum effectu deſiſtere vellet; hoc inquam, tempore Dicti Domini Principes nihil heſitantes obedientiam ſuam atque juramenta per ſe vel ſuos oratores ſeu legitimos procuratores ipſi ſacro Concilio preſtiterunt prout & nos per noſtros Doctores nomine noſtre Univerſitatis incorporatos preſtitimus, de quibus neſcimus, qualiter & quomodo, ſi, quod Deus avertat, a Concilio receſſerint, excuſentur. Ex poſt etiam in Dieta Maguntinenſi prefata jam dicta pretenſa diſſolutione facta ſacri Concilij decreta certo modo acceptanter, nihil de poteſtate ipſius heſitaverunt ut in litteris ſuper acceptatione eorundem confectis plenius continetur in hec verba: Quare prefata decreta ſacri Baſilienſis Concilij ſuper predictorum correctione & reformatione proviſionem congruam afferentia aliqua ſimpliciter prout jacent, alia vero cum certis modificationibus & formis, non quidem quod heſitemus de poteſtate ſacri Concilij condentis, ſed quatenus commoditatibus temporibus & moribus prefate nationis Germanice convenire videntur, prout inferius annotatur,

tatur, illico & indilate cum omni reverentia & devotione recepimus & acceptavimus. ex quibus concluditur quod usque tunc auctoritatem ipsius sacri Concilij Basiliensis in dubium vertere non potuerint. Quod etiam post istam dietam & dissolutionem usque hodie de firmitate & subsistentia sacri Concilij Basiliensis nullus rate considerare volens potuerit habere dubitationem sic ostenditur; quia aut hec dissolutio seu ad *Ferrariam* translatio facta est & creditur a solo pro tunc Eugenio Papa contra Concilij consensum aut non, si sic iterum de subsistentia & firmitate Concilij non potest dubitari, cum illa dissolutio non teneat Decreto *frequens* sacri Concilij Constantiensis dicente, quod Concilium in illo loco celebrari debeat, quem summus Pontifex per mensem ante finem cujuslibet Concilij approbante & consentiente Concilio nominaverit vel in ejus defectum ipsum Concilium deputare & assignare teneatur; si igitur Concilium in suam dissolutionem non consensit, sequitur quod adhuc in *Basilea* permanens & firmum sit. si autem hec dissolutio seu translatio non a solo pro tunc Eugenio Papa contra Concilij consensum sed cum aliquarum Concilij partium consensu facta est, aut ergo consenserunt ad hoc cujuslibet deputationis due partes & subsequenter totius congregationis Generalis due partes votis singulorum scrutatis aut non potest dici quod sic, cum hoc in litteris tunc *Eugenij* Pape super dissolutione predicta confectis minime reperiatur super quo tamen totaliter ipsa dissolutio si valeret, fundaretur; etiamsi sic

nullus

nullus in dubium vertere poſſet Concilium eſſe diſſolutum & translatum ſecundum formam in Decreto ſeſſionis undecime traditam & per conſequens male ſubtraheretur vel ſuſpenderetur obedientia *Eugenio*, qui ut ſic eſſet Papa. ſi vero non conſenſerunt in iſtam diſſolutionum & generalis congregationis partes ſed pauciores, iterum iſta diſſolutio non tenet, imo nulla eſt, ut patet ex decreto jam dicte undecime ſeſſionis ſic dicente: ſtatuitque hec ſancta ſynodus ex certis & rationabilibus cauſis ut preſens Baſilienſe Concilium per neminem etiamſi papalis fuerit dignitatis diſſolvi aut de loco ad locum mutari poſſit, niſi de expreſſo conſenſu duarum partium cujuslibet deputationis votis ſingulorum ſcrutatis ſubſequentique approbatione duarum partium congregationis generalis ſimiliter ſcrutatis votis, ac demum in ſeſſione publica facta declaratione, quod quidem decretum cum omnibus alijs in imitatione prime diſſolutionis pro tunc *Eugenius* Papa ſacrum Concilium Baſilienſe a tempore ſue inchoationis legitime continuatum fuiſſe & eſſe proſecutionemque ſemper habuiſſe, continuari ac proſecutionem habere debere ad hereſum extirpationem, populi Chriſtiani pacem ac generalem reformationem eccleſie in capite & membris & pertinentia ad ea perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet declarans pure & ſimpliciter acceptavit. ſequitur ergo quod adhuc Concilium firmum ſubſiſtat, nec valet dici quod & ſi non per conſenſum plurium partium ſit diſſolutum, quod tamen per conſenſum ſanioris partis diſſolu-

tum eſt, ipſum ſtare non poteſt; nam ſi hoc ſufficeret, cum inde per maximas diſſenſiones & contentiones oriri poſſe non dubitaretur, niſi quod partes eſſent ſaniores foret diffinitum, tum hic ad ſuperiorem judicem recurſus haberi non poſſit, ſacrum Conſtantienſe Concilium in decreto ſuper cavendis ſcismatibus edito hoc indubie caviſſet, ſed quia non cavit, igitur decreto undecime ſeſſionis ſacri Concilij Baſilienſis ſtandum eſt, quod ad diſſolutionem & translationem Concilij pluralitatem partium ſecundum dictam formam requiri dicit, etiam cum alias regulariter pro pluralitate preſumatur, multo fortius in Congregatione Concilij generalis in Spiritu ſancto collecti, ubi acceptio perſonarum minime locum habere videtur, ſequitur ergo ut, preſens quod Baſilienſe Concilium adhuc ſtet, indubitatum. ſi autem dictum fuerit, dubium eſſe an per plurium aut pauciorum partium conſenſum Baſilienſe Concilium ſit diſſolutum & translatum, iſtud dubium quod eſt de facto, cujus informationem quilibet ex authenticis notariorum vota conſcribentium inſtrumentis dubitans faciliter habere poteſt, igitur illud neminem excuſabit de ignorantia firmitatis ſacri Baſilienſis Concilij, imo ſi fama diſſolutionem Concilij predicaret, adhuc in iſto dubio magis pro Concilio preſumendum eſſet quod in dubio pro ſententia judicis preſumendum eſt. Concilium autem in hoc & quocunque alio caſu pro judice habetur; etiam cum ipſum Concilium eo invito non poſſet a Papa diſſolvi juxta prius allegata, multo minus propter

famam

famam diſſolutionis ipſo conſtanter contradicente & ſe continuante, poteſt a quocunque ſaltem recte volente judicare credi diſſolutum eſſe. Firmitate igitur & ſubſiſtentia hujus ſacri Concilij Baſilienſis ſic oſtenſa ut finaliter videatur cui ſit obediendum, juxta illud quod in principio hujus articuli promiſſum eſt, ſuperioritas & majoritas ſacri Concilij reſpectu ſummi Pontificis ſic probatur. Quamvis enim Papa vel ſummus Pontifex ſit adeo principalis Eccleſie vel in eccleſia pars, quod nullum Eccleſie membrum aut particulare Concilium ſit eo principalius & majus aut eque principale & magnum cum eo, prout hoc omnes ſanctorum auctoritates de poteſtate Pape loquentes intendunt, totam tamen eccleſiam aut generale Concilium ſubſiſtens & firmum majus & ſuperius eſſe Papa in ijs que pertinent ad fidem, ſciſmatum extirpationem & generalem morum reformationem, nullus Catholicus intelligere volens poteſt dubitare, hoc enim Eccleſie univerſalis auctoritas in ſacro Conſtantienſi Concilio declaravit & ſacra Senenſis & Baſilienſis ſynodus innovavit in hec verba: quod ipſa ſynodus in Spiritu Sancto legitime congregata generale Concilium faciens & eccleſiam militantem repreſentans poteſtatem immediate a Chriſto habet, cui quilibet cujuſcunque ſtatus aut dignitatis etiamſi papalis exiſtat, obedire tenetur in ijs que pertinent ad fidem & extirpationem ſciſmatis & ad generalem reformationem Eccleſie Dei in capite & in membris. Item declarat quod quicunque cujuſcunque ſtatus vel dignitatis etiamſi papalis exiſtat,

ſtat, qui mandatis, ſtatutis ſeu ordinationibus aut preceptis hujus ſacre ſynodi & cujuſcunque alterius Concilij generalis legitime congregati ſuper premiſſis ſeu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit niſi reſipuerit, condigne penitentie ſubjiciatur & debite puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia ſi opus fuerit recurrendo, Que quidem univerſalis Eccleſie declaratio quamvis ſola ſufficeret ad probandum ſummam in terris ſacrorum Conciliorum auctoritatem, pro majori tamen iſtius confirmatione, quod dictum eſt etiam reſiduum eccleſie corpus non computato, Papa ſi contrarius eſſet hanc auctoritatem habere, poteſt adduci ratio experientia & auctoritas. Ratio primo dictat hoc, nam cum Papa poſſit errare, reſiduum corpus Eccleſie ſynodaliter congregatum errare non poteſt in ijs, quæ fidei ſunt & morum & in pertinentibus ad ea, cum in talibus a Spiritu Sancto regatur ut colligitur Actuum XV°, ubi dixit Concilium Apoſtolorum: viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, unde & Chriſtus eccleſiam, quam ſuo pretioſo ſanguine fundavit, tanta gratia dotare dignatus eſt, ut non poſſe errare, quod ſoli Dei proprium eſt natura, competat & eccleſie privilegio, Experientia demonſtrat hoc idem, ſepius enim compertum eſt Papam erraſſe, reſiduo eccleſie corpore recte ſentiente, Papa vero recte ſentiente reſiduum totum corpus erraſſe nunquam eſt compertum qua propter & corpus eccleſie nonnunquam caput ſuum Papam correxit, depoſuit, condemnavit, nunquam vero

Papa

Papa residuum Corpus correxit & condemnavit; Auctoritas sancta confirmat hoc idem, nam Christus cum dixit: si peccaverit in te frater tuus dic Ecclesie, quem si non audierit, sit tibi ethnicus & publicanus, nomine fratris si peccaverit, omnes homines comprehendit, quia cum tunc *Petro* loqueretur, etiam Papam inclusit, quem & inclusum esse *Paulus* ostendit, qui *Cephe* cum reprehensibilis esset coram omnibus in faciem resistebat, unde & Ecclesie universalis auctoritas in Constantiensi Concilio declaravit, quod peccata summorum Pontificum circa fidem, scisma vel mores dici possunt Ecclesie, cujus preceptis & ordinationibus obedire si contempserit condigne penitentie subiciatur ad alia juris subsidia recurrendo, preterea quamvis Christus uni dixerit homini quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in coelis & quodcunque solveris super terram erit solutum & in celis, ut secundum Doctores sanctos unitatem ecclesie designaret, in his tamen verbis ecclesia ligandi & solvendi potestatem a Christo suscepit; imo immediate ut sancta synodus Constantiensis declaravit, uti supra; nam *Petrus* quando claves in verbis istis accepit ecclesiam sanctam significavit ut inquit Beatus *Augustinus* super Johannem. ad idem preter has sacre scripture auctoritates testimonia sanctorum Patrum & Doctorum possunt adduci. Beatus enim *Celestinus* Papa in epistola ad synodum Ephesinam dicit, eam reverentiam exhibendam esse Concilio, que sanctorum Apostolorum Collegio debetur & non immerito nam & Episcopi qui

hodie in Concilijs conveniunt, Apoſtolorum vices in eccleſia tenent, prout ad hoc *Urbanus* Papa in quodam Canone Beatum *Auguſtinum* allegat ſic dicentem: pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, Patres noſtri ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis nati ſunt filij, conſtituti ſunt Epiſcopi; hodie enim Epiſcopi qui ſunt per totum mundum inde nati ſunt, ipſa eccleſia patres illos appellat, ipſa illos genuit & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum, non te ergo putes deſertam quia non vides *Paulum*, non vides *Petrum*, quia non vides illos per quos nata es, de prole tua crevit tibi paternitas, pro patribus tuis nati ſunt tibi filij & conſtituit eos pro patribus ſuis Principes ſuper omnem terram, & ſicut Epiſcopi locum tenent Apoſtolorum, ſic alij presbyteri locum tenent ſeptuaginta duorum diſcipulorum ut inquit *Anacletus* Papa in quodam canone. Quia ergo tanta eſt Conciliorum auctoritas, *Celeſtinus*, qui ſummus Pontifex fuit, fidem ſuam ad ſacrum Concilium tanquam ad conſpectum Dei in epiſtola, ubi ſupra, ſe perferre fatetur dicens: Credo beatam ſancte Trinitatis Deitatem huic ſacro intereſſe Concilio & ita tanquam in conſpectum Dei in medio veſtri fidem meam protuli. Beatus etiam *Auguſtinus* contra epiſtolam Fundamenti Conciliorum auctoritatem comparat imo preferre videtur Evangeliorum auctoritati dicens, ſe Evangelio non credere niſi auctoritas eccleſie ipſum commoveret. Beatus *Hieronymus* in diſputatione contra Luciferianum auctoritatem Conciliorum ſoli comparat, quo diſputationum omnium & argumenta-

mentationum contrariarum rivuli ſiccantur. Beatus *Gregorius* Conciliorum auctoritatem ita ſuſcipit & veneratur ut cunctas perſonas quas veneranda Concilia reſpuunt ipſe reſpuere & cunctas quas venerantur ipſe ſimiliter ſe amplecti fateatur. Et licet hoc de quatuor Eccleſie Concilijs dicatur, eadem tamen auctoritas, poteſtas & ratio in omnibus fundatis Concilijs exiſtit dicente *Gelaſio* Papa: ſed & ſi qua ſunt Concilia a ſanctis Patribus hactenus inſtituta poſt illorum quatuor auctoritatem etiam cuſtodienda & recipienda decernimus cum iſtis ſanctorum Patrum auctoritatibus ſtant bene Canones ſonantes Papam omnes judicare & a nullo judicari, nullus enim particularis homo eſt ordinarius judex Pape judicio coactivo & compulſorio, ſacrum autem Concilium cum repreſentativum ſit totius corporis eccleſie, cujus papa eſt pars etſi caput, tamen minor pars corpore; omne enim totum eſt majus ſua parte ut communis eſt animi conceptio. Cum igitur omnia generalia fundata Concilia tante ſint auctoritatis ut ipſis pro fide & pro generali reformatione & pertinentibus ad ea congregatis, quilibet homo a minimo usque ad maximum teneatur obedire ac etiam ipſa non poſſunt errare & ſacrum Baſilienſe Concilium usque hodie fundatum & indubitatum exiſtat, ut ſupra probatum eſt, tria luce clarius inferuntur: Primum quod generali Concilio & Papa etiam exiſtente Papa diſcordantibus ſeu contraria precipientibus, Illuſtriſſimi Principes Electores & cuncti Chriſtiani relicto Papa Concilio teneantur & debeant

 obedire.

obedire. Secundum quod facro Bafilienfi Concilio & olim *Eugenio* contraria precipientibus iterum ipfi facro Concilio & non ipfi Eugenio teneantur obedire, quin imo ipfum privatum Papatu fentire poteft, nam cum facro Concilio generali reformationi ecclefie in eo pro tunc capite & in membris infiftenti fe oppofuerit & poftea cum fepe monitus & requifitus effet, ut defifteret, non deftitit, imo contumax factus continue magis & magis ipfi Concilio obedire contempferit, potuit Concilium contra ipfum ad hoc juris remedium, quod eft depofitio, procedere, videlicet ex decretis facri Conftantienfis Concilij fuperius allegatis. Tertium quod fequitur eft, quod etiam fanctiffimo Domino *Felici* in Papam auctoritate Concilij electo fepefati illuftriffimi Principes & ceteri teneantur & debeant obedire. nec aliquis putet quod dicti Domini Principes fcito & credito quod facrum Concilium Bafilienfe fit firmum & fundatum, animos fuos ab ipfius obedientia fufpendere poffint, quemadmodum quidam intentionem Principum exponentes dicunt eos non neutralitatem fed unionem quandam tenere intendiffe, per quam nec Concilio nec Pape inobedientes effe volunt, fcilicet folum animos fuos ab eorum obedientia ad tempus fufpendere, nam cum facrum Bafilienfe Concilium fit firmum tunc ex Decretis Concilij Conftantienfis ad actum externum tenentur, qui eft obedire Concilio, nam fic in Decreto Conftantienfi dictum eft, quod ipfi facro Concilio quilibet cujufcunque ftatus & dignitatis etiamfi papalis exiftat, tenetur obedire,

obedire, ergo dicti Domini Principes ad actum medium transeundo sine peccato suos animos suspendere non potuerunt aut poterunt in futurum quantumcunque etiam finis boni intuitu, quia in hoc casu non obedire est mortaliter malum, igitur pro nullo fine quantumcunque bono est eligendum, nec movere debet aliquem quod quidam objiciunt, quod multi potiores recesserunt & pauci remanserunt, nam recessus illorum nomine & non re potiorum habuit causas cauteriatas, quia enim de non episcopo factus est episcopus, de non cardinali Cardinalis, de Cardinali diacono Cardinalis presbyter & sic de alijs corruptionibus, ideo recesserunt, remanserunt tamen & remanent hodie in eodem plures quam in Concilio Apostolorum fuerunt, Ecclesia enim que non potest errare, non requirit totam multitudinem, nam *Cyprianus* in quodam Canone dicit, quod Christus dicens ubicunque fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum, ostendit non multitudini sed unanimitati plurimum tribui, nec refert ibidem existentes esse magnos vel parvos, cum Deus aliquando revelet ea parvulis que abscondit ab hujus seculi sapientibus & prudentibus; item non attendatur quod quibusdam forte motivum contra Concilium videtur, dicentibus ipsum intromittere se non potuisse vel debuisse de Officijs Romane Curie, quorum Ordinatio & dispositio ad solum Papam videtur pertinere, de quibus tamen Concilium se intromittit causas advocando & judices in singulis causis constituendo, nam quod hoc

facere possit sacrum Concilium Basiliense, maxime cum Papa visus sit ipsum contra suum consensum & voluntatem dissolvere ex his que legitime facta sunt in sacro Constantiensi Concilio probatur, in tertia enim ipsius sessione etiam ante processum contra Johannem XXIII. factum, diffinitum fuit & statutum, quod Dominus *Johannes vicesimus tertius* curiam Romanam & officia publica illius seu illorum Officiarios de civitate Constantiensi ad alium locum non mutaret aut transferret seu personas dictorum officiatorum ad sequendum eum Directe vel indirecte non cogeret sine licentia & consensu ipsius sancte synodi & si Concilium fecisset seu faceret in futurum aut aliquos processus seu mandata contradictos aut alios quoscunque sacro Concilio adherentes fulminasset seu fulminaret, esset totum irritum & inane. quia igitur istis & alijs consimilibus, que contra Concilium ab affectionatis ad alteram partem minime tamen contra firmitatem & auctoritatem Concilij facientibus allegantur, non attentis ipsi sacro Concilio pure & simpliciter est adherendum, ideo modus & via, scismata in Ecclesia Dei tollendi & cavendi est restaurare Basiliense Concilium Regum & Principum utriusque status Oratoribus Prelatis & Doctoribus ac alijs viris bonis & Deum timentibus quorum Concilijs & auxilijs Spiritu Sancto dirigente cause pie propter quas Concilium est congregatum ad salutarem effectum deducantur & fidei Christi navicula precipitio & ludibrio non exponatur. non obstantibus adversitatum perturbationibus quibus-

cunque;

cunque; quod autem hoc fieri possit & omnino sperandum sit inter Orientales iste Magnus *Origenes* super hoc verbo Evangelij: Tunc surgens Jesus imperavit ventis & mari & facta est tranquillitas magna, consolatur ad propositum nostrum sic inquiens: ideo certe facta est tranquillitas magna, ut in unum conturbati Apostoli magnifice exhilarati letarentur; dedit enim per hec omnia nobis figuram & doctrine imaginem ut & nos in omni perturbatione & contumelia patientiam teneamus, stabiles simus, fidem non deseramus, & si omnis iste mundus tanquam mare ebulliat, omnes venti & vertigines demonum undique seviant, omnes potestates maris & principatus mundi concitentur & furiant super sanctos, nolite timere, nolite conturbari, nolite tremiscere, nolite deficere, omnes enim qui in fidei & ecclesie navicula cum Domino navigatis per hunc nimirum undosum mundum supernatatis, & si ipse Dominus pio sompno dormiat vestram patientiam & tolerantiam exspectans vel impiorum penitentiam & conversionem sustinens alacriter accedite ad eum orationibus instantes atque cum Propheta dicentes: Exurge quare obdormis Domine, exurge ne repellas in finem & ipse surgens imperat ventis his aeris aerijs demonum spiritibus, omnia mitigat, facitque tranquillitatem magnam, pacem scilicet Ecclesie & securitatem mundo. Quomodo enim sepius Concilia impiorum commota sunt adversus veram & firmam Ecclesiam, aliquoties paganorum, aliquoties hereticorum, sed surgens Dominus imperavit de-

monum

monum ventis & omnes evanescere fecit audaces adversarios fidei, magnamque pacem & tranquillitatem ecclesie sue dedit. hec ille. Igitur ut concludamus, sine dubio si Reverendissimi Patres & Illustrissimi Principes Electores huic firmo & sacro Basiliensi Concilio fidei & Ecclesie naviculam representanti pure & simpliciter in Dei timore & amore adheserint, post presentium tribulationum vertigines & ventos tranquillitatem & pacem magnam in Ecclesia Dei videbunt, ad magnificam in hac vita jocunditatem & perpetuam in vita futura felicitatem, quam ipsis, nobis & omni populo Christiano Christus ipse pacis auctor concedat, qui cum Patre & Spiritu Sancto perpetue vivit & regnat. Amen.

III.

CAPITVLA INTELLIGENTIE ORATORVM REGIS ROMANORVM ET PRINCIPVM ELECTORVM &c. IN DISCORDIA SACRI BASILIENSIS CONCILII ET PAPE EVGENII ANNO DOMINI MCCCCXXXIX.

Anno Domini M°CCCC°XXXIX° convenerunt in *Maguncia* de mense Martij &c. pro sedandis discordijs inter sacrum Basiliense Concilium & Papam exortis Oratores Regis Romanorum & Electorum Imperij ac aliorum Regum de quibus infra clarius patet, quod in Capitula infra scripta convenerant, tenore quorum sacro Concilio Basiliensi

ſilienſi de menſe Maij proponebatur requirendo Concilium ut infra ſcripta Capitula adimpleret. Et hanc litteram ſive conventionem infra ſcriptam vocant ipſi Oratores mutuam Intelligentiam.

Dei gratia nos *Leonardus Pattavienſis*, *Johannes* Lubicenſis Eccleſiarum Epiſcopi, *Johannes* Abbas Scothorum in *Wienna* ordinis ſancti *Benedicti*, nec non *Theodoricus* Ebbrach Proto notarius ſereniſſimi Principis Domini *Alberti* Romanorum Regis ſemper Auguſti nec non Ungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie &c. Regis, Ducis Auſtrie, Stirie, Carinthie ac Marchionis Moravie &c. nec non *Philippus* Archiepiſcopus Turonenſis, *Johannes* Trecenſis *Swilbermus* Verdonenſis Epiſcopi, *Johannes* de monte morino Prepoſitus Lugdunenſis, *Martinus Bernerij* Decanus Turonenſis Chriſtianiſſimi Regis Francie, *Alvarus* Conchenſis Eccleſie Epiſcopus ſereniſſimorum Caſtelle & Leonis & per adherentiam Portugallie Regum, *Henricus* Liemburge Legum Doctor Licentiatus in Decretis & Prepoſitus Hilgenſtadenſis, *Johannes Witte* in Decretis Licentiatus, *Hermannus Stummel* & *Hermannus Roſenbergh* Decretorum Doctores Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini *Theodorici* Archi Epiſcopi Maguntinenſis per Germaniam, *Tirimannus Delius* Decretorum ſancti *Florini* in Confluentia, *Hinricus Herpel* Legum ſancti *Severini* in *Colonia* Prepoſiti & Doctores, *Burckardus* de *Kayda* ſacre Theologie & *Johannes* de *Lins* utriusque juris Doctores Reverendiſſimi in Chriſto Patris

tris Domini *Theodorici* Archi Episcopi Coloniensis Westvalie & Angarie Ducis per ytaliam Archi-Cancellarij, *Johannes Cinchin* utriusque juris Doctor Illustris Principis Domini *Ottonis* Comitis Palatini Reni Tutoris Illustrissimi Principis Domini *Ludovici* Comitis Palatini Reni & Archidapiferi, *Albertus Schele* dictus de *Limburg* Decretorum Doctor, Illustrissimi Principis Domini *Frederici* Ducis Saxonie & Archimarescalli, Nosque prefati Reverendissimi Patris Domini Archipresulis Maguntinensis nomine Illustrissimi Principis Domini *Frederici* Marchionis Brandenburgensis Archi-Camerarij & de ipsius mandato præfato Domino Archi Episcopo Maguntino desuper facto sacri Romani Imperij Principum Electorum *Johannes Saxe* sacre Theologie Professor Reverendissimi in Christo Patris Domini *Johannis* Archi Episcopi Saltzeburgensis, nec non Nos *Johannes* Episcopus Lubicensis præfatis nominibus Reverendissimorum Patrum Dominorum *Solterij* Magdeburgensis & *Baldewini* Bremensis Ecclesiarum Archi Episcoporum, *Matheus* Albinganensis Ecclesie Episcopus & *Franciscus* de *Barbanarijs* Illustrissimi & Magnifici Principis Domini *Philippi Marie Anglij* Ducis Mediolani &c. Oratores & Ambasiatores prefatorum omnium & singulorum Regum & Principum sacri Romani Imperij Electorum aliorumque Metropolitanorum atque Principum Ecclesiasticorum & secularium nominibus presentium tenore recognoscimus & fatemur: Quod licet ad tollendum subortum diffidium inter sanctissimum Dominum nostrum

Papam

Papam *Eugenium* & Patres ſacri Baſilienſis Concilij prefati Reges atque Principes ſuos jam dudum impenderint fidos labores, necdum ea advenerit, quam ſemper deſideravere optata concordia, tamen animis ſuis conſtituerunt ab incepto opere minime deſiſtere, ſed ea ſummo ſtudio proſequi, que & pacis & Eccleſiaſtice unionis convenientia media fore cognouerunt, ut ſic Deo Altiſſimo, cui fidele Arbitrium & obſequium ſuffragante Eccleſiam ſuam ſanctam Pacis dulcedine quandoque reflorere videant. In hac itaque civitate Maguntina ob eam rem convenientes prefatorum Regum & Principum nominibus matura deliberatione non nulla preſentibus annotavimus Capitula que tam apud prefatum ſacrum Baſilienſe Concilium, quam apud ipſum Dominum noſtrum Papam ſummopere offerenda nominibus quibus ſupra pro bono pacis & concordie cenſuimus, quorum tenor ſequitur & eſt talis, videlicet:

In primis quod ſacrum Baſilienſe Concilium tria loca in Germania videlicet *Argentinam*, *Ratiſponam*, *Magunciam* infra quindecim dies continuos a die requiſitionis per oratores ſupradictorum Dominorum nominet & eligat pro ſui translatione vel oecumenici Concilij celebratione in aliquo eorundem locorum & rebus inibi tractandis, proſequendis & terminandis, Quibus nominatione & electione in generali congregatione factis Invictiſſimus Romanorum & Chriſtianiſſimus Reges Francorum cum Regibus & Principibus qui ad hoc

con-

convenerunt, curabunt eandem infra XL dies continuo a die nominationis præfate intimare Domino noſtro Pape nec non Imperatori & Patriarche Conſtantinopolitano ipſisque græcis ita videlicet quod in quemcunque locorum predictorum dominus noſter Papa ſimul & Greci aut Greci tantum conſenſerint, & ad quem ipſi Greci perſonaliter pervenerint cauſa tractande unionis, quod ipſum ſacrum Concilium Baſilienſe ſe illic transferet pro oecumenici Concilij celebratione Grecis autem in nullum predictorum trium locorum conſentientibus ut prefertur, tunc nichilominus ſanctiſſimus Dominus noſter Papa ad aliquem eorundem locorum conſenſit perſonaliter venire, quod ſacrum Baſilienſe Concilium illic omnino ſe transferet, Idem ſi nec Greci nec Papa in aliquem locorum prefatorum trium perſonaliter venire conſenſerint, ſe transferet libere ad aliquem predictorum locorum in quem voluerit infra tempus inferius declaratum adjecto etiam quod ex tunc poterit ipſum ſacrum Baſilienſe Concilium quandocunque ſe transferre ad quemcunque voluerit locorum prefatorum, ſalvo tamen quod acceſſurum ſit ad locum ad quem greci ſeu Papa ibi perſonaliter infra tempus quod ſequitur, advenerint. Qui quidem ſcilicet Papa, Imperator & Patriarcha infra unum menſem a die ſibi facte intimationis habeant ſimul vel diviſim in aliquem locorum prenominatorum per Bullas & litteras ydoneas expreſſe conſentire ceſſantibus prorſus congregationibus florentinis &

alia

alia quacunque ſub nomine Generalis Concilij vel oecumenici ſecuta forſan aut in antea ab inde ſecutura, quem quidem conſenſum infra quadraginta quinque dies continuos poſt menſem hujusmodi habeant ipſi oratores præfatorum Regum & Principum ſacro Concilio intimare, & quandocunque infra quatuor menſes & quindecim dies a die nominationis & Electionis predictorum locorum conſenſus hujusmodi ſacro Concilio fuerit intimatus, mox ſacrum Concilium ipſum locum in quem Papa & Greci conſenſerunt, habeant infra quindecim dies continuos a die intimati conſenſus hujusmodi ſolemniter decretare, & idem fiat ſi ſolus Papa vel ſoli Greci in aliquem predictorum locorum infra terminum predictum venire conſenſerint & conſenſus hujusmodi ſacro Concilio Baſilienſi fuerit intimatus.

Ceterum ſi aliquis locorum predictorum propter peſtem aut famem foret incommodus pro premiſſis alter locorum nominatorum vicinorum ſuccedat, quibus vero locis ex cauſis premiſſis ut prefertur incommodatis locum habeat proviſio Conſtancienſis Concilij quæ ſuper hoc in ſimili caſu emanavit ita nempe ut ſi publica fama contraveniente dicatur aliquis locorum predictorum ante hujusmodi Concilij inchoationem factus incommodus ſacrum Concilium Baſilienſe hoc infra menſem habeat diffinire & ſi diſtulerit in termino prefato diffinire locum, ipſum ſacrum Concilium Baſilien-

ſe ad hunc locum tamquam commodum ſe transferre habeant, ut prefertur, ſi vero poſt inchoationem incommodetur locus hujusmodi ipſum tunc inchoatum ibi Concilium ſibi providebit; ad quem quidem locum Papa per ſe vel ſuum legatum vel legatos & etiam ipſi Greci infra tres menſes a die conſenſus per eos vel eorum alterum prefati ut premittitur & ſacrum Baſilienſe Concilium infra duos menſes a die hujusmodi conſenſus Pape vel Grecorum ſe conferre habeant ita ut inmediate poſt lapſum duorum menſium a die intimationis Pape vel Grecorum hujusmodi ſacro Baſilienſi Concilio facte in hujusmodi loco omnino oecumenicum Concilium Patrum propter preſentiam Grecorum vel Generale ipſis abſentibus vel ab inde recedentibus cenſeatur & exiſtat ſtabile atque firmum & præter ſui conſenſum non ſolubile verum tamen ad actus Conciliares neutro caſu inibi procedatur niſi predictis duobus menſibus & inſuper quindecim diebus totaliter elapſis.

Tertio prout ex predictis ſatis colligitur ſi nec Domino noſtro Papa nec Grecis ut prefertur in aliquem predictorum locorum conſentientibus vel alias infra quatuor menſes & quindecim dies a die nominationis & electionis ut predictum eſt, non fuit conſenſus eorum ipſi Concilio intimatus, nihilominus ſacrum Baſilienſe Concilium aliquem predictorum locorum habeat decretare ſicque infra alios duos menſes eo transferre, itaque omnino

poſt

post lapsum sex mensium & quindecim dierum a die nominationis & electionis locorum predictorum saltem Generale Concilium in aliquo eorundem celebretur. Verum tamen ad actus Conciliares non procedatur nisi dictis sex mensibus & quindecim diebus & insuper quindecim alijs diebus totaliter elapsis.

Convenimus preterea nominibus quibus supra, quod de quacunque questione juris vel facti jam exorta inter ipsum sacrum Basiliense Concilium & Dominum Nostrum Papam *Eugenium* aut forte in antea oritura poterit ipsum ibi Concilium sive Generale sive oecumenicum existat, si pax interim & concordia inter eos secuta non fuerit, absque ullo cujuscunque impedimento aut importuna deinceps intercessione libere cognoscere & eam synodaliter terminare seu diffinire, daturi operam apud Reges & Principes antedictos, Quod quidquid ut prefertur determinatum diffinitum & ordinatum fuerit in ipso ibi Concilio oecumenico vel Generali a prefatis Regibus & Principibus acceptabitur & inviolabiliter observabitur, quodque id ipsum in regnis & dominijs eorundem illibate custodiatur. Ut autem optatus consequatur finis ejusque dissidij differentia Deo favente auferatur unanimi consensu ad ea prosequenda nos omnes & singuli Oratores & Ambasiatores Regum & Principum predictorum concorditer convenimus nominibus quibus supra, Quod quia valde indecens & rationi con-

 tra-

trarium forę existimamus, si stantibus tam fidis laboribus atque tractatibus & pacis prosecutione vel ab ipsis contendentibus aut altero eorundem in sui invicem aut alterius eorum prejudicium insuper & in hujusmodi laborum suorum obstaculum & impedimentum quicquam pacis hujusmodi turbatum attemptaretur aliquidque fieret, quo universalis Ecclesie tranquillitas longius differri posset, dicimus & protestamur quibus supra nominibus, si quod absit Dominus noster summus Pontifex aut ipsum sacrum Concilium infra tempus saltem septem mensium predictorum processus, penas, sententias, censuras & quascunque alias ordinationes sive dispositiones, ex quibus Ecclesie pax & unitas in toto vel in parte verisimiliter quacunque hujus diffidij occasione directe vel indirecte turbari aut quomodolibet impediri posset contra se invicem, incorporatosve aut eis adherentes respective seu alios quoslibet hujusmodi diffidiorum occasione fulminaverit, protulerit, decreverit aut quidquam innovaverit quod illi vel ille in Regnis & Dominijs predictorum Dominorum nostrorum non suscipientur nec aliquatenus acceptabuntur, & donec post transactum tempus antedictum quid in his omnibus sit tenendum, fuerit per ipsum ibi Concilium declaratum diffinitum seu ordinatum daturi operam ut hujusmodi diffinitioni declarationi & ordinationi omnino stetur & acquiescatur.

Insu-

Insuper ut hujusmodi tractatibus pacis quietius atque liberius vacare & intendere possimus & ne majora scandala atque pericula ex diversitate atque adversitate quorumcunque processuum seu Censurarum in Regnis Provincijs Diocesibus & Dominijs prefatorum Dominorum Regum & Principum vel alicujus eorundem suscitari valeant, dicimus & protestamur nominibus quibus supra, processus, censuras, sententias, edicta, mandata contrariorum effectuum hinc inde vel contra eosdem aut subditos suos quoquo modo fulminandos fulminandas & fulminanda, neque acceptabunt aut illis aliquatenus assentietur dando operam quod præfati Domini nostri in premissis animos suos omnino in suspenso teneant usque ad sepedicti oecumenici vel Generalis Concilij discussionem ita tamen quod Decretis sacri Concilij Basiliensis per prefatos Dominos nostros aut eorundem Dominorum nostrorum nominibus pridem acceptatis seu acceptandis aut processibus eorundem occasione emanatis aut emanandis aliquatenus non derogetur. Preterea ut dictum oecumenicum aut Generale Concilium auxiliante Deo laudabilem & prosperum habere possit successum pariter & effectum & ne possit propter personarum defectum occasione aliqua impediri, curabimus quod prefati Reges & Principes operam dent cum effectu, quod ex omnibus regnis, provincijs & Dominijs hujusmodi Regum et Principum omniumque eisdem adherentium venient ad ipsum & ut mittentur Prelati & alij litterati ceterique devoti ac religiosi Viri &

 gene-

generaliter omnes & ſinguli, qui ad generalia Concilia de jure vel conſuetudine vocari conſueverunt rebus inibi tractandis conſulturi & ne paſſim aut indiſtincte omnes in eodem Concilio recipiantur, ſed illi duntaxat, qui habiles ſunt, ſcientia, moribus & etate nec etiam circa modum procedendi in eodem Concilio in ſuo ibi exordio aliqua diſſurgat difficultas ſive inter Patres Congregationis diverſitas Grecis abſentibus quoad actus Conciliares in procedendo illi ſervantur modi & ordinationes qui in preſenti Baſilienſi Concilio ſtatuti ordinati & rationabiliter obſervati ſunt quousque tunc ipſum Concilium congregatum illos procedendi modos per alias Canonicas ordinationes mutaverit, ipſis autem Grecis, ut ſecuri ſperamus, advenientibus omnino ſuper hujusmodi procedendi modis locum habeat proviſio que in Decreto compactatorum cum eisdem continetur.

Ceterum operam dabimus quod pecunie Indulgentiarum per regna provincias & Dominia prefatorum Dominorum noſtrorum congregate in eum uſum convertantur ad quem collecte ſunt. Curabimus inſuper quod pro ſecuritate perſonarum ad dictum Concilium venire valentium Invictiſſimus Romanorum Rex predictus in univerſo Imperio Regnis atque Dominijs ſuis liberum & ſecurum tranſitum tam in accedendo quam ibi ſtando & abinde recedendo concedat ipſi prememorato Domino noſtro ſummo Pontifici Reverendiſſimis Sancte Romane Eccleſie Cardinalibus, Patriarchis Primatibus Archiepiſcopis & Epiſcopis nec

non

non reliquis universis & singulis cujuscunque dignitatis aut status vel gradus existat, Prelatis Doctoribus & alijs tam Ecclesiasticis quam secularibus personis; Quodque non permittat alicui violentiam inferri sive in corpore sive in rebus sed quod liceat unicuique libere secundum Deum & rectam conscientiam rebus intendere Conciliaribus & quod det salvum conductum in forma pleniori sub majori Majestatis sue sigillo similem illi quem Dive memorie Imperator Sigismundus Dominus & Pater suus presenti Basiliensi Concilio concesserat, quodque inibi suo loco fidelem protectorem constituat qui super premissis & alijs Concilio necessarijs plenarie provideat & debitam faciet executionem in omnibus & singulis quorumlibet premissorum, curaturi etiam quod talis provisio fiat per prefatos alios Reges & Principes per Regna, provincias & Dominia salvis semper securitatibus & salvis ductibus premissis.

Postremo vero & omnis necessarie provisionis cautela habeatur contra actus. nos prefati oratores & Ambasiatores Regum & Principum omnium & singulorum premissorum & nominibus eorundem si contingat quod Deus avertat neque sanctissimum Dominum nostrum Papam sive Patres presentis Concilij Basiliensis aut utrosque superius in notatis avisamentis requisitionibus tam justis & rationabilibus assentire omittantque in omnem eventum ad aliquem trium locorum pro celebrando oecumenico vel Generali Concilio condescendere, ne

Sancta Mater Ecclesia Dei & tantis turbationibus & imminenti scismati exposita derelinquatur, Domini nostri Reges & Principes prefati operam dabunt cum effectu quod illi predictorum dissidentium aut e converso illis qui ulteriori dissidio prestiterit aut prestiterint occasionem adherere interim different & nihilominus quod prefatus invictissimus Romanorum Rex pro se & omnibus sibi subjectis atque adherentibus cum auxilio omnipotentis Dei & sub fiducia plenissime assistere omnium aliorum Regum & Principum prefatorum & Ecclesiarum Regnorum & Principatuum suorum in tam extrema Ecclesie necessitate potestate & officio advocationis Ecclesie Dei quibus fungitur prout secundum Deum & sanctorum Patrum decreta expedire videbitur plenissime nitetur, ut omni modo pacem & unitatem in Ecclesia Dei procurare & conservare valeat Reges & Principes supra dicti. Protestamur & dicimus etiam quibus supra omnium & singulorum Dominorum nostrorum nominibus quod per hec capitula in que nos Oratores & Ambasiatores prefati convenimus & deliberate concordavimus ut prefertur pro submouenda hujusmodi tam periculosa differentia inter sanctissimum Dominum nostrum *Eugenium* & ipsum sacrum Basiliense Concilium non intendimus sedis Apostolice aut universalium synodorum auctoritatibus, honoribus seu reverentijs in aliquo derogare seu aliquod jus de novo Dominis nostris acquirere talia nunc aut deinceps vel prout licuerit faciendi seu promovendi sed duntaxat ad hoc indicendi Domi-

nos

nos noſtros ſpiritu pietatis ad Eccleſiam Dei quam proh dolor vident ante oculos jam ſcismati expoſitam ut ipſum jam imminens ſcisma tollatur de medio & alteri auctore Domino valeat obviari arbitrantes in tam extrema Catholice Eccleſie & totius Chriſtiane rei publice neceſſitate ad quecunque remedia opportuna, per que poſſit integritas & unitas Eccleſie conſervari per prefatos Reges atque Principes fore poſſe & debere eſſe merito recurrendum. Super quibus etiam omnibus & ſingulis vos Notarios publicos hic preſentes & aſtantes requirimus ut ſuper premiſſis Inſtrumentum aut inſtrumenta publicum ſeu publica tot quot fuerint neceſſaria conficiatis in fidem & robur omnium & ſingulorum premiſſorum.

Leonardus Epiſcopus Patavienſis approbo.

Joannes Epiſcopus Lubicenſis ad idem.

Philippus Archiepiſcopus Turonenſis ad idem nomine Ambaſiate totius. placet ut ſupra.

Alvarus Epiſcopus Conchenſis.

Henricus de Herpel ad idem.

Albertus Scheulr de Limburg ad idem.

Copia reſervationis facte per oratorem jll. Domini Ducis Mediolanenſis ſuper concluſis:

In omnibus & ſingulis bonis animis liberum atque integrum preſtamus aſſenſum habentes omnia perfecta gratiſſima in verbis tamen absque ullo cujuſcumque impedimento & importuna deinceps alicujus interceſſione nec non & acceptatione diffinitorum & non acceptandorum hujusmodi que ſunt;

 con-

contrariorum effectuum & differenda adhesione de quibus superius agitur Domino nostro Duci reservamus arbitrium, ut sibi videbitur faciendi, consulturi tamen eum super istis si mandabitur etiam infra terminum & etiam intentionem suam postea relaturi &c.

In hujusmodi effectum Oratores supradicti fecerunt requisitionem congregationi Generali quibus ex post responsum est ut sequitur.

Sequuntur Responsiones sacri Concilij Basiliensis super premissis Capitulis in *Maguncia* conceptis eo quidem Concilio per ea requisito: *)

Rem gravissimam, quam ab hac sancta synodo queritis Venerabiles & circumspecti Oratores attentis considerantes animis Deum nostrum qui sua potenti dextera ecclesiam plantavit in terris, supplices oravimus & oramus ut ea nobis loqui & respondere donet, que sint ad sue Majestatis honorem & salutem omnium credentium, Qui Apostolis suis & discipulis ut in tempore necessitatis loquendi fiduciam haberent, dixit: Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Mutationem hujus sacri Concilij in locum alterum superiori tempore per vos expetitam iterum postulatis, spem quoque pacis ex ea re concipere videmini, quam profecto pacem si per hoc medium possemus adipisci, jam dudum ipsam mutationem avidis animis quesivissemus, quod summo desiderio cupimus cum beatis pacificis filiationem Dei promerentibus operari ad pacem non quidem illam pacem appellantes, quod

*) Extant quidem apud Harduinum Tomo VIII. Concil. sed ob antecedentem Oratorum propositionem & subsequentem protestationem has ipsas Concilij responsiones hic addere placuit.

quod Conciliorum auctoritate contempta quispiam summus Pontifex posset de tota ecclesia & de animabus Christi sanguine redemptis agere quicquid sibi libitum foret, abjectaque salutifera informatione, spretis sacris Canonibus & decretis vitia & abusus pestiferi pacifice regnare permitterentur, aut quod omnibus gravius est, fide lesa ut volucrata, quisquis fidem impugnans pacifice opprimeret Ecclesiam & illi tacere cogerentur qui fidem ipsam sustinerent, non quidem hoc esset pacem agere sed turbationem gravissimam, non hoc esset mederi langworibus presentibus Ecclesie sed eam in miserabile discrimen abducere, quod quidem non esse intentionis vestre credimus sed Zelus domus Dei cogit nos in extremis Ecclesie periculis non tacere veritatem ne tandem dicere oporteat in Dei judicio: Ve michi quia tacui. Sciunt Discretiones vestræ vitam Ecclesie in fide & probis moribus precipue consistere quibus capiti suo & fonti vite Christo conjungitur ac cum eo pacem habet caritatem & gaudium que sunt fructus Spiritus ut vos ipsi ex Apostolo allegastis, Quam veram pacem querunt beati Pacifici qui recipiunt adoptionem filiorum Dei, hec est etiam pax Christi de qua ipse ait: pacem meam do vobis, pacem reliquo vobis, non quam mundus dat ego do vobis; Cum autem his novissimis temporibus deformitates scismata & errores plus solito cepissent insurgere congregata in Spiritu sancto sacra Constantiensis synodus nobis fidem explicant de potestate immediata data ab ipso fidei auctore Christo Concilijs generalibus ex presentantibus Catholicam militantem Ecclesiam quibus & summus Pontifex & quilibet alius obedire tenetur ut Christiani intelligerent, quod ipsis erroribus, scismatibus & deformitatibus obviare oporteret per Conciliorum Generalium auctoritatem, sic Christus ipse Deus noster ordinavit, ut sit frequens Generalium Concilio-

cilio-

ciliorum celebratio, quæ precipua agri Dominici cultura est, vepres ac tribulos predictorum malorum evellat, prout in eadem Constanciensi synodo declaratum extitit & pax optima cum sanctitate & justitia omnibus diebus vigeat in terris; unde vero languores, unde morbi, unde turbationes Ecclesie jam nunc potissime invalescant, non ex eo quod obedientia quam Christus ipse imperavit, quam Ecclesia declaravit, quam fides edocet, non data est Concilio Generali, quod dolentes referimus, a Domino Eugenio Papa moderno, imo gravissime contempta & durissime verbis factis & scriptis usque in hodiernum diem impugnata sit? ex magna parte in alia responsione nostra synodali preterito mense februarij ad vestras pares petitiones super mutatione hujus sacri Concilij porrectas explicavimus. Inde divisiones & scismata in Ecclesijs particularibus, Inde Principum & Prelatorum & etiam populorum per orbem dispersorum gravissima perturbatio, nam quemadmodum sepe audistis primitus hoc sacrum Concilium congregatum auctoritate duorum precedentium Conciliorum & duorum summorum Pontificum pro extirpatione hæresum & reformatione Ecclesie in Capite & in membris, quod ab exordio attemptavit Dominus *Eugenius* licet nulliter & de facto dissolvere sine ipsius Concilij consensu, deinceps cum plurima decreta salubriter edita fuissent pro reformatione Ecclesie in capite & in membris & per plures legationes, per plures Oratores admonitus esset ut animum suum ad eorum observationem redderet benigne inclinatum, ita proh dolor ea parvi pendit, ita contempsit, ut quasi in nullo debitam reverentiam ipsi Concilio exhibere comparatus sit, ex quo gravissimo contemptu non parva suspicio adversus eum exorta est, quod declaratione Catholice fidei facta in Concilio Constanciensi

non

non recte sentiret quodque non crederet se teneri obedire Concilio prout ipsa fidei veritas asserit, Quid amplius, cum super hoc gravi contemptu citaretur, mentem suam quamvis adversus propositam veritatem declaravit dissolvendo auctoritative hoc sacrum Concilium de facto sine consensu ipsius, casu quo virtute Decreti citatorij procederetur aut fieret aliqua novitas, quæ ipsum aut quo aliquem suorum Oratorum presidentium, qui in Concilio fuerant, prohibendo etiam auctoritative ne in eo casu factum Bohemorum, quod actu tractabat hec sancta synodus, ultra triginta dies ageretur ubi jam non solum obedientiam denegavit sed se judicem super Concilium constituit non ei obediens sed imperans in his, in quibus eundem teneri obedire Concilio ex Christi ordinatione asserit ipsa traditio fidei, si vero jam hoc sacrum Concilium dissolvatur, quod fidem Ecclesie defendit, dimittaturque illi supra Ecclesiam pro libito voluntatis imperare, qui tanto tempore tam graviter ipsam factis operibus & verbis impugnat, imo auctoritate & potestate conatur opprimere, nunquid ipsius Ecclesie imminet desolatio, nunquid timendum est vel potius presumendum quod Concilio dissoluto volet singulos per orbem dispersos cogere ut idem sentiant quod ipse, nunquid si absque debita correctione sic dimittatur, cunctis sive Ecclesiasticis sive secularibus sive Prelatis sive Principibus aut alijs quibuscunque imminebit persecutio qui fidem in sacro Concilio Constanciensi explicatam voluerint profiteri, quid vero de illis faciet qui decreta synodalia servare volent, cum jam in presentia videamus adhuc sedente Concilio, quod tales in particularibus Ecclesijs faciet tractari, an vero hæc erit appellanda pax & tranquillitas Ecclesie Vos preclari Oratores pro Deo considerate. Quot erunt deinceps, qui pro concilio-

rum

rum auctoritate, pro Declarationibus per Ecclesiam factis in explicatione fidei tractabunt, si eas deprimi & hoc Concilium in earum defensione viderint de facto succumbere, Quis hereticus non audencius, que cum amarissimo gemitu dicimus, cornua eriget adversus sponsam Christi si ipsa Concilia Generalia quibus supremum judicium in materijs fidei datum est, viderit conculcari? sed quis o preclari Oratores jam in alio Concilio, quod futurum dicitis, id resistendum summo Pontifici pro defensione recte fidei veniet, dum ipse Pontifex hoc sacrum Concilium de facto supressisse & in nihilum redegisse conspiceretur, quale preterea exemplum relinquetur summis Pontificibus si perperam agere volent scismata faciendo, Concilium Generale impugnando & dissolvendo ut quoties de ipsorum correctione in fide aut moribus agetur, perturbent, scindant & dividant Concilium atque in aliud Concilium devenire postulent & si in illo non fiet, quod voluerint, iterum aliud querant, sicque fieret transmigratio de Concilio in Concilium & judicia universalis Ecclesie sic semper in incerto vagabuntur dum presens Pontifex postquam decretis, preceptis & ordinationibus synodalibus tanta obduratione obsistit, postquam ipsum bis auctoritative sine ejus consensu dissolvere attemptavit & scissuram gravem jam in Ecclesiam perpetravit, tandem nulla suscepta pena nulla penitus emendatione facta obtineret ut Concilium mutari cogeretur imo verisimiliter in totum dispergeretur per hanc viam mutationum & dilationum quas offerri conspicimus perseverante ipso moderno Pontifice in assidua ejusdem Concilij & totiens declarate veritatis impugnatione, hoc equidem non esset scismati obviare sed scismata fovere & nutrire, dum Pontifici volenti scisma facere, ut formidare videmur, si concilium ad ejus corre-

correctionem procederet, talis favor probaretur; ut ejus contemplatione ipsum Concilium tali modo mutaretur, unde posteris ad scismata facienda major pararetur audacia & Conciliorum enervaretur auctoritas per quorum supremum judicium in terris scismata extirpari convenit, imo secundum hoc qui ecclesiam lacerare & scindere vellet, ipsa sibi tota opprimenda relinqueretur & ne partem gregis ad se traheret totus in manibus suis dimitteretur, unde forsan volendo auferre ab eis fidem quam in Catholica Ecclesia: de auctoritate Conciliorum didicerunt & contempnendo sacras leges pro salute omnium editas ipse omnes in dampnationem ducere moliretur. non hic agitur preclari Oratores, de tali scismate in quo due persone de Papatu contendentes & in dubium vertitur cui earum jus competat ubi uterque contendentium in judicium Concilij Generalis venire habet sententiam auditurus, sed agitur de Pontifice qui se voluntarie a Concilio volente ipsum corrigere separavit, quod reputabat, legitimum universalis Ecclesie Concilium & Ecclesie pacem turbavit, scisma fecit, scandala suscitavit dissolvendo Concilium auctoritative ut premissum est casu quo procedetur contra ipsum aut aliquem oratorum suorum presidentium ad altare contra altare erexit ut sic correctionem judicis effugeret. Quomodo autem res illa locum sibi vendicare poterit sua enervatione auctoritatis Conciliorum, ut post predicta oporteat Pontificem manere in possessione dissolvendi taliter Concilium & quia sancta synodus officium judicis egit pro executione justitie sibi divinitus commisse cogatur loco judicij cedere suaque judicia differre & deserere ac per talem modum mutari ut sibi prefigantur loca, tempora modi procedendi & alia quæ nunc requiruntur a vobis, quasi non sit libertas in Concilio ad faciendum quod pro republica expedien-

tius

tius judicabitur ſub directione Spiritus ſancti de cujus auxilio confidendum eſt quod ſive oporteat concilium manere in hoc loco ſive mutari ſive conveniat procedere ſicut quicquam aliud agere & de modo forma & de tempore omnia peragendi ſuggeret ipſi Concilio, quid pro ſalute univerſalis Eccleſie fuerit neceſſarium. Sed dicitis quod Concilium in alio loco preter ſui conſenſum indiſſolubile permaneat, verum ſi Papæ hoc privilegium habeant diſſolvendi Concilium ſine ejus conſenſu, quomodo volunt illud ab eo tollere, ſi autem non habeant & in hoc notorie erravit, quomodo id fieri queritur per quod in hac errandi poſſeſſione permaneat & de mutatione Concilij tali modo per Dominum Eugenium factam poſſeſſio habeatur que trahatur ad conſequentiam & ſi in talia conſentiret hæc ſancta ſynodus, jam auctoritate Eccleſie fieri poſſe videtur, quod nullatenus queri aut effici debet. Dicitis preterea ipſum Concilium mutari hinc in alterum trium locorum in quem Papa aut Greci conſenſerint, & eſto quod nec ipſe nec illi conſentiant, nihilominus mutetur, in primo caſu non eſt nobis facile exiſtimare attentis preteritis operibus, quod Papa in illum locum veniat perſonaliter in quo ſe ſperet correctionem accepturum, in ſecundo caſu, ſi greci adveniant & fiat novum Concilium ex latinis & Grecis, dantur inducie correctioni & emendationi Domini Eugenij donec per ipſos Grecos fuerit judicatus, imo ſecundum hoc agitur ut Greci ipſi de actibus ſynodalibus hujus ſacri Concilij Catholicam Eccleſiam repreſentantis & de operibus Pape judicare habeant, poſt quam Papa ipſe corrigatur, Quodque omnes queſtiones juris & facti agitate in Concilio erga Dominum Eugenium, quarum etiam aliquę jus divinum & fidem concernunt haberent in judicium ipſorum Grecorum devenire relicto hujus ſancte ſynodi Ca-

tholico

tholico judicio & quod ea que per Ecclesiam in concernentibus fidem & determinata sunt in dubium revocentur quasi notaretur, ipsam Ecclesiam *) in his que sunt fidei errare potuisse, diciturque quod idem Dominus *Eugenius* Legatos suos mittat quod jurisdictionis est, ac si ipse ab administratione principali non esset suspensus, cum tamen ipsam suspensionem ex causis tam necessarijs & urgentissimis, quas in alia responsione synodali exposuimus constat esse factam, in tertio casu, si hoc sacrum Concilium mutetur quod fundatum est auctoritate duorum precedentium Conciliorum & duorum summorum Pontificum, cui vere omnes majores Prelati, Ecclesie Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, omnesque Reges orbis Catholici incorporati sunt, esto quod neque Papa neque Greci consentiant, id sequetur quod ubi Concilium existens in hoc loco fortiter impugnat Dominus Eugenius, ipsum translatum in alium locum sine ejus consensu fortius impugnare posse videatur & habere majores colores impugnandi interimque septem mensium vel eo circa dilationem obtineat, quibus vel pro ejus correctione agatur quibus nullatenus fidei & saluti Ecclesie provideatur sed potius supposita hujus Concilij per attediationem vel alia incommoda dispergantur & tandem nulli vel paucissimi ad illum alium locum accedendi habeant voluntatem, dum viderint hujus sacri Basiliensis Concilij tam miserabilem exitum, quod tantis laboribus congregatum, tot annis adversus impugnationes Domini Eugenij conservatum fuit; Quid autem ad hoc respondere possumus Venerabiles Oratores nisi amarissimos edere gemitus super flebili ruina Ecclesie si res ita procedatur, & plorare die ac nocte super illa Conciliorum Generalium auctoritate tam diu per nos defensata quam in interitum perduci conspicimus nisi Deus misericor-

*) Harduin. ipsa Ecclesia.

ricorditer provideat, de qua auctoritate parum prodest verbo dicere quod conservari habeat si tale factum agatur, unde ipsa miserabiliter prostituatur. Quis vero dabit Capitibus nostris fontes lacrymarum ut in meroribus & doloribus digne lugeamus lesionem fidei contemptum synodorum & sacrorum Canonum quibus conculcatis omnia scelera, omnia vitia, omnia abusuum & deformitatum incrementa liberius regnabunt, pariter quoque amare flebunt diebus futuris principes & nationes orbis, dum quispiam Romanus Pontifex eos injuste opprimere volet, nam frustra deinceps ad Concilia generalia recurretur, quorum sic erit proscripta auctoritas, si enim Concilium Generale aliquid vellet de ipso Romano Pontifice judicare, illud dissolvet & transferet aliudque Concilium fieri queret ubi posset suum libitum consequi sicque nulla stabilitas nulla firmitas in judicijs ipsorum Conciliorum haberi poterit, Invalescet preterea ille perniciosissimus error in populo Dei ut unus homo ad summum Pontificem assumptus possit de tota Ecclesia ac Christianitate agere ad sue libitum voluntatis sic quod per Generale Concilium universalis Ecclesie non valeat corrigi aut reformari, sed & videmus quod non solum statum Ecclesiasticum & salutem animarum ex ea re detrimenta pati, imo omnem statum, omnem Politiam, omne regimen in spiritualibus & temporalibus perturbari, nam ecce postquam Generale Concilium Ecclesiam Catholicam representans immediate habens potestatem a Christo cui summus Pontifex & quilibet alius obedire tenetur in his que pertinent ad fidem, extirpationem scismatis & reformationem Ecclesie in capite & in membris, cepit suum exercere judicium in Dominum Eugenium pro correctione ipsius & contumaciter obedire contempsit, jam via introducitur ut qui Concilio in his tenentur obedire,

re,

re, non ipſum Concilium reputent ut judicem ſed ut partem cum Domino *Eugenio* contendentem & voluit ipſum judicem directe vel indirecte artare vel compellere loca & tempora eidem prefigendo ut ſua judicia nequaquam proferat imo ad inſtantiam ejus qui reus eſt judicium ſuum mutare cogagatur, quod ſi hoc fit de ſummo Pontifice poteſtatem habente immediate a Chriſto nunquid ex hoc datur exemplum ſubditis quorumcunque judicantium ut ipſos judices temporales & ſpirituales per mutuas intelligentias compellant ut illi a judicando deſiſtant, ſicque peribit juſtitia in terris & eveniet quod ait glorioſus *Hieronymus*: dum uni parcunt univerſe Eccleſie moliuntur in interitum, Quæ eſt inquit iſta miſericordia, uni parcere & univerſos indiſtincte abducere, cumque pax ut ait beatus *Auguſtinus* ſit tranquillitas ordinis, jam rupto ordine judiciorum omnis pax & hominum ad Deum & hominum inter ſe turbabitur, dum via conveniens ad pacem non queritur, dum juſtitia abjicitur & veritas proſternitur quas cum pace ipſa doctrina divina nobis oſtendit oportere copulari, ait enim ſcriptura que mentiri non poteſt: miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculate ſunt & Dominus per Prophetam inquit: Pacem & veritatem diligite. Rex quoque Ezechias dicebat: ſint pax & veritas in diebus meis, quid igitur potius in tanta rerum difficultate agendum eſt huic ſancte ſynodo, an quod recedat & omnia mala ſupradicta permittat prevalere aut quod ex officio ſibi commiſſo a Chriſto ſub confidentia divini auxilij per defenſionem veritatis & exercitium juſtitie in repellendis tantis malis decretum ſuum agere curet coram Deo & hominibus adimplens id quod per ſapientem dictum eſt: certa pro juſtitia usque ad mortem. Clariſſime videre poteſtis Venerabiles Oratores quod Eccleſiam matrem omnium Chriſtianorum in

 hac

hac tanta desolatione deserere non possimus sed nobis & toti populo Christiano gravissima imminet damnatio si saluti ipsius ecclesie & vite sue que ex fide est providere negligamus, exspectavimus jam pluribus annis, si prefatus Dominus Eugenius viam veritatis cognosceret & contemplationem Christianorum Principum, dilationes plurimas benignissime observavit hec sancta synodus Ambasiatoresque suos ad diversas regiones transmisit veritatem & justitiam hujus sacri Concilij & necessitatem urgentissimam providendi publice saluti ecclesie apperientes, ad duas quoque conventiones in *Nurenberga* successive habitas profecti sunt & novissime in civitate *Maguntina* non defuerunt sufficienti potestate suffulti, ubi oratores summi Pontificis per triginta dies exspectati nullatenus comparere voluerunt versus processum oratorum hujus sancte synodi qui cum bona licentia oratorum Principum ibidem existentium per plures antea dies abcesserunt, in omnibus autem his nunquam ex parte summi Pontificis aliquid emendationis vel correctionis oblatum audivimus ut per hoc paci ecclesie consuleretur, quam ita turbavit, & ne quod absit totum corpus invaderet morbus, si languor non esset curatus in capite atque etiam ut divina majestas per ipsum gravissime offensa placari posset imo duntaxat semper petita est hujus Concilij mutatio & talis mutatio, que ipsum Concilium reformationem Ecclesie querens enervaret, & Dominum *Eugenium* durissime resistentem in sua contumacia roboraret; neque audivimus quod vos aut alij Oratores Principum in his rebus a Papa impetraveritis ut contemplationi Ecclesie & populi Christiani quidquam emendationis aut meliorationis efficiat, jam vero justissimam hujus sacri Concilij persecutionem totus orbis conspicere potuit nec non patientiam & mansuetudinem nostram atque longissimam exspe-

specta-

ctationem in hoc loco in quo non nos mundana solatia aut terrena affectio detinent, imo relictis ipsis regionibus domibus & beneficijs in quibus quiescere poteramus varias hic persecutiones injurias dampna & opprobria passi sumus & assidue patimur libenter omnia sufferentes pro votiva consecutione reformationis Ecclesie Dei pro qua jam tribus Generalibus Concilijs diuturno tempore laboratum est & pro defensione fidei orthodoxe quam in oculis nostris videmus multipliciter impugnari & in tantum prefatis Catholicis Principibus exspectando quesivimus complacere ut post victualium penuriam & alias clades quas pertulimus etiam graviora pericula immineant atque per varia rerum discrimina hujus Concilij dispersio & post tot annorum susceptos labores extrema Ecclesie desolatio in foribus esse videatur si non celeriter occurratur, unde jam apertissime perspicere possunt Principes Christiani nos maxima necessitate compulsos ut seclusa ampliori dilatione pro honore Dei creatoris Cunctorum, Regis Regum, Domini Dominantium & pro salvatione animarum omnium saluti ipsius Ecclesie providere curemus & ne in tanta rerum necessitate de gravi negligentia coram Omnipotentis Dei judicio arguamur omnem nostram fiduciam projicientes in salvatorem nostrum Jesum in cujus nomine congregati sumus favente ipsius gratia ita agere intendimus ut coram omnibus Principibus & populis clarissima justitia & veritas hujus sancte synodi reluceat cum quibus veniant intra ecclesiam misericordia & pax & sic gratissimo copulantur osculo, nec quidquam aliud petimus a Domino ut in his turbationibus rerum det nobis id agere quod beneplacitum fuerit sue divine majestati & speramus per misericordiam ejus omnes Christianos in via veritatis & persecutione publice salutis unitatem & pacem bonam

complecti quod & nos maxime desideramus ac laboribus cunctis prosequi volumus ut omnes unanimiter in amore fraternitatis Deo serviant & sint unum in veritate nec aliquem de veritate hujus sancte synodi informatum credimus velle tandem huic favere errori ut unus mortalis homo qui ordinatus est ut sit fidelis minister in Domo Dei possit ut premissum est de tota ecclesia agere ad libitum sue voluntatis & neque generalia Concilia representantia Ecclesiam universalem neque Canones synodales neque postremo ipsas declarationes fidei per Ecclesiam Catholicam factas attendens possit totum gregem dominicum tanto pretio redemptum in precipitium damnationis ducere, nec uni persone mortali quis in tantum humano favore affectus putari debet ut propter illius temporale desiderium, quod sicut verbum pertransiet, velit universam Ecclesiam destrui neque formidari nimium oportet, si justum Ecclesie judicium in correptionem Domini Eugenij proferetur in succurrendo necessitati totius Ecclesie & ipse quod absit rebellando in adversum vellet scisma facere alios attrahendo ut se ab ecclesie unitate separent, Etiam quod Principes Catholici aut nobiles Prelati Ecclesie vellent suo facere scismati presertim in lesionem fidei catholice & Auctoritatis Ecclesie; nunquid notorium est, quanti Principes Orbis tam per se quam per suos Concilio Constantiensis interfuerint, ubi explicata fuit declaratio fidei de auctoritate Generalium Conciliorum supra Papam & quemlibet alterum in omnibus observata nemine reclamante, nemine reprobante, sed & ubi Dominus Eugenius jam bina vice voluit sua auctoritate hoc Basiliense Concilium sine ejus consensu dissolvere, scitis quomodo Principes orbis fere omnes aut primo aut secundo dissolutionis tempore suos oratores in hoc sacro Concilio tenuerunt firmiter credentes Papam

non

non posse dissolvere ipsum sacrum Concilium quod pro extirpatione heresum & reformatione Ecclesie in capite & in membris legitime congregatum erat sine consensu ejus, cum ipse Concilio non haberet in his imperare sed tenetur obedire; Quid de Prelatis Ecclesie dicimus, nunquid in sacro Constantiensi Concilio Cardinales Archiepiscopi Episcopi & ceteri de omni regione fuerunt? nec illi defuit felicis Recordationis Papa Martinus qui etiam circa ipsius Concilij finem per patentes litteras eodem approbante Concilio mandavit universis Archi Episcopis, Episcopis, Inquisitoribus ut singulos heresi Wicclefistarum suspectos diligenter interrogarent utrum crederent, quod illud quod sacrum Concilium Constantiense Universalem Ecclesiam representans approbavit & approbat in favorem fidei & salutem animarum quod hoc ab universis Christi fidelibus esset approbandum & tenendum, cum non ignoraret Papa ipse *Martinus* declarationem de auctoritate Conciliorum data immediate a Christo per ipsum Concilium factam fuisse, qui etiam in eisdem litteris posuit quod error est dicere non esse de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam supremam inter Ecclesias, si per Romanam Ecclesiam intelligatur Universalis Ecclesia aut Concilium Generale aut etiam pro tanto negaret primatum summi Pontificis respectu Ecclesiarum particularium, In hoc preterea Basiliensi Concilio tempore attemptate prime dissolutionis fuerunt septem de Prestantioribus sacrosancte Romane Ecclesie Cardinalibus videlicet *Julianus tit. sancti Angeli* sedis Apostolice legatus. *A.* Bononiensis vulgariter dictus *Placentinus* Cardinales Episcopi, *Johannes sancti Laurentij in Lucina* dictus Rothomagiensis, *Johannes* sancti *Petri ad Vincula* aut sancti *Eustachij* & *Dominicus sancte Maria in violata* dictus *Firmianus* etiam Cardi-

 nales

nales doctrinam ipsam Catholicam & Apostolicam de auctoritate Conciliorum in Constantio declaratam virtuose defendentes atque offendentes propterea jam non potuisse neque in futuris posse fieri dissolutionem hujus Concilij sine ipsius consensu plurimaque solempnia super hoc decreta cum ceteris patribus condiderunt & toti mundo publicaverunt, Qui de hac re in responsione quadam synodali cum toto Concilio magna auctoritate Oratoribus Domini Eugenij dissolutionem ipsam manutenere volentis responderunt: maluimus mori quam tanto errori per ignominiam cedere, hic articulus de quo disceptatus fidem concernit, qui sine interitu salutis negligi non potest, si Dominus Eugenius Ecclesiam audire non vult, oportebit eum tandem haberi sicut Ethnicum & Publicanum hæc sunt verba Concilij in quo tunc illi presentes affuerunt; audistis & vos sepius quomodo alij plures Cardinales se subscripserunt dum Dominus Eugenius ad mandatum Concilij illam pretensam dissolutionem irritam & mancam declaravit & eo non obstante dixit Concilium legitime fuisse continuatum, sed numquid preterea omnes viderunt quod multi Prelati Doctores divini & humani juris ac ceteri Ecclesiastici viri ex diversis nationibus regnis & provincijs successive tam tempore prime dissolutionis quam secunde in hac sancta synodo comparuerunt dum ipse Dominus *Eugenius* eam dissolutam reputabat; credentes hoc factum ejusdem Domini Eugenij adversus ipsius Concilij auctoritatem nullatenus potuisse prevalere, quomodo igitur putandum est vel suspicandum ut catholicus orbis fidem quam accepit vellet propter quamcunque personam deserere aut cuiquam persone in adversum repugnanti & scisma facere volenti favorem prestare & quod ab hoc sacro Concilio quod fidem illorum Prelatorum fidem Principum atque omnium

natio-

nationum orbis defendit, se separet ut illi adhereant qui ipsam impugnare vellet, credendum est quidem potius quod omnes provideri volent ne in futurum quisquam Pontificum possit rebellando Concilijs Generalibus immediate a Christo super eos potestatem habentibus scisma facere & pro sua voluntate & libidine dominandi universum orbem hoc modo conturbare intelligentque tandem unanimiter illum pro Pontifice haberi non debere quem Concilium Universalis Ecclesie pro non Pontifice habendum judicavit ut sic non necesse sit jam deinceps Princeps orbis hoc modo cum varijs Legationibus & magnis expensis in eadem re vexari simulque pax in Ecclesia vigere possit & auctoritas Conciliorum illibata servari, que, ut ait, Beatus Augustinus in ipsa Ecclesia saluberrima est nam universos Christianos ad ipsum sentire & sapere si una fides & pax vera conservanda est, quod ipsi summi Pontifices per Concilium Generale Catholicam Ecclesiam representans corrigi possunt, sicut veritas catholica diffinivit quodque Ecclesia Dei in Spiritu sancto congregata non habet existimari sicut una profana communitas cui Papa ipse velut Princeps secularis dominetur; sic itaque cum Dei gratia per constantem fidei nostre confessionem & ipsius approbationem in opere pax optima & salutaris gubernatio Ecclesie reflorebit in terris; summi Pontifices cognoscentes se posse corrigi ut prefertur per Concilium universale Ecclesie curabunt vigilantius salutem gregis Dominici querere & in ministerio sibi credito opera Christo placentia agere ipsamque sedem apostolicam salutari gubernatione & decore virtutum reflorere facient in oculis omnium populorum atque omnium bonorum ubertate abundare sicut prius solebat cum bono & salutari regimine gubernare, cujus quidem sedis auctoritatem &

 hono-

honorem hec ſancta ſynodus ſemper conſervare curabit ipſam dignis honoribus per debitum ſanctitatis cultum magis intendit ampliare & exaltare in futurum, Brevior quoque erit deinceps Conciliorum Generalium duratio dum illis debita preſtabitur obedientia temporibus ſtatutis omnes diligenter confluent expedituri celerius que pro ſalute chriſtiane religionis agenda videbuntur, Concilia provincialia & ſynodalia frequentabuntur, Canones pacifice obſervabuntur, ſic erit pax & tranquillitas Eccleſiarum, ſanctitas morum, utilitas regnorum & provinciarum & ſic efficaciter deſiderium Principum veſtrorum complebitur preclari Oratores, qui pacem & ſalutem Eccleſie deſiderant, per ea vero que in Maguntia concepiſtis licet bona intentione vos hoc feciſſe ſperandum ſit, non aſſequentur Principes ipſi bonum illum vere pacis quod optant ut ex ſuperioribus ſatis liquere poteſt. Nos autem favente Domino per modum ſalutarem & rectum ordinem a Chriſto datum pacem ipſam proſequemur & quantum ſine offenſa Dei poterimus, curabimus ſemper religioſiſſimis veſtris Principibus complacere, qui etiam ut credendum eſt per omnia divine ordinationi obſequi volent, neque aliud agetur, niſi quod cum Deo poterunt, quod juri divino conſonum erit & cum fideliter credat quod de jure divino tenetur obedire Concilio in ijs in quibus habet poteſtatem immediate a Chriſto, non ſubtrahet ab eodem Concilio debitum obedientie ſue propter exercitium juſtitie. Dum autem ipſi unanimiter in obedientia qua ſancte ſynodo & ipſi Chriſto qui ei poteſtatem dedit tenentur, perſeveraverint amplectendo concorditer juſtitiam & veritatem ipſi animas ſuas ſalvabunt, ipſi auctoritatem conciliorum ſibi & toti orbi neceſſariam ſervabunt illibatam, ſalutem & pacem bonam in Chriſtiana religione vigere facient,

cient, si autem obedientiam debitam subtraherent Concilio per aliquam neutralitatem aut alias quovis modo plura mala contingent in adversum. Que vos preclari Oratores ipsis orthodoxis Principibus diligenter & fideliter remonstrare habetis, quantum vos diligitis eorum salutem & totius Ecclesie & non dubitare cum erunt debite informati debitum suum erga Deum & Ecclesiam semper facientes & intellectis rationibus & motivis hujus sancte synodi, Devotiones eorum apertissime conspicient intentionem ipsius dirigi sicut beatis pacificis convenit ad querendas vias vere pacis tranquillitatis & salutis Ecclesie ac totius orbis nunc & in futurum. Quod autem ad factum Grecorum attinet, scitis quanto desiderio unionem eorum semper optaverimus & optemus, quantosque labores & sumptus in eius rei prosecutione impenderimus & qualia nobis impedimenta objecta sunt, dudum quoque loca convenientia videlicet Basileam Avinionem & Sabaudiam pro ipsa tractanda unione nominavimus & adhuc ut omnes conspiciant nostram perseverantem intentionem ac hujus unionis prosecutionem, si Imperator Romanorum & Patriarcha Constantinopolitanus qui pro tempore fuerint & ceteri Ecclesiam orientalem representantes cessante omni dolo & fraude in aliquem locum securum, quem hec sancta synodus eliget, advenire voluerint, hec sancta synodus illum eligere & ipsum se transferre non recusabit, talemque locum eliget, postquam intentionem Grecorum ipsorum bene cognoverit, de quo ipsi vestri Principes & totus orbis merito debebunt contentari. Interim vero curabit eadem sancta synodus querere diligenter quod Ecclesie Dei prosit & ita res ipsius nostre Ecclesie Catholice disponere, ut salutifera gubernatione regatur, per quam propitietur Deus populo suo & placata ira ejus quam peccata regnantia concita-

runt,

runt, unionem ipsorum Grecorum & bonam pacem omnium Christianorum reflorere in terris ad laudem & gloriam Spiritus paracliti, qui est Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

additur apud Harduin.

Datum Basileæ in congregatione nostra Generali Idibus Junij, anno a Nativitate Domini Millesimo Quadringentesimo trigesimo nono.

Sequitur Protestatio Oratorum ut supra contra hujusmodi Responsionem Concilij.

Reverendissimi Patres audivimus scripturam in precedenti congregatione lectam, que responsionem sacri Concilij continet ad ea que per nos ac nonnullos alios oratores, qui tunc ad hoc erant ex parte Invictissimi Romanorum Christianissimique Francorum ac serenissimorum Castelle & Aragonum Regum nec non Principum Electorum sacri Romani Imperij & Ducis Mediolani Illustrissimorum proposita supplicata & requisita pridie fuerant & quanta elegantia sermonis quantoque pondere sententiarum dictata extiterit tenor eorum, demonstrat; fuisset tamen gratissimum nobis ut conclusio conformior precibus nostris imo prefatorum Dominorum Regum & Principum adjecta fuisset quatenus optata pax citius & verisimilius speraretur; sed cum hoc non sit nisi ut Deo omnipotenti, ad cujus obsequium omnis anima tenetur & ad quem omnis caro redit, ac Ecclesie sue Regibusque & Principibus nostris rationem ut tenemur reddamus, aliqua, cum ea qua decet, reverentia submittemus, ac cum omnia que in eadem scrip-

ſcriptura copioſe continentur, ad longum repetere nec neceſſarium aut expediens ad rem de qua agitur judicamus, cum non ingeniorum oſtentationi ſed ad pacem procurandum laborandum eſt, breviſſima quedam ſummatim tangemus, & reſponſio hæc in quantum perpendere potuimus in quinque principaliter videtur ſe reſolvere. Quorum primum eſt expreſſio doloris quem hec ſacra ſynodus ex tribulationibus Eccleſie ſentit. ſecundum applicatio harum tribulationum ad Sanctiſſimum Patrem Dominum Eugenium Papam modernum. tertium: Deductio aliquorum inconvenientium que ex conceſſione ſi qua fieret eorum que per prefatos oratores & nos ſupplicata ſunt, ſecutura fore timentur. Quartum ipſa reſponſionis verba. Quintum: objectio quedam de interim res Eccleſie diſponendo. Quoad primum vel aliud dicendum putamus, vel quod indubio credimus hanc ſacram ſynodum magnum dolorem ſentire de tribulationibus & angoribus Eccleſie nam ſi unus quisque fidelis dolere debet, acrius tamen & intenſius hanc ſacram ſynodum dolere credendum eſt quia dolendi cauſam majorem quam aliquis privatus habet, cum ad Eccleſiam tanquam ad matrem omnium fidelium quecunque jactura Chriſtiane reipublice peculiariter quodam modo redundare videtur, ſed & illud dolorem hunc merito adaugere debet, quod licet alijs temporibus gravia ſepe pericula & grandes languores eccleſie Dei advenerunt, hodiernis tamen diebus in majoribus conſtituta eſt, quam a magnis retro ſeculis for-

forsitan fuit ut illi qui de planctu ecclesie multa scripserunt, si tempora nostra vidissent, majora profecto volumina conscripsissent, cum nedum jam dissensiones private non solum publice, non denique simplicia scismata sed ipse hereses & in fide errores pullulare, si per Divinam misericordiam non succurritur, timeatur; Dolent autem prefati Reges & Principes & dolore cordis intrinsecus tacti labores quos oculi vestri cernunt pro medela adhibenda cum inexpressibili cura interponunt & interponere in futurum Deo dirigente intendunt & quod merorem etiam excitare & lacrimas cordis visceralius haurire debet, illud, nisi fallimur, est, si remedia his languoribus forte possemus imponere vel saltem vias ad imponenda aperire aut apertas amplecti, tamen hec facere ea attentione, qua res peteret, non curamus illa que pericula tollere & cum consensu omnium conficere possemus per vias dubias & periculis plenas velociore gressu quam expediret ad finem conducere existimantes. Doleat ergo sacra synodus & devotos gemitus in altum emittat & nos omnes particulariter doleamus ab alto auxilium prestolantes, nec taceant pupille oculorum nostrorum, doloremque cordis operibus demonstremus nedum vias sed etiam semitas, per quas pax ecclesiastica honeste obtineri & his languoribus medela adhiberi unanimiter valeat, procurantes ne videntes corruentesque in ipsa pericula irruamus. De secundo Cum Domini Reges & Principes Mediatores se ad tranquillitatem & pacem exhibuerunt nobis, qui eorum vices hic ad pre-

prefens gerimus, nec incufare nec excufare Dominum noftrum Papam congruit, fed hoc unum dicemus, quod fi aliquid tam in capite quam in membris reformandum exiftit, precibus noftris acceptatis multo firmius ac folidius fieri poterit ac factum unanimius acceptari cum ad locum illum ut petitur hoc Concilio translato quicquam decretum juffumve extiterit per univerfas chriftianas regiones absque omni reluctancia recipietur. Circa tertium vero etfi multa dici poffent quia locuples ad loquendum materia eft, ne tamen notiffima & frequentiffima dicta repetendo audientes tedio afficiamus, id folum exprimere in mentem venit, nullum inconveniens nullumque prius periculum aut difcrimen ex fupplicatione & requifitione Regum & Principum fequi poffe verifimiliter quinimo honeftam pacem & tranquillitatem omnes namque ferme rationes in fcriptura prefata contente per acceptationem precum noftrarum non mediocriter militant que ad earum non admiffionem induci videntur, quid enim aliud prefati Domini Reges & Principes querunt nifi ut univerfalis ecclefie honor facrorum & Conciliorum auctoritas inviolabiliter obfervetur, nifi enim hujus facri Concilij aliorumque Conciliorum, que in futurum celebrari continget, auctoritatem honoremque ex intimis cordis zelarent non utique tot labores & expenfas ad hec conſervanda expofuiffent, fed alios modos, aliasve vias tenuiffent longe ab iftis diftantes prout Dominationes veftre ut conjectamur confiderant, fed ut auctoritas conciliorum fedisque Apoftolice reve-

reverentia, que nunc pro dolor periclitatur, in tuto collocatæ quiescat & futuris temporibus aliquam hesitationem non recipiant hec que diximus, supplicare decreverunt, etenim longe salubrius tranquilliusque ista fierent, si animi consensu hoc sacrum Concilium ut supplicatur, procedet, quam si contra mentem tot & tantorum Regum & principum talia aget que per majorem forte vel magnam partem militantis ecclesie non recipiantur, nec expedit in hoc sermonem extendere quia sapientibus loquitur illud autem timendum procul dubio non est, ne alij hoc exemplo ducti alijs supplicationibus hanc sacram synodum inquietent; Cum arbitrandum sit nullum modestie sue adeo oblitum ut tot & tanntis Regibus & Principibus in unum collectis se adequare velit; Quis enim est qui dicat Regibus Romanorum Francorum Castelle & Arragonum ac Principibus Electorum & Duci Mediolanensi simile concessum ergo & mihi hoc concedite, profecto qui hoc diceret, presumptionis imo aperte temeritatis vir indicari valeret cum hos principes majorem partem Christianitatis quin imo totam secuturam fore verisimillimum sit, nam attentis regionibus que illis subsunt & firmitate, amicitia, confederatione adherentiaque aliorum regum & principum qui ad presens specifice non nominantur nihil pene manet quod contra horum sanctam atque conformem intentionem ecclesiasticam pacem turbare valeret. Ad quartum autem quid aliud dicere possimus nisi quod per hujus responsionis tenorem preces supplicationes & exhortationes

tationes nostre imo supra scriptorum Dominorum Regum & Principum ex toto refutari videntur, cum per reductionem Grecorum generalissima quedam dicantur, que quam difficilis practice sint unusquisque faciliter advertet pro scismate vero inter latinos imo inter Catholicos impediendo nihil omnino conceditur, at licet reductio Grecorum optabilis sit, optabilius tamen est, ne Ecclesia Catholica scisma tam contrarium patiatur, cum id lucri captandi istud dampni vitandi rationem habere videtur, non autem est par ratio, lucrum non capere dampna sentire. Ad quintum vero quod sub paucis & pregnantibus verbis magnam rerum agendarum quandam prognosticationem innuere videtur & quid in utero gestiat, avisamenta in deputationibus data quodammodo parturire ceperunt, illud utique supplicando, orando & humiliter requirendo dicimus, ut ea que superioribus temporibus per nos seu aliquos nostrum devote supplicata fuerunt, ad memoriam semper R. V. P. adducant, ut scissure jam pro dolor exorte remedium adhibeatur, antequam ad scisma formatum perveniat supplicamus eisdem V. R. P. iteratis precibus & exhortamur, ac cum omni devotione & humilitate ac humili & devota instantia requirimus, Quatenus ecclesiastice paci & tranquillitati populi Christiani consuleretur, que per nos nomine Dominorum Regum & Principum prefatorum supplicata sunt exaudire & operi demandare velint & in processibus qui contra prefatum Dominum Papam inchoati sunt omnibusque alijs,

 eos

eos quomodolibet concernentibus ſuperſedere dignentur & contra eum aliqualiter nec directe nec indirecte procedatur. Cum ex hujusmodi proceſſibus vel propter eos ſcisma in limine cuilibet intuenti notorie paratum eſſe videatur, quod ſi fecerint gratiſſimum Deo obſequium prebebunt ſeque pacis & ſalutis Eccleſie amatores fore monſtrabunt; alioquin ſi aliter, quod non arbitramur, agendum decreverint, omnia per nos in alijs congregationibus & deputationibus tam verbo quam ſcriptis circa hanc rem dicta prout unusquisque noſtrum edixit, ſimili modo pro repetitis habentes preſentium ſerie proteſtamur. & ſi quid contra eundem Dominum noſtrum Papam innovatum fuerit abſque conſenſu & contra conſenſum & voluntatem Dominorum Regum & Principum noſtrorum & noſtrum ſuo nomine innovabitur; Ideo ſi quid ſcandali diſſenſionis aut ſcismatis ex illo vel propter illud exortum extiterit Dominis Regibus & Principibus noſtris a vobis imputandum non erit, exorantes ſemper altiſſimum cujus miſericordia menſuram non habet, quatenus pax ejus que exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras & ſic dirigat ſacrum cetum veſtrum ut ex eo non diſſenſionum initia ſed pacis exempla per univerſum prodeant orbem. Amen.

IV.

SEQVVNTVR CAPITVLA INTELLIGENCIE CONCORDATE INTER ORATORES REGVM ET PRINCIPVM EXTRACTA A PVBLICO INSTRVMENTO.

Convenimus preterea nominibus, quibus ſupra, quod de quacunque queſtione juris vel facti exorta inter ipſum Baſilienſe Concilium & dominum noſtrum papam *Eugenium* aut forte in antea oritura poterit ipſum ibi Concilium ſive generale ſive yeomenicum exiſtat, ſi pax interim & concordia inter eos ſecuta non fuerit, absque ullo quocunque impedimento, aut oportuna deinceps interceſſione libere cognoſcere & eam ſynodaliter terminare ſeu diffinire, daturi operam apud Reges & principes ante dictos, quod quid quid, ut prefertur, determinatum, diffinitum & ordinatum fuerit, in ipſo ibi Concilio ycumenico ſive generali a prefatis Regibus & principibus acceptabitur, & inviolabiliter obſervabitur, quodque id ipſum in Regnis & dominijs eorundem illibate cuſtodietur. Ut autem optatus conſequatur finis, omnisque diſſidij doctrina Deo favente auferatur, unanimi conſenſu ad ea proſequenda nos omnes & ſinguli oratores & ambaſſiatores Regum & Principum predictorum concorditer convenimus nominibus quibus ſupra, quodque valde indecens racionique contrarium exiſtimamus, quod ſiſtantibus tam fidis laboribus atque tractatibus & pacis proſecucione ab ipſis contendentibus, aut altero

eorum in ſui invicem aut alterius eorum prejudicium, inſuper & hujusmodi laborum ſuorum obſtaculum aut impedimentum, quid quid pacis hujusmodi turbativum acceptaretur, aliquidque fieret, quo univerſalis eccleſie tranquillitas longius differi poſſet; Dicimus & proteſtamur quibus ſupra nominibus, ſi, quod abſit, dominus noſter ſummus pontifex, aut ipſum ſacrum concilium infra tempus ſaltem ſeptem menſium predictorum proceſſus, penas, ſententias, & cenſuras, aut quaſcumque alias ordinaciones, ſive diſpoſitiones, ex quibus eccleſie pax & unitas in toto vel in parte, veriſimiliter quacunque hujus diſſidij occaſione directe vel indirecte turbari aut quomodolibet impediri poſſent, contra ſe inuicem incorporatosve aut eis adherentes reſpectiue ſeu alios quoslibet occaſione hujusmodi diſſidiarum fulminauerit, protulerit, decreuerit, aut quidquam innovaverit, quod illi aut ille in regnis aut dominijs predictorum dominorum noſtrorum nec ſuſcipient, aut aliquatenus acceptabunt, ex hoc donec poſt tranſactum tempus ante dictum, quod in omnibus ſic tenendum fuerit, per ipſum ibi concilium declaratum, diffinitum ſeu ordinatum fuerit daturi operam, ut hujusmodi diffinicioni omnino ſtetur & acquieſcatur. Inſuper ut hujusmodi tractatibus pacis quiecius atque liberius vacare & intendere poſſimus, & ne majora ſcandala atque pericula ex diverſitate vel adverſitate quorumcunque proceſſuum ſeu cenſurarum in Regnis, provincijs dioceſibus & dominijs prefatorum dominorum Regum, prin-

principum vel alicujus eorumdem ſuſcitari valeant, dicimus & proteſtamur nominibus quibus ſupra, quod Proceſſus, edicta, mandata cenſuras ſeu ſentencias contrariorum effectuum hinc eciam contra eosdem aut ſubditos quoquomodo fulminandos ſeu fulminanda neque acceptabunt, aut illis aliquatenus aſſentietur, dando operam, quod prefati domini noſtri in premiſſis animos ſuos omnino in ſuſpenſo teneant usque ad ſepe dicti ycumenici aut generalis Concilij discuſſionem. Ita tamen quod decretis ſacri concilij Baſilienſis per prefatos dominos noſtros aut eorumdem Dominorum noſtrorum nominibus pridem acceptatis, ſeu acceptandis a proceſſibus eorumdem occaſione emanatis aut emanandis nullatenus derogetur. Preterea ut dictum ycumenicum vel generale Concilium auxiliante Deo laudabilem & proſperum habere poſſit ſucceſſum pariter & effectum, & ne poſſit propter perſonarum defectum occaſione aliqua impediri; curabimus, quod prefati Reges & principes operam dent cum effectu, quod ex omnibus Regnis, provincijs & dominijs hujusmodi Regum & principum, omniumque eisdem adherencium veniant ad ipſum, aut mittentur prelati & alij literati, ceterique devoti, ac Religioſi viri, & generaliter omnes & ſinguli, qui ad generalia Concilia de jure & conſuetudine vocari conſueverunt rebus inibi tractandis conſulturi. Et ne paſſim & indiſtincte omnes in eodem Concilio recipiantur, ſed illi duntaxat, qui habiles ſunt ſciencia, moribus & etate; ne eciam circa modum procedendi in eodem Concilio, in ſui ibi

 exor-

exordio aliqua insurgat difficultas, sive inter patres congregatos diversitas Grecis advenientibus, quo ad actus conciliares, in procedendo illi serventur modi & ordinaciones, que in presenti Basiliensi Concilio statuti, ordinati & racionabiliter observati sunt, quousque ipsum tunc congregatum Concilium illos procedendi modos per alias canonicas ordinaciones mutaverit. Ipsis autem Grecis sicut speramus advenientibus omnino super hujusmodi procedendi modis locum habeat provisio, que in decreto compactatorum cum eisdem continetur. Ceterum operam dabimus, ut pecunie indulgenciarum per Regna provincias & dominia prefatorum dominorum nostrorum congregate in eum commutentur usum, ad quem collecte sunt. Curabimus insuper, quod pro securitate personarum ad dictum Concilium accedere volencium invictissimus Romanorum Rex predictus cum universis Imperio & Regnis atque dominijs suis liberum & securum transitum tam in accedendo, quam ibi stando, & ab inde recedendo concedat, ipsi primo domino nostro summo pontifici, Reverendissimis sancte ecclesie Romane Cardinalibus,. patriarchis, primatibus Archiepiscopis & episcopis nec non reliquis universis & singulis cujuscunque dignitatis, status, & gradus existant, prelatis, doctoribus & alijs tam Ecclesiasticis quam secularibus personis, quodque non permittat alicui violenciam inferri, sive in corpore sive in rebus, sed quod liceat unicuique libere secundum Deum & rectam conscienciam rebus intendere conciliaribus;

Et

Et quod det ſalvum conductum in forma pleniori ſub majori majeſtatis ſue ſigillo, ſimilem illi, quem dive memorie Imperator *Sigismundus* dominus & pater ſuus preſenti Baſilienſi Concilio conceſſerat, quodque inibi loco ſui fidelem protectorem conſtituat, qui ſuper premiſſi & alijs concilio neceſſarijs plenarie provideat, & debitam faciat execucionem in omnibus & ſingulis quorumlibet premiſſorum, curatori eciam, quod talis proviſio fiat per prefatos alios Reges & principes per Regna, provincias, dominiaque ſua pro ſecuritatibus & ſalvis conductibus premiſſis. Poſtremo vero ut omnis neceſſarie proviſionis cautela habeatur, convenimus nos prefati oratores & ambaſſiatores Regum & principum omnium & ſingulorum premiſſorum & nominibus eorumdem, ſi contingat, quod Deus avertat, neque ſanctiſſimum dominum noſtrum papam, ſive patres preſentis Baſilienſis Concilij aut utroque ſuperius notatis aviſamentis, requiſitionibusque tam juſtis & racionabilibus aſſentire, omittantque in omnem eventum ad aliquem trium locorum pro celebrando ycomenico ſive Generali Concilio condeſcendere, ne ſancta mater eccleſia Dei in tantis turbacionibus & imminenti ſcismati expoſita derelinquatur, domini noſtri Reges & principes prefati operam dabunt cum effectu, quod illi predictorum diſſidencium aut econtra illi, qui ulteriori diſſidio preſtiterint aut prebuerint occaſionem adherere interim different & nichilominus quod prefatus invictiſſimus Romanorum Rex pro ſe & omnibus ſuis ſubditis atque adherentibus cum

auxilio omnipotentis Dei, & ſub fiducia pleniſſime aſſiſtencie omnium aliorum Regum & principum prefatorum & eccleſiarum, Regnorum & principatuum ſuorum in tam extrema eccleſie neceſſitate proteſtate & officio advocacionis eccleſie Dei quibus fungitur ſecundum Deum & ſanctorum patrum decreta expedire videbitur, pleniſſime utetur & omnimode pacem & unitatem in eccleſia Dei procurare & conſeruare valeant Reges & principes ſupradicti. Proteſtamur & dicimus eciam quibus ſupra omnium & ſingulorum noſtrorum nominibus, quod per hec Capitula, in quibus nos ambaſiatores & oratores prefati convenimus, & deliberate concordavimus, ut prefertur, pro ſubmovenda hujusmodi tam periculoſa differencia inter ſanctiſſimum dominum noſtrum *Eugenium* papam & ipſum ſacrum Concilium Baſilienſe non intendimus ſedis apoſtolice aut univerſalium ſynodorum auctoritatibus, honoribus, ſeu reverencijs in aliquo derogare, ſeu aliquod jus de novo dominis noſtris acquirere, & alia nunc aut deinceps, niſi prout licuerit faciendi ſeu promovendi, ſed duntaxat ad hoc inducit ipſos Dominos noſtros ſpiritus pietatis ad eccleſiam Dei, quam prochdolor vident ante oculos jam ſcismati expoſitam, ut ipſum jam imminens ſcisma tollatur de medio & aliter auctore domino valeat obviari, arbitrantes in tam extrema catholice eccleſie & tocius Chriſtiane Rei-publice neceſſitate ad quecunque remedia oportuna, per que poſſit integritas & unitas conſervari per prefatos Reges atque principes fore poſſe

posse & debere, esse merito occurendum. Super quibus eciam omnibus & singulis vos notarios publicos hic presentes & astantes requirimus, ut super premissis, nobis instrumentum, seu instrumenta, publicum, seu publica, tot, quot fuerint necessaria in fidem & robur omnium & singulorum premissorum. Acta fuerunt hec *Maguncie* in monasterio ordinis beate *Marie de monte Carmeli* in majori estuario ejusdem sub Anno, indictione, die mense, hora & pontificatu, quibus supra, prefato inclitissimo & excellentissimo principe & domino, domino *Alberto* Romanorum &c. feliciter regnante; presentibus ibidem venerabilibus & honorabilibus viris dominis *Petro Barchij* Archidiacano *de Regina* Conchensis diocesis, Fratre *Wilhelmo* abbate monasterij *sancti Lupi* Trecensis ordinis *sancti Augustini* & *Progencio* de *Floresta* canonico ecclesie collegiate *Ambasie* Turonensis diocesis testibus ad premissa vocatis specialiter & rogatis.

Postquam predicti Regij oratores venissent *Basileam* cum predicta mutua intelligencia & institissent vehementer apud sacrum Concilium pro execucione ejus, & postquam eciam superuenissent oratores principum electorum id idem volentes, tandem sacrum concilium post multa dedit eis synodalem suum responsum, & incipit: Rem gravissimam, quam ab hac synodo queritis venerabiles ac circumspecti oratores, attentis considerantes animis Deum nostrum, qui sua &c.

V.

PPOVISIO CONCEPTA IN PRÆDICTA DIETA MAGVNTINA PRO SEDE APOSTOLICA PER ORATORES PRINCIPVM ELECTORVM.

Et quia ſacrum Concilium in fine decreti de electionibus intendebat providere domino pape & eccleſie Romane Cardinalibus ante, quam diſſolvatur, Id circo nobis deſuper multa tractantibus & diverſa media excogitantibus, preſertim ut etiam inferioribus ordinarijs noſtre Germanice nacionis per hujusmodi decreta gravatis ſeu leſis proportionabiliter provideatur, in hoc finaliter reſedimus, quod de cetero permodum gratuite ſubvencionis & non alias ſine prejudicio tamen libertatum Eccleſiarum Germanice Nationis & duntaxat ad tempus futuri Concilij ſecundum formam ſupradicti Decreti *Frequens* celebrandi, ſingule eccleſie, metropolitane, cathedrales & abbatie, monaſteriorum Exemptorum quartam partem antique taxe ab olim Camere apoſtolice ſolvi ſolite tempore vacationis infra annum a die pacifice ſeſſionis adepte, prout inferius vacacio exprimitur, ſolvere teneantur colligenda expendenda per collectorem in partibus ut infra ſequitur deputandum. Sed alie dignitates, quecunque eciam Abbaciales in conventualibus ſeu majores in Cathedralibus poſt pontificales aut principales in collegiatis eccleſijs, nec non officia & beneficia eccleſiaſtica quecunque, quorum fructus quatuor marcas

cas argenti non excedunt similiter tempore vacacionum eorundem, dum tamen hujusmodi vacacio aliter quam per simplicem resignacionem aut ex causa permutacionis fiat, & dummodo eodem anno vacacionis non solverit decimam partem omnium fructuum secundum communem estimacionem eorundem realiter in singulis diocesibus taxandam ac juxta consuetudinem cujuslibet civitatis in talibus & consimilibus servatam convocandi in partibus deputandum vel deputandos cotidianis distribucionibus exceptis infra annum, prout in superiori casu dicitur solvere teneatur collectori vel collectoribus per diocesanum loci capitulum catholice ecclesie ac clerum civitatis, qui eciam singulis annis ejsdem de Collectis legalem computum & racionem reddere teneatur. Horum autem collectorum medietas per prefatum singulis annis Camere apostolice pro sustentacione Romani pontificis, dominorum Cardinalium aliorumque officialium curie Romane legatis exsolvatur. De vero medietate eorundem in illis diocesibus, ubi Metropolitanus vel diocesanus loci, aut inferiores, ordinarij puta presbiteri, archidiaconi, aut alij prelati per prefatum decretum fuerint gravati sive lesi proporcionaliter secundum ratam gravaminis per eundem collectorem eis provideatur. Et si quid supererit, hoc fideliter per ipsum collectorem reservetur pro communibus illius diocesani cleri & status ecclesiastici negocijs ac publicis utilitatibus exponendis. Et idem fiat de tota medietate in illis dio cesibus ubi

hujus-

hujusmodi lesionem vel gravamen fieri non contingat.

VI.

NATIONIS GERMANICÆ LITTERÆ AD ALBERTVM ROM. REGEM QVOD EVGENIVS IV. PONTIFICATV PRIVATVS SIT.

Illuſtriſſimo & glorioſiſſimo principi domino domino *Alberto* Romanorum ſemper Auguſto, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie &c. Regi Marchioni Moravie, Duci Auſtrie, &c. domino noſtro metuendiſſimo.

Illuſtriſſime & omnium glorioſiſſime princeps, domine metuendiſſime oracionibus devotis & obſequijs cunctis veſtre Regie Majeſtati ſemper preoblatis. Pridem ſacrum concilium Baſilienſe ut videret Eccleſiam varijs agitari perverſorum conatibus, & dies inanes deduci absque ulla ſpe, quod *Gabriel* olim *Eugenius IIII.* nuncupatus, quamquam ſufficienter requiſitus & expectatus, Eccleſiam ipſam recognoſcere deberet, & vellet, tandem proceſſum jam diu veraciter & juridice contra eum intentatum & habitum coram ſe recenſeri fecit, & examinari, quo liquide examinato & relato cum criminibus notorijs multiplicibus contra eum deductis, repertis, & teſtimonij omni excepcione majoris depoſicione comprobatis ipſum

ipſum *Gabrielem* juſto Dei & univerſalis Eccleſie per ipſam repreſentato judicio papatu privavit, & ab illo ejecit, prout Reverendus Pater dominus Epiſcopus Lubecenſis veſtre Majeſtatis in hac Sancta Synodo Ambaſiator de hijs omnibus, ac veritate ac juſtitia ipſius Sancte Synodi plenius informatus eandem Majeſtatem reddet clariorem. Et quoniam concipimus, veſtre majeſtati, que pre ceteris Regibus Chriſtiane Monarchie principatum tenet, ſumopere intereſſe, ut eccleſie Chriſti provideri debeat de tali preſule utili, & idoneo, per cujus digna opera veſtris junctis viribus Eccleſia & Imperium ſimul proſperari & exaltari debeant ad Dei Laudem & gloriam. Unde ipſi Epiſcopo oratori & Ambaſſiatori veſtre Regie celſitudinis hec & alia aviſanda plenius & exprimenda oraculo vocis commiſimus, cui in hijs referendis veſtra dignetur & velit celſitudo queſumus hac vice ut nobis ipſis adhibere credencie plenam fidem. Qui ad quevis Eccleſie & Imperio ac veſtre celſitudini pro futura nos, ſicut debemus & tenemur, offerrimus integerrime diſpoſitos exorantes altiſſimum, ut veſtram dignetur celſitudinem preſervare diucius ad exaltacionem Eccleſie & Imperij preoptatum. Ex *Baſilea* ipſa die Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum Anno a Nativitate domini M°CCCC°XXXIX°.

N. Volrat.

E. veſtre Regie Majeſtatis humiles oratores preſidens prelati, doctores & alioquin Inclita nacio Germanica in Sacro Baſilienſi Concilio facientes & repreſentantes.

XVII.

VII.

EVGENII IV. PP. LITTERÆ AD VNIVERSITATEM ERFORDIENSEM, QVEIS EI NOTAM FACIT VNIONEM ECCLESIÆ GRÆCÆ CVM LATINA.

E*ugenius* Episcopus servus servorum Dei Dilectis filijs Cancellario & universitati studij Erfordensis salutem & Apostolicam benedictionem. Gloria in altissimis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Iuvat Dilecti filij in vocem exultationes erumpere & gestiente animo cum Angelis miscere letitiam, quandoquidem ineffabile gaudium, quod erit omni Christiano populo nuntiamus; Tanto quippe mens nostra divine consolationis rore perfunditur, ita exhilaratur cor nostrum, ut quod sentimus explicare nequaquam valeamus, solumque in gratiarum actione & voce laudis requiescat affectus noster. Ecce enim quod ardentissimo studio & indefessa pietate olim & longe antequam ad Pontificatus apicem assumeremur, optavimus, occidentalis & orientalis Ecclesie diuturnum perniciosumque dissidium post quadringentos quinquaginta annos divina tandem miseratione sublatum est. Qua in re licet omnem pro viribus adhiberemus diligentiam, quantum ille donare dignatus est, totum tamen illius bonitati adscribimus, sine cujus ope totum est inane quod geritur; Namque ab ipsis nostri Apostolatus initijs omni studio elaboravimus ut utriusque Ecclesie unio felicissima sequeretur & post multas hinc inde

de missas legationes advenerunt ad nos anno preterito adducti & hactenus sustentati sumptibus nostris Carissimus in Christo filius noster Joannes *Paleologus* Romanorum Imperator Illustris & bone memorie Venerabilis frater noster *Joseph* Patriarcha Constantinopolitanus & Locatenentes Alexandrini Anthiocenses & Jerosolymitani Patriarcharum Legatique Trapezuntij Imperatores Hiberorum Ruthenorum & Valachorum cum Metropolitis & Clericis ac nobilibus plurimis & multitudine copiosa. Avidi quippe hujus sanctissime unionis laboribus plurimis marisque periculis se se exponere nequaquam cunctati sunt sacro oecumenico concilio quod inter Italiam & ubi nos commode interesse possemus, fieri magna cum instantia postularunt adesse cupientes, advenerant autem ad disputandum parati sine contentionis vel vitio aut pertinacie studio. Nos itaque Divini humanique juris professores omni ex parte congregare curavimus, qui cupientibus veritatem aperirent Deoque largiente postquam eis tam ex scripturis divinis quam ex sanctis Patribus latinis pariter & Grecis veritas per omnia est patefacta libentissime consenserunt veritati, spiritumque sanctum ex Patre simul & filio procedere professi sunt, summamque Romane Ecclesie & sancte sedis Apostolice auctoritatem, quam improbe nimium quidam opprimere nituntur, grate recognoverunt atque in reliquis consenserunt prout ex Decreto inde confecto quod his inclusum mittimus vestra Devotio apertius discet. Audemus sane in Domino gloriari

riari atque confidentiſſime dicere id etate noſtra peractum eſſe, quo nihil majus nihilque dignius ab ipſo Apoſtolice predicationis tempore Catholica vidit Eccleſia, neque vero hic ſit finis divinorum mirabilium ſed divine miſerationis latior campus aperietur, ut ſol ille juſtitie, qui jam in oriente ortus eſt ad ipſas quoque infidelium tenebras ſue lucis radios effundat, fiatque ſalus hominis usque ad extremum terre, omnes uno ore & uno Spiritu glorificent Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Expectantur ecce indies cum noſtris nuncijs ad id miſſis & jam fere pre foribus adeſſe nunciantur Armenij Gens magna & celebris, parati jam ſe per omnia Romane Eccleſie & ſedi Apoſtolice ſubdere ejusque mandatis & doctrinis incunctanter obedire. Multo itaque dilecti filij, cum in re jam tam multa in ſpe etiam plurima teneamus, omnipotenti Deo hoſtiam obtulimus jubilationis & laudis, vobisque ita inſinuanda putavimus ut noſtrorum in Domino gaudiorum participes facti divine pietati nobis cum gratias referatis, hortamurque ut chriſtiane devotionis affectu per veſtram civitatem Letanias ac proceſſiones orationesque publicas fieri ſuadeatis partim referendo gratias pro acceptis a Deo muneribus, partim orando: complere dignetur omnipotens opus ſuum & barbaras nationes in ſua feritate gloriantes ſub ſacratiſſime Chriſtiane fidei jugum mittere. & quoniam ſpes a Deo leta ſeſe undique aperit, pio movemus affectu ut ad eripiendos ab infidelibus,

a

a quibus indigniſſime opprimuntur illi, preſertim Chriſtianos, nobiſcum pro viribus veſtris animum intendatis jam enim Deo inſpirante, terreſtresque copias proximo vere parare intendimus ſperantes, quod qui cepit in nobis opus bonum ipſe perficiet ac per hujusmodi ſtudia noſtra a jugo miſerabilis ſervitutis Catholicum Gregem propitius ac benignius eripiet, confidimus autem negotium facillime feliciſſimeque ſucceſſurum per Chriſtianorum Prelatorum Principum & aliorum fidelium opem atque operam. Accingimini itaque dilecti filij ardentique animo concurrite ad hec ſtudia pietatis ex quibus in hoc ſeculo gloriam conſequimini & in futuro cum pijs fidelibusque, qui ab initio placuerunt Deo, conſcribi merebimini. Nos enim omnes per alias noſtras litteras & nuntios requiremus. Datum *Florentie* Anno Incarnationis Dominice M°CCC°XXXIX°. Non. Julij Pontificatus noſtri anno

VIII.

PRINCIPVM ELECTORVM S. R. I. APPELLATIO A DECRETIS INTER SYNODVM BASILEENSEM ET EVGENIVM IV. PP. LATIS SEV FERENDIS &c.

Nos &c. Sacri Romani Imperij principes Electores coram venerabilibus viris notarijs & teſtibus hic preſentibus proponimus & dicimus, quod

 licet

licet fidos nostros & indefessos labores impendimus gravissimis expensis, ut Catholici principes solicita convencione sedula oratorum missione, ut detestabile inter sanctissimum dominum & sacrum Basiliense concilium cessaret dissidium, reformarentur difformia, fieret pax in populo Catholico, in omni honore & reverencia ecclesie status refloreret; hactenus tamen, quod dolenter referimus, tam gratum nil aut acceptum partibus hinc inde nostre sollicitudines offerre potuerunt, per quod ad pacem nonnunquam digesta oblata media condescenderunt, sed nostris, Regum & principum seclusis precibus, pendentibus laboribus, & expressis protestacionibus, que veluti scismatis fomenta extinguere quesivimus, in execrabilem & duriorem se divisionem precipitarunt. Sanctissimum Dominum nostrum, dominum *Eugenium* papam IIII quadam sua sentencia patres sacri Basiliensis Concilij, ut asserunt & palam predicant, ab omni pontificali & papali administracione deponentes, privaverunt; sicque omnes se dicti patres papali administracione inmiscentes ea agunt, & nituntur expedire, que dictus dominus *Eugenius* papa & alij Romani pontifices facere consueverunt. Dicto nichilominus sanctissimo domino nostro se opponentes, & in contrarium omnia sua, ut ante auctoritate utente id evenit, ut contrarijs tam in hujusmodi diffidij & divisionis materia, quam etiam in alijs casibus dietim processibus, sentencijs, mandatis & edictis nos & nostri molestemur & cottidie requiramur; que etsi hactenus spe future pa-

cis,

cis, licet maximo incommodo & in grave Ecclesiastici status periculum pacienter suscipimus; conspicimus tamen, non solum ad pacem non consentire quinymo hujusmodi divisionem multipliciter confovere. Nos itaque attendentes, dum in radice, clare palam contraria predicatur auctoritas, contradicit, quidquid tandem ejusdem auctoritatis pretextu quomodolibet editur, decernitur sive mandatur, & uni obedire studemus, in aliud veremur incidere, sicque timorate undique fluctuant consciencie, nesciunt in quam partem declinare. Succedunt dietim irreparabilia scandala, vertitur in vulgi disceptacione superioris auctoritas, a summo usque ad yma singuli fidelium conventus, prochdolor, ut videmus hoc scismate ob singulares affectiones graviter maculantur res hec tenebrosa aqua in nubibus aeris ingeniorum nostrorum vires excedit, & absque periculo non valemus apud nos ipsos rem cum literatissimis tam difficilimam determinare. Quibus attentis hac hactenus confidencia ducti, probabili nostra pensata dubitacione speramus neutri nos parcium hac diversitate minime diffinita aut determinata in alio Concilio, ut cum alijs Regibus & principibus sepe expectavimus, requisivisset. Sed hijs non obstantibus nunc per legatos, nunc per oratores, nunc vero per bullarum affixionem pretendunt hinc inde nos requirere, ut in tam arduissima re, que de auctoritate ecclesie, fideique Catholicæ fundamentis multipliciter variat, partem statim assumamus, uni obedientes reliquum repellendo, quemadmo-

dum in dictis asseritur contineri Bullis, literis & processibus, quas hic repetimus, & pro expressis haberi volumus, quantum pro nobis faciunt & non aliter, seu alio modo, de quo expresse protestamur, plenius continetur. Ex illis igitur causis & alijs suo loco & tempore deducendis proponendis & allegandis, de quo sollempniter protestamur, ab omnibus & singulis mandatis, processibus sentencijs sive edictis occasione presentis diffidij directe vel indirecte quomodolibet fulminatis seu fulminandis requisicionibus jam factis aut in futurum faciendis, pro nobis, nostris & cujuslibet nostrum subditis, adherentibus & adherere volentibus ad sacrosanctum Basiliense futurum sinodale vel ycumenicum Concilium sanctissimum Dominum nostrum Eugenium papam IIII sanctam sedem apostolicam alium, vel alios, ad quem vel ad quos, de jure fuerit appellandum omnibus melioribus modis, via, causa & formis, quibus hoc efficacius fieri potest & debet, tam conjunctim, quam divisim provocamus & appellamus, submittentes nichilominus nos & omnia bona nostra ac adherencium & adherere volencium prefatorum sacri Concilij, sanctissimi domini nostri domini *Eugenij* sancte sedis apostolice seu alterius ad quem appellandum fuerit protectioni & defensioni; cum peticione instanter, instancius & instantissime, a vobis apostolos seu literas dimissoriales nobis tradi & assignari, protestantes, quod per nos non stat, quominus eas, recipiamus, si quis sit, qui nobis eas dare vellet, tradere & assignare. cum prote-

stacione

ſtacione de inſinuando proſequendo hujusmodi appellationem ſuis loco & tempore oportunam. Super quibus a vobis dominis notariis publicis petimus inſtrumentum confici, ſeu inſtrumenta, unum, vel plura, tot, quot fuerint neceſſaria & oportuna; cum alijs proteſtacionibus & clauſulis apponi ſolitis, neceſſarijs & conſuetis, ſalvo jure addendi, mutandi, minuendi alias prout fuit & eſt moris & ſtili. Exhibita eſt preſens cedula nobis notariis infra ſcriptis per Reverendos patres dominos *Theodricum* Archiepiſcopum Maguntinum ac *Jacobum* electum & confirmatum Treverenſem pro ſe & nominibus proprijs nec non prefatum dominum *T.* archiepiſcopum illuſtris principis *Friderici* Marchionis Brandenburgenſis Reverendum patrem *Fridericum* Epiſcopum Wormacienſem Illuſtris principis domini *Ludovici* Comitis Palatini Reni, ac Venerabilem dominum *Henricum de Erpet* Reverendiſſimi Patris domini *Theodorici* Colonienſis Archiepiſcopi principum Electorum oratores & ambaſſiatores.

Die Jouis XIII Auguſti hora veſperorum vel quaſi in ſtuba capitulari Eccleſie Maguntinenſis preſente domino *Joanne* abbate ſancti *Mathie* extra murum Treverenſem & *Philippo de Sirck* Decano eccleſie Treverenſis anno Domini &c. XXXIX°.

Henricus Doliator
Notarius.

IX.

PROTESTACIO PRINCIPVM ELL. DE NON ADHAERENDO NEQVE PONTIFICI NEQVE CONCILIO DVRANTE DISSIDIO.

Prima pars proteſtacionis.

Nos &c. Attendentes & ſi ſacrorum generalium Conciliorum, ſedisque apoſtolice honor & auctoritas ut principibus catholicis Sancte Matris eccleſie filijs in cunctis agendis noſtris ſemper inſideat animus, totum in hoc jactamus cogitatum, ut inter fluctuantes monitorialium Sentencias, quas prochdolor preſens ad nos eccleſie ſcisma cottidie defert contra eas ſic recti tramitis incedamus protecti clipeo ſic ſedem honoremus apoſtolicam, ut Sacrorum Conciliorum non ledatur auctoritas, & ſacras ſic generales colamus ſynodos, ut Apoſtolica ſedes, quam inter cunctos primam credimus non juris ſui preeminencia deprimatur. Sed quod dolenter referimus, adeo Sacrum Baſilienſe Concilium & Sanctiſſimus Dominus noſter ſe mutuo inter ſe invicem contrarijs proceſſibus inſeuiunt, mandata atque decreta tam diverſa conficiunt, ut non ſolum quid ea in re verius, juſtius, ſanctiusque tenendum ſit, nos ipſi probabiliter ignoremus. Quinymmo Confuſio ſtatus multiplicatur, eccleſie ſuccreſcunt ſcandala, fidelium hominum perplexantur animi, dietim graviter ſerpit diviſio, ut niſi celeri aliquo occurratur antidoto, dato libello

repu-

repudij ecclesie unitas tam in superioribus potestatibus, quam singulis fidelium conventibus extra mundi terminos exulabit. Sacrum namque Concilium non solum sanctissimo Domino nostro *Eugenio* Pape nullam papalis dignitatis administrationem attribuit, quinymmo privatum predicat & ut privatum & depositum reputari, sibique non obediendum cunctis principibus & fidelibus Christianis palam maximarum penarum formidine conatur precipere: Vice versa sanctissimus Dominus noster nullam Basiliensi generali Concilio auctoritatem deferre, quinymmo conciliabolum, & ad alia pretendit loca, translatum inhibens nichilominus penis non mediocribus, ne quisquam cujuscunque status &c. concilium audeat Basilee profiteri, prout in bullis, literis & processibus parcium, quos, quantum pro nobis faciunt, hic repetimus, & pro expressis habere volumus, plenius continetur. Euenit prochdolor, ut quidquid altera parcium sua eciam auctoritate agitat, alteram non solum hereticum dicit & scismaticum, quinymmo in maximam fidei Catholice utriusque auctoritatis lesionem, scandalum & confusionem tocius orbis palam & publice promulgare non veretur. Nos itaque ut catholici principes & fideles sancte matris ecclesie & sedis Apostolice devoti filii hujus nostre matris condolentes angustijs fidos nostros, indefessos, multiplices nunc soli, nunc aliorum Regum & principum assistencia precibus & protestacionibus hactenus labores impendimus, quantumque absque gravi perplexitate animorum potui-

 mus

mus ſpe future pacis neutri parcium quicquam obediencie impendere diſtulimus, quod dum tandem, ut deſideravimus, minime fuiſſe conſpicimus, & quod tanta ſinceritate extinguere conati ſumus ex utriusque partis adherencia, amplius, quod dolenter referimus, conſpicimus dilatari. Animadvertenter conſideravimus, quodcunque in antea ſacri Baſilienſis Concilij mandatum obediendo recipimus contra ſanctiſſimum dominum Noſtrum *Eugenium* nos poteſtatem erigimus, illi contradicimus, ſueque reſiſtimus auctoritati. Et ſi quo ſanctitatis ſue precepto paremus, ſacrum nos Baſilienſe Concilium fautores ſcismatis & heretice pravitatis reputabit. Hec noſtrorum diverſitas vires excedit ingeniorum, hic os in celum tollere veremur, has duas eccleſie preeminencias noſtre volentes inniti prudencie, nequaquam poſſumus, volumus, ſeu intendimus, tam tenebroſam in nubibus aeris queſtionem quomodolibet diffinire; in tanta profecto contrarietate proceſſuum predictorum, mandatorum, requiſicionum merito perplexi veluti inter retia provoluti piſces, latera undique pertimeſcentes neſcimus, in quam partem declinare. Timoratis undique querentes gravatis conſulere conſciencijs, ne, dum unum amplectimur, in alterius laqueum graviter incidamus, confuſioni tociusque fidei catholice & eccleſiaſtici ſtatus & innumerabilibus in populo ſcandalis que ex utriusque partium propter adheſionem premiſſorum provenire cottidie cernimus & que dietim prochdolor, niſi occurratur, graviora expectaremus;

mus; possibilibus nobis remedijs occurrere cupientes sacri Constanciensis Concilij attenta constitucione super provisione scismatis edita; que incipit: *Frequens* &c. certis inter nos aliosque Reges & principes intelligencijs confisi supradictis causis aliisque suis loco & tempore clarius explicandis, alias per nos factas protestaciones innovantes in hijs scriptis convenimus, dicimus & protestamur.

Secunda pars protestacionis.

Quod in antea nullum edictum, sentenciam, processum, seu alias mandatum quodcunque parcium contra, aut in se invicem alios quoscunque seu quecunque, cujuscunque statum dignitatem, beneficium, officium, bona, res, Jus, vel actionem judicium seu gravamen quomodolibet directe vel indirecte respiciens, cujuscunque dignitatis condicionis & status, eciamsi papalis fuerit, occasione præsentis diffidij fulminatis, si qui fierent, aut fulminarentur in futurum sive contra decreta alias per nos acceptata, sive alias quecunque, sive quascunque contrariorum effectuum in terris & dominijs nobis & dicionibus nostris subjectis, ne quaquam recipiemus publicari, seu affigi permittemus. Quinymmo impetrantes, promoventes eciamsi motu proprio concedentur, recipientes utentes, publicantes seu affigentes, in judicio quomodolibet dantes vel allegantes, eo ipso ex omnibus dominijs & terris nobis subjectis censeantur relegati & bona eorum ipsorum confiscata, ultra hoc si extranei fuerint penis condignis arbitrio ordinariorum moderando arcius puniendi.

Tercia pars proteſtacionis.

Verum cum non ſolum ex ſupradictis mandatis proceſſibus, ſentencijs ſive edictis, quinymmo eciam ex ſingularibus alijs conceſſionibus ſentencijs proceſſibus ſive mandatis qualiacunque ſint aut quibuscunque nominibus cenſeantur, ſic ut premiſſimus in fonte & origine contrarietas, aut perplexitas generetur. Quinymmo experientia nos diuturna edocuit ſtatum non ſolum univerſalis, ſed & aliarum acclesiarum confundere graviter, ſcandala irreparabilia generari, & partes hinc inde contendentes per multorum aſſiſtenciam multipliciter in ſuis extremitatibus confoveri. Edicimusque ſimiliter in antea nullius partis proceſſus, mandata, ſentencias decreta, vel que per ſe aut alios ſua auctoritate in quibuscunque cauſis vel negocijs eciam pendentibus poſt tempus hujusmodi contingeret fieri in terris & dominijs noſtris, nullatenus recipiemus. Quinymmo publicantes affigentes ſeu alio quovismodo utentes, penas ſupradictas eo ipſo incurrat, primarie literas, & alia omnia in foro conſciencie ſuo cuique judicio relinquentes. Nolumus tamen per premiſſa ea, que pro utraque parte prius rite facta, data aut conceſſa fuerint in aliquo ledere, ſed illa in omni ſuo robore cum effectu durare & firmiter obſervare. Et ſic noſtra tam ſpiritualia, quam ſecularia ordinabimus conſiſtoria, ut unicuique petenti, quomodolibet ceſſante impedimento juſticia miniſtretur.

Con-

Conclusio protestacionis.

Ut autem pia & sincera omni menti clareat intencio, nec quisquam nos ut acephalos videre, aut sine superiori auctoritate stare velle sinistre forsan suspicetur; dicimus, & expresse protestamur, quod per dictas convenciones ordinaciones seu ad invicem consensus non intendimus, neque volumus ab obediencia sacri Concilij aut sancte sedis apostolice quomodolibet recedere; sed in tantis contrarietatibus, angustijs, scandalis & perplexitatibus, ut ad pacem unionem deveniatur cicius, animos nostros suspensos tenere; donec per aliud sacrum Generale aut ycumenicum Concilium, aut alias de Concilio literatorum & doctorum nostrorum, sacrique Romani Imperij optimatum, quid agendum, cui pocius obediendum sit, conclusum fuerit seu determinatum, ad quod efficiendum labores nostros, quantum injunctis nobis incumbit officijs, solum Dei, sancte matris ecclesie & sedis apostolice respectu Deo nobis auxiliante, operam dabimus, laboresque nostros fides & sollicitos impendimus. Actum de mense Novembris in *Franckofordia*. Anno Domini MCCCCXXXIX.

X.

MEINES HERRN VON BREMEN BRIEF ALS VON DES CONCILIVMS WEGEN.

Wir *Baldewin* von Gots Genaden Ertzbischoff der heil. Kirchen zu *Bremen* bekennen und thun khund offenbare mit diesem Brief, als der allerdurchleuchtigst fürst und herr unser genädigster lieber herr *Albrecht* seeliger romischer Koning zu allen Zeiten merer des Reichs und zu Hungern zu Beheimen &c. Konig Herzog zu Ostereich und Margraf zu Merhenn von solicher schweren zwitracht wegen die sich dann layder gemacht hat, und endstanden ist zwischen unserem heiligen Vatter dem pabst *Eugenium* und dem heil. Concilium zu Basel vorgesetz und ob yzunt uf einen Tag zu Franckfurt gehalten uf allerheiligen Tage allernechst vorgangen sich mit dem Erwurdigsten und hochgebornen allen und yglichen des heiligen Romischen reichs Churfursten und andern fürsten geistlichen und weltlichen einig zu seyn zu bleiben und einmütigelichen fried und gnad zu machen in der heiligen Kirchen verstrickt und verbunden haben, in form und maas als ir Bundnuss brief ausweisend die hernach volget und beschrieben steet. Von Gots genaden wir &c. alle des vorgenanten reichs Churfürsten bekennen und thun khund offentlich mit diesem Brief für unser Stifft Erben und nachkommen. als wir vorzeiten von solicher zweitracht wegen die zwischen unserem heiligen Vatter den pabst *Eugenium* und den heili-

heiligen Concilium zu Basel uferstanden ist, uns freundlichen zusammen verbunden haben bey einander zu bleiben. Wie solich eynung dabey wir auch genzlich bleiben sollen und wollen innheltet, haben wir gemerckt und zu herzen genomen das soliche zweitracht seither dessen dieser eingerissen ist und furter einbrechen mag, daraus ein groser unrat der heil. Kirchen dem heiligen Christen glauben und dem heiligen reich ufersteen wie die vorgenante heilige Kirch nicht schire in friede gesetz wurde, darum wollen wir nach Innhalt solicher Eynung darzu noch getrewlichen rathen helffen und arbaiden das in der heiligen Kirche fried gemacht werde; und uns wie es sich furter mit solicher Scisma das dann yzunt vor augen ist, machen wurde, das Got wende. Es wäre zwischen einem pabst und einem Concilium zweyer Pabsten oder zweyer Concilien oder wie sich das sonst machen würde von Jemand nit schaiden oder schaiden lassen ohne alle geverde. Und wann gerede mancherley Gebott processus und Brief von beyder partheyen usgehen und verkhundiget werden mögen, haben wir in einer anderen uns eynung protestation und Appellation geordnet und gesatz wie es damit gehalten und bey solcher pene die da eingeschrieben steet von niemands uberfahren werden solle, wir getrauen auch das alle andere fürsten geistlich und weltlich sich von uns in solich obgeschriebenen Gotlich und redlich eynung schaiden sollen noch wollen. die wir auch alle gern in dieser uns eynung in obgeschriebener mass nen-

nen

nen wollen, alle vorgeschriebene stuck punckt und artickel protestation und appellation geordnet stete vest und unveruckt ane alle argelist und geverde gehalten zu werden, han wir alle und ygelich besonder einander mit handgebanden trewen gelobt und geloben das auch gegenwarteglichen in Crafft dies Briefs. Und des zu urkhund haben wir unser Inngesiegel an diesen Brief mit rechter wissenschafft lasen hencken, der geben ist zu franckfurdt an Sanct Martinstag des heiligen Bischoffs anno Dni M. CCCC XXXIX.

Das wir Baldewin Ertzbischoff der heiligen Kirchen zu Bremen vorgenandt zu den erbnemenden unsern Herrn den Churfursten und anderen unsern Herrn und guten freunden und in soliche eynung getreten und inngegangen sein, sollen und wollen auch die in allen iren stucken synen Innhaltungen und Schrifften genzlichen und trewlichen halten und volfuhren uns von ine nicht schaiden lassen in den sachen um keinerley sach willen, ane arg und ane alle gevehrde. Das reden und loben wir auch bey unsern furstlichen Trewen gegenwertig in Crafft dies Briefs und des zu urkhund haben wir unser Inngesiegel gehenckt an diesen Brief. Geben zu Luneburgk nach Christi gepurt vierzehenhundert darnach in dem Neun und dreissigsten Jare des vierten Tags in Decembri dem Monat also genant.

XI.

XI.

NATIONIS GERMANICÆ LITTERÆ AD FELICEM V. HORTATORIÆ VT CITO AD CONCILIVM VENIAT &c.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri & domino, domino FELICI quinto divina providencia in summum pontificem electo.

Sanctissime ac beatissime pater post devota pedum oscula beatorum. Quanto devocionis desiderio estimet peculiaris illa vestre sanctitatis filia, Germanica nacio ipsiusque supposita illam in sacro Basiliensi Concilio facientia super ejusdem sanctitatis adventu celeri, longe ad enarrandum non sufficerent epistole, ut tamen pro modulo illud ipsum atque bona ex adventu vestre sanctitatis, adversaque ex mora nimia, haud dubie, uti formidamus, profutura, eadem vestra sanctitas cognosceret. Honorabili Magistro *Rudolpho* causarum camere sacri Concilij Basiliensis auditori, nostreque nacionis membro injunximus eandem vestram sanctitatem de hijs reddere cerciorem, cum & ipse de hijs plurimum informatus ex diversis existat, ipsamque quo devocius poterit exhortari, quatenus quantocius gressus suos ad ipsum sacrum Concilium eandemque filiam ejus nacionem dirigere velit. Cui in referendis hujusmodi credencie plenam fidem adhibere, nobiscum in singulis precipere dignetur eadem sanctitas vestra, quam altissimus feliciter & votive pro felici Regimine ecesie

clesie sue sancte per tempora longiora conservet; Datum *Basilee* die XVII. Mensis Maij anno &c. XL°. nostre nacionis sub sigillo.

Vestre Sanctitatis ac Beat. devotissimi presidens, ceterique prelati ac supposita nacionis Germanice in Sacro Concilio Basiliensi.

XII.

FELIX PP. LITTERIS HORTATVR VNIVERSITATEM ERFORDIENSEM AD FIRMAM VNITATEM IN CAVSA CONCILII BASILIENSIS.

F*elix* Episcopus servus servorum Dei Dilectis filijs Rectori & Vniversitati studij Erfordensis salutem & Apostolicam Benedictionem. Satis per alias litteras ad summi Apostolatus apicem assumptione & acceptatione, quam ex urgentissimis caussis fecimus, vobis scripsisse meminimus, nunc autem fervorem nostrum dietim in commune bonum magis augeri intelligimus, quodque ad aures nostras deductum est, Vniversitatem vestram magno studio Vniversalis Ecclesie & Generalium Conciliorum auctoritatem prout merito debet predicare & defendere, dignum esse censemus ut omnia que pro fidei exaltatione & statu Ecclesie facimus, vestris Devotionibus communicemus ac de unitate vestra

veſtra informati ſanctam matrem Eccleſiam prout facitis in hoc tribulationis ſue tempore adjuvare & defendere pro veſtris viribus perſeveretis. Etenim dilecti filij poſtquam, ſicut vobis preſcripſimus, electioni de nobis facte preſtitimus conſenſum, nulla noſtre auctoritati major ſolicitudo inſedit, quam ut ſanctam Generalem ſynodum Baſilienſem perſonaliter accederemus, una cum Venerabilibus fratribus & dilectis filijs in ea congregatis commune bonum & pacem populi Chriſtiani pro noſtris viribus promoturi, eoque deſiderio ducti recedentes ex ſabaudia & honorati undique in via prout Chriſti Vicarium decebat, die XXIIII. junij non ſine magna letitia & exultatione omnium Civitatem hanc Baſilienſem intravimus, exinde autem volentes prout juſtum erat vocationis noſtre debitum adimplere die XXIIII. julij Conſecrationis & Coronationis noſtre inſignia ſuſcepimus, ad quam ſolemnitatem ſicut audiviſſe vos credimus ultra Prelatos qui in ipſa ſynodo erant plures Principes & Domini tam Eccleſiaſtici quam ſeculares ac principum prelatorum & Comitatum Oratores confluxerunt volentes ut grati Eccleſie filij illum in perſona noſtra, cujus vices gerimus, honorare, fueruntque cuncte ſolemnitates ad decus & honorem Eccleſie ſicuti Domino placuit cum magna pace & tranquillitate peracte, que omnia vobis qui bonum & felicem ſtatum Eccleſie deſideratis ad conſolationem veſtram libenter enarramus, exhortantes Devotiones veſtras & in Domino veluti dilectos filios commoventes ut pſeudo-prophetas,

 qui

qui ab hoſtibus Eccleſie miſſi Chriſtianam religionem intuentes, obfuſcare veritatem diverſis coloribus nituntur contempnere & confutare non deſiſtatis, ſcientes quia ſi, ut in veſtra preſtanti unitate confidimus lumen ſcientie & doctrine veſtre in fidei Catholice & auctoritatis Eccleſie defenſione accenderitis, a vobis gratiam & benevolentiam & ab ipſo Deo qui nullum irremuneratum preterit bonum condigna premia reportabitis. Preterea quoniam Venerabili fratri *Stephano* Epiſcopo Maſſilienſi & dilectis filijs *Marco Boniffilij* in Theologia & *decamslao* Prepoſito Tridentino in artibus Magiſtris non ſolum veſtris ſed etiam ſacri Baſilienſis Concilij oratoribus, quos ad Poloniam deſtinamus, nonnulla ſtatum Univerſalis Eccleſie Apoſtolice ſedis & noſtrum concernentia vobis in tranſitu referenda commiſimus devotiones veſtras facimus exhortatas ut eis aut duobus ipſorum in dicendis noſtro nomine plenam credentie fidem adhibeatis. Datum *Baſilee* XI. Kal. Octobris. Anno a Nativitate Domini M°CCCC XL. Pontificatus noſtri Anno primo.

XIII.

CONCILII BASILIENSIS ADHORTATORIA AD UNIVERSITATEM ERFORDENSEM.

Sacroſancta Generalis ſynodus Baſilienſis in Spiritu ſancto legitime congregata Univerſalem Eccle-

Ecclesiam representans, Dilectis Ecclesie filijs Rectori & Universitati studij Erfordensis salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Laborantes assidue pro communi bono totius populi Christiani libenter quidem audivimus viros bonos & scientia preditos arma & scutum pro defensione fidei assumere, inter quos & vos esse dietim magis cognoscimus, qui ut filij Ecclesie grati matrem vestram honorantes justitiam nostram & unitatem qua innitimur adversus quoslibet detractores tam scriptis quam verbis acerrime defenditis opponentes vos murum pro domo Israel stantes in prelio cum necessitas poscit. Rem itaque ut reipublice Christiane utilem & Deo gratam sic vestra universitate & viris dictis, quales vos estis, dignissimam facitis; Quare hortamur vos ut in hoc potissimum tempore quando leo rugiens circuit, querens quem devoret, in sancto proposito vestro perseveretis, Ecclesiamque matrem vestram pro viribus juvantes tam in congregationibus que modo in Germania fiunt vel faciende sunt, quam alibi, ubicunque potestis, vestris imo verius Catholice fidei emulis qui spretis ipsis promissionibus & juramentis tanquam perditionis & iniquitatis alumni proferre in matrem suam blasphemias non verentur, viriliter & fortiter resistatis habentes spem firmam in Christo, qui sponsam suam immaculatam cum qua promisit se futurum usque ad consummationem seculi, absque auxilio non relinquet, quia licet non cesset impugnari Ecclesia & insidias pati licet eam iniquitates temptationum & hereticorum procelle repercutiant,

 funda-

fundamentum tamen quod ſuper petram eſt, non quaſſabitur. Eſtote igitur alacres in hoc ſpirituali certamine conſtantibusque & magnis animis temptationibus preſentis temporis ac aſtutijs ſathane reſiſtite, ut cum auxilio veſtre doctrine auctoritas eccleſie defendi & pax pulcherrima reſtaurari valeat in populo Chriſtiano, vobisque tandem glorioſi certaminis ab eo cujus res agitur premia impendantur felicitatis eterne. Nosque nihilominus in omnibus que pro veſtra univerſitate cum Deo poterimus favorabiles exhibebimus. Datum *Baſilee* VIII. Kal. Decembris Anno a Nativitate Domini M°CCCC°XL°.

XIV.

FELIX PP. AD UNIVERSITATEM ERFORDENSEM E CONCILIO BASILEENSI.

F*elix* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Dilectis filijs Rectori & Univerſitati ſtudij Erfordenſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Bonum certamen certare dietim vos viros probos & ſcientia preditos non ſine conſolatione & animi alacritate audimus, namque in hoc ſpirituali bello in quo noſtri & Eccleſie emuli contra fidem & veritatem inſurgunt plurimum conſolamur Univerſitates ſtudiorum Generalium in quibus lumen ſcientie & cognitio veritatis exiſtit, noſtras partes tueri & id quod nos dicimus dicere. Scimus enim filij nobis dile-

dilectissimi & in Christo plurimum amandi, quot & quanta pro defendenda justitia & veritate quibus hec sancta synodus Basiliensis innititur tam scriptis quam verbis continuo afficitis, Laudamusque rectam intentionem & sanctum propositum vestrum. quia tamen nunc precipue tempus est in bello standi nuncque omnibus viribus adversus inimicos fidei est utendum, quando varie practice ad opprimendam veritatem tenentur & quando plus solito inimicus humani generis hostis struit insidias, nos attente hortamur & admonemus in Domino ut in conventionibus que per Germaniam fiunt seu sunt faciende, nuncij vestri non desint qui vestro nomine pro veritate suscipiant Clypeum sed in illis & alibi ubicunque potestis, lumen scientie vestre in defensione Ecclesie ostendatis, ut cum auxilio vestre doctrine auctoritas Ecclesie servetur illesa & sancta illa opera pro quibus hec sancta synodus extitit congregata jam tandem feliciter perfici possint, nosque ulterius vestris dilectionibus ad omnia que cum Deo pro vestra universitate possumus cum sincera dilectione offerimus. Datum *Basilee* VII. Kal. Decembris Anno a Nativitate Domini M°CCCC°XL. Pontificatus nostri anno primo.

XV.

BVLLA CERTIFICACIONIS CONCILII BASILIENSIS DE FVTVRO CONCILIO CONVOCANDO ET TRANSFERENDO QVO ELECTORES A DICTO CONCILIO PETENT.

Sacro ſancta Generalis ſynodus Baſilienſis in Spiritu ſancto legitime congregata univerſalem eccleſiam repreſentans ad futuram rei memoriam &c. ad laudem omnipotentis Dei pacem & exaltacionem eccleſie ac tranquillitatem populi Chriſtiani prompto corde & efficaci deſiderio intendentes, ea libenter ordinamus & querimus, per que hujusmodi pax & exaltacio tranquillitatis merito valeant promoveri. Cum itaque cariſſimus eccleſie filius *Fridericus* Romanorum Rex Illuſtris, nec non venerabiles fratres & dilecti eccleſie filij nobiles viri ſacri Imperij Romani principes electores per multa retro acta tempora labores indefeſſos & operas ſollicitas impenderint, quibus pax & tranquillitas in eccleſia Dei floreſceret & ſacrorum Generalium conciliorum illibata luceret auctoritas,, nec illa videretur apcior, & toti populo Chriſtiano via gracior, quam ut ad aliud Generale concilium deveniatur, In quo cauſa ſcismatis, omniumque aliarum differenciarum & diſcordiarum, que in Eccleſia Dei exorte ſunt, quantum fieri poteſt, examinentur, & expediantur, & quoniam, ſicut nuper accepimus, Rex Romanorum & Principes electores ſupradicti per ſe vel oratores ſuos ſolempnes

in opido *Frankfordensi* Maguntinensis Diæcesis in Kalendas Septembris proxime venturi, aut saltim ipsi principes electores vel eorum oratores & nuncij solempnes habebunt convenire super ydoneitate loci pro hujusmodi concilio celebrando tractaturi, nos itaque tam pium & ecclesie Dei necessarium opus pro toto posse promovere volentes, de prefatorum Regis & Electorum circa ecclesiam dei zelo & devocione, ac ipsorum circa premissa prudencia & circumspectione plene confisi, sperantes, quod in talem locum vota sua dirigant, qui rebus gerendis accomodus ac zelatoribus tranquillitatis ecclesie Dei gratus sit futurus, Et nunc pollicemur & bona fide promittimus, nos generale concilium indicturos, nosque seu hanc Basiliensem synodum translaturos in locum, quem prefatus serenissimus Romanorum Rex, & predicti principes Electores aut ipsius Regis & Electorum oratores & nuncij, aut saltem ipsi principes Electores seu eorum oratores & nuncij in convencione sua in dicto Opido *Frankfordensi* circa mensem Septembris proxime venturum duxerint deputandum, Iniciandum eciam in diem, quem similiter duxerint nominandum & deinde celebrandum & continuandum, ac Insuper, quod dicta nominacione & deputacione facta locum ipsum deputatum in diem seu tempus nominatum solempniter decretabimus, nosque seu dictam factam synodum in locum hujusmodi in diem seu tempus decretatum transferemus, in quo causa scismatis in Ecclesia Dei prochdolor exorti plene terminetur & expediatur, ac de cete-

 ris

ris ecclesiæ Dei necessitatibus provideatur, prout ipsum Concilio visum fuerit expedire. Mandamus propterea venerabilibus fratribus patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & dilectis Ecclesie filijs, Abbatibus & ceteris prelatis in virtute prestiti juramenti & sancte obediencie, quatenus personaliter carissimos in Christo filios Reges & nobiles Viros Principes duces & Marchiones & alios, qui Generalibus concilijs interesse debent, vel qui prodesse possunt, quoquomodo per viscera caritatis domini nostri Jesu Christi invitantes & exhortantes, quatenus pro pace ecclesie & omnium Christianorum, eciam si personaliter possint alioquin per solempnes oratores congruo tempore dicto Concilio debeant interesse, ut sic congregata fidelium multitudine copiosa incumbencia negocia auctore domino salubriter ordinentur & feliciter expediantur. Datum.

XVI.

BASILIENSIS CONCILII LITTERAE AD UNIVERSITATEM ERFORDENSEM, VT ORATORES AD CONVENTVM FRANCOFORDIENSEM ABLEGET.

Sacrosancta Generalis synodus Basiliensis in Spiritu sancto legitime congregata universalem Ecclesiam representans dilectis Ecclesie filijs Rectori Doctoribus & Magistris *universitatis studij Erfordensis* salutem & omnipotentis Dei benedictonem.

nem. Filialem devotionem & magnos caritatis effectus, quos ad sanctam Dei Ecclesiam & auctoritatem sacrorum Conciliorum Generalium gerunt animi nostri, jam cognoverunt plurime regionis orbis ad quas non solum fama vestre sapientie sed tractatus per nos editi pervenerunt preclare differentes de ipsa Conciliorum auctoritate & veritate ac justitia quam habet sancta synodus, prosequitur pariter cum sanctissimo Domino *Felice* Papa V. per eandem synodum ad summum Apostolatum assumpto gratias quas altissimo debet agere universa Christi Ecclesia, dum persecutionibus irruentibus ac fluminibus mundanarum adversitatum inundantibus ut Domum Dei concutiant vel evertant, insurgunt ex adverso in defensionem & sustentationem ejus probi zelatores veritatis & studiosi vestre sapientie opponentes se murum pro Domo feliciter & dum varijs artibus ac seductionibus animas fere innumeras decipi & illaqueari conspiciunt, effundant talenta scientiarum sibi creditarum a Domino ut multas earum lucrifacere possint & de tenebris peccatorum atque errorum in lucem educere veritatis & salutis. Sic vestra insignis universitas videns languores & ecclesie ac religionis Christiane, dum non solum ad abjectionem & contemptum reformationis jam multis quesite laboribus sed etiam ad enervationem & conculcationem auctoritatis omnium Conciliorum Generalium tendebatur, tanto malo virtuose obsistere voluit informans quantum in se fuit, omnem conscientiam hominum, quid pro salute animarum suarum agere qualem-

cumque viam in hoc turbulento tempore tenere deberent; aperte enim conſpexerunt prudentie Veſtre quantis practicis multimode perſecutiones adverſus hanc ſanctam ſynodum procurate ſint, dum prefatam Conciliorum auctoritatem defenderet, reformationem proſequeretur, ſatisque intelligunt, quam modica de Concilijs Generalibus deinceps mentio haberetur, ſi in tantis certaminibus hec eadem ſancta ſynodus ſuccumberet proſcindereturque veritas tam longo tempore defenſata, ſed confidimus in Domino quod Eccleſiam ſuam non conculcari permittet, Veſtrasque Devotiones exhortamur ut in eo fideliſſimo labore quem pro ipſa Dei Eccleſia & animarum ſalute ad Dei gloriam inchoarunt conſtantibus animis perſeverent, nec ceſſent in auribus principum & aliorum maritare doctrinam veritatis & nunc ſingulariter huic ſancto & neceſſario operi efficacius intendere velint dum magna conventio Prelatorum Principum & aliorum inſignium virorum apud *Francfordiam* Maguntine Dieceſis proximo feſto beati Martini teneri diſponitur ad quam Kariſſimus Eccleſie filius *Fredericus* Rex Romanorum perſonaliter venire intendit, oportunum enim tempus adveniſſe videtur quo Doctores Divini & humani juris non ponant lucernam ſcientie ſue ſub modio ſed ſuper candelabrum ut luceat omnibus qui ſunt in domo Domini; gravemque reatum incurrerent ſi in tanta neceſſitate obmutescerent, & de manibus eorum requireret Deus ſanguinem pereuntium animarum. Exurgant igitur Devotiones veſtre in adjutorium

torium ſanɛte Eccleſie Dei & cum Conventio in eadem Dieceſi futura ſit, in qua veſtra reſidet Univerſitas, Veſtros Oratores illic mittere diligenter, qui univerſam concionem clariſſimis illuſtrent doctrinis atque in unanimem amplexum vie veritatis & rectitudinis inducant, ut ſic veſtra ope ex illa Dieceſi qua vos poſuit Deus ad edificationem & inſtructionem hominum prodeat in univerſum orbem lux ſplendida veritatis ſalutis & pacis vosque erudiendo plurimos ad juſtitiam fulgere mereamini in perpetuas eternitates concedente altiſſimo, qui veſtrum celebrem cetum in cunctis feliciter dirigere & conſervare dignetur. Datum *Baſilee* Idus Septembris Anno ą Nativitate Domini M°CCCC°XLI.

XVII.

BVLLA PROVISIONIS, NE FIAT IMPOSICIO QVINTI DENARII &c. ET NE DOMINVS FELIX PAPA PRESIDEAT.

Sacroſancta &c. Ad futuram Rei memoriam. Cum jam dudum hec ſancta ſynodus pro nonnullis ſancte univerſalis eccleſie & ſanctiſſimi in Chriſto Patris domini *Felicis* &c. negocijs generalem quandam fecerit impoſicionem de beneficijs eccleſiaſticis certo modo exigendam & perſolvendum, prout in ipſo impoſicionis decreto plenius continetur, nos attendentes, hujusmodi impoſicionem Germanice nacioni juxta qualitatem & condicionem

cionem ecclesiarum & beneficiorum sub ipsa consistencium admodum fore onerosam quamlibet imposicionem quinti denarij, septimi vel decimi aut alterius cujuscumque taxe qualitatis vel condicionis qualitercumque factam, quo ad ipsam Nacionem Germanicam presencium tenore tollimus, cassamus, revocamus & annullamus, perinde, ac si nullatenus promulgata essent. Ac insuper eidem Nacioni, quod nullam imposicionem in ea faciemus, seu fieri permittemus, auctoritate universalis ecclesie promittimus ac eciam pollicemur, quinymmo si qua imposicio per quemcumque quavis auctoritate in dicta Nacione facta foret, seu imposterum fieret, preter Romani Regis & sacri Romani Imperij principum Electorum oratorum suorum seu majoris partis ex eis expressum consensum, illam, quoad prædictam nacionem Germanicam irritam decernimus & inanem, nulliusque roboris vel momenti & pro non facta penitus haberi. In super quoniam hec sancta synodus cum dicta nacione de futuro Generali concilio celebrando concordavit, In quo causa scismatis in ecclesia Dei prochdolor exorti, precipue tractetur & expediatur, ut igitur omnia & singula sine suspicione procedant, promittit hec sancta synodus se curaturam, quatenus quam cito dictus Romanorum Rex seu principes Electores pro hoc sacro Concilio se declaraverint, sanctissimus in Christo pater dominus *Felix* papa quintus in illo non presideat, neque eciam in futuro Concilio, quinymmo concilium ipsum in omnibus procedat, quemadmodum

ante

ante electionem prefati ſanctiſſimi domini pape Felicis proceſſit, donec in ipſo futuro ſic translato Concilio de ſuper fuerit declaratum. Datum.

Bulla proviſionis ſuper gravaminibus Nacionis Germanice &c.

Sacro ſancta &c. Ad perpetuam rei memoriam, eccleſiaſtice ſollicitudinis ſtudio jugitur invigilare convenit, ut pro locorum perſonarum & temporum condicione & qualitate ſacra moderentur inſtituta, quatenus eorum obſervancia facilior reddatur & obſervantibus cedant in profectum, ſane dudum hec ſancta ſynodus reformacionem eccleſie ſollicite intendens, quam plurimas conſtituciones & decreta promulgavit, que juxta qualitatem & condicionem Germanice Nacionis moderacione indigere noſcuntur, & a bone memorie *Alberti* Romanorum Rege ſacrique Romani Imperij principibus Electoribus, ceterisque principibus, prelatis & proceribus in ſolempni congregacione de ſuper celebrata in modum, qui ſequitur, ſunt moderata & ſumma cum devocione recepta,, In primis ſiquidem Decretum XIIe. ſeſſionis, quod incipit: ſicut in conſtruenda domo precipua eſt architectoris cura &c. taliter moderavit, ut in electionibus pontificum & abbatum per omnia obſervetur, inferiorum autem prelatorum Electiones vel poſtulationes, eciamſi confeſſio & eukariſtie percepcio fuerit omiſſa, propter hoc tamen non vicientur, hoc eciam adjecto, quod electionum confirmacio vel infirmacio per inmediatum ſuperiorem

riorem

riorem ad quem jus confirmandi ſpectat, qui ſi absque racionabili cauſa confirmare diſtulerit, ſuperior gradatim adeatur, omni vero caſu, quo pontificis vel abbatis promocio, qui tamen ſedi Apoſtolice non ſit immediate ſubjectus per Romanum Pontificem facienda fuerit, ex tunc ipſe promotus ad ſuum immediatum ſuperiorem remittatur conſecrandus vel benedicendus, niſi forſan in Romana curia preſencialiter conſtituatur quo caſu poſt conſecracionem vel benedictionem nihilominus ad ſuum immediatum ſuperiorem remittatur debitum juramentum preſtiturus. Item decretum vigeſime prime ſeſſionis de annatarum ſublacione acceptarunt ſub hac proteſtacione, quod ſiquid in recepcione perſonarum ad beneficia de ſtatuto vel conſuetudine dari conſuevit, pro fabrica, ornamentis, vel alio cultu, ſeu profectu eccleſiæ ut licite exigi & recipi poſſit, dum tamen in uſum eccleſie ſeu cultus divini, non autem ad privatarum perſonarum commoditatem conferatur.

Item decretum XXIIIe. ſeſſionis de ſublatione reſervacionum, quod incipit: Et quia acceptaverunt multiplices, hoc adiecto; quod Romanus Pontifex hujusmodi beneficia in dicto decreto ſibi reſervata conferre habeat infra unius menſis ſpacium a noticia vacacionis inmediate computandum, ſic quod proviſi proviſionem ſuam infra quatuor menſes a Die proviſionis ſibi facte computandos habeant ordinarijs inſinuare ſub pena amiſſionis juris ſui alioquin ordinarij de beneficijs hujusmodi libere diſponant.

Item

Item decretum XXXI. ſeſſionis de collacione beneficiorum, quod incipit: placuit divine pietati &c. cum alijs decretis ejusdem ſeſſionis circa qualificacionem & ordinem promovendorum loquentibus acceptarunt, ita cum quod per hoc ordinarijs non tollatur tempus a Lateranenſi Concilio indultum quando tempus hujusmodi adeo libere cedat ordinarijs quod infra id tempus nec prevencio locum habent,, Inſuper quod in gracijs expectativis, quas adhuc juxta ipſius decreti formam Romanus Pontifex facere habeat, origenarius alienigene preferatur. Verum quia in multis eccleſiis dicte nacionis ſtatutum invenitur vel extat conſuetudo, quod inibi duntaxat illuſtres, aut alias certo geniture modo qualificate perſone recipiuntur, noluerunt per acceptacionem dictorum decretorum illi conſuetudini vel ſtatuto quoquomodo præjudicari, niſi in quantum inter perſonas premiſſo modo geniture qualificatas perſone graduate & juxta formam ipſius decreti qualificate reperiantur, inter quas decretum ipſum in eccleſijs hujusmodi tantummodo ſervetur, attendens igitur hec ſancta ſynodus adjectiones & modificationes hujusmodi, pro condicione & qualitate Nacionis Germanice nec non eccleſiarum & perſonarum ejusdem ipſi nacioni plurimum expedire, & pro conſervatione, manutencione & defenſione eccleſiarum & beneficiorum ejus & divini cultus augmento precipue congruere & convenire, ipſa decreta ſic, ut prefertur, modificata, ac modificationes ipſas, ſic, ut prefertur, factas preſentibus approbando auctori-

ctoritate universalis ecclesie confirmat, & presentis sanctionis patrocinio corroborat, decernens irritum & inane, siquid in contrarium a quopiam, quavis, eciam Apostolica auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari,, Preterea quia dicta nacio, quo ad suspensionem & deposicionem *Gabrielis* quondam *Eugenij* quarti hujus synodi auctoritate facta est, rursum ipsius quondam *Eugenij* dissolucionem seu translacionem contra hanc sanctam synodum attemptatum se quadam neutralitate & animorum suspensione continuit, donec se recolligere & unanimi consensu in dicte sancte synodi obediencia, honore & reverencia paribus gressibus incedere posset. Qua protestacione & animorum suspensione durante plures electiones & provisiones facte, plurima beneficia auctoritate ordinaria collata, sentencie interlocutorie & diffinitive prolate, pluraque alia gesta sunt, super quibus ad nos recurri non potuit. Ipsa protestatione & animorum suspensione obstante; Ne igitur adherentes & confidentes hujusmodi protestationi sub alis sacri Romani Imperij & aliorum ecclesiasticorum & secularium prelatorum & principum decipiantur, omnes hujusmodi electiones, collaciones provisiones & dispensaciones & quibuscunque dignitatibus & beneficijs, eciamsi pontificales, vel abbaciales fuerint, nec non processus, sentenclas aliaque acta judicialia auctoritate ordinaria factas vel facta rata habentes ea omnia auctoritate universalis ecclesie ex certa sciencia confirmamus, ac si presentibus de verbo ad verbum forent

expressa,

expreſſa, ac eciam, ut nullus ſuper hujusmodi dignitatibus ſeu beneficijs proceſſibus, ſentencijs ſive actis &c. ſi in ſacro Concilio vel extra illud deſuper lis penderet indeciſa cujus ſtatum haberemus pro expreſſo aut alterius in illis ſeu contra illa jus queſitum foret per hujusmodi alios in eis ſeu ad ea vel contra ea quomodolibet jus habentes ſeu habere pretendentes ex nunc in antea in dicta ſynodo vel extra eam Apoſtolica vel alia quavis auctoritate impeti poſſit vel quomodolibet impediri, quibus eciam aliis ſuper hujusmodi dignitatibus & beneficijs, ac etiam his, ſuper quibus proceſſus ſentencie & acta ſupra dicta emanarunt, ac jure ſi quod eis in contrarium quomodolibet competere poſſet, nec non lite & cauſa hujusmodi ex certa ſcientia perpetuum ſilencium imponimus „ ipſorumque poſſeſſorum titulos, ſive juris ſint, ſive facti, confirmamus & approbamus, ipſisque poſſeſſoribus ſeu detentoribus, in quantum opus eſt, de illis de novo providemus, hijs duntaxat litibus exceptis, que coram ordinarijs judicibus, apud quos juxta formam dicte proteſtacionis & animorum ſuſpenſionis licuit litigare, pendent indeciſe, quas coram illis proſequi, & conſequenter juxta preſentis ſanctionis formam liceat debito fine terminare. Idem per omnia obſervare volumus circa poſſeſſiones quarumcumque eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Abbacialium, nec non quarumlibet dignitatum, perſonatuum, beneficiorum, vel officiorum quorumcumque; Eciamſi in Cathedralibus majores poſt pontificales aut in col-

 legia-

legiatis principales fuerint, qui Poſſeſſiones hujusmodi dignitatum & Beneficiorum plenarias vel majoris partis, dicte ſancte ſynodi vel etiam ipſius *Gabrielis* quondam *Eugenij* auctoritate durante proteſtacione & animorum ſuſpenſione predicta aſſecuti detinent, ut in ſuis poſſeſſionibus pacifice remaneant, nec umquam impeti vel moleſtari poſſint quacumque occaſione vel cauſa ſuperius expreſſata. Nos enim quibuslibet adverſarijs perpetuum ſilencium imponentes ipſis poſſeſſoribus titulos poſſeſſionum hujusmodi ſive juris ſint, ſive facti confirmamus & approbamus, ac ipſis de novo providemus „ Demptis illis, qui occaſione privacionis propter adheſionem nobis aut ipſi *Gabrieli* quondam *Eugenio* factam Beneficia detinent, in quibus locum habeant proviſio & diſpoſicio ſuper his, que contra proteſtacionem factam forent promulgata „ Et inſuper omnia & ſingula, que dicta proteſtacione & animorum ſuſpenſione durante in præjudicium, gravamen ſive leſionem jurisdictionis, juris, vel poſſeſſionis Metropolium, diocesium, principatuum, dominiorum terrarum Regis & Electorum predictorum, nec non prelatorum, collegiorum, perſonarum, ſeu rerum quarumcumque contra foedus unionis vel proteſtacionis ipſius vergencia per nos ſeu noſtra, vel alia qualibet auctoritate conceſſa vel impoſterum quomodolibet concedenda, aut in judicio vel extra judicialiter quomodolibet obtenta vel obtinenda Eccleſiaſticas inſuper cenſuras, alias mulctas & penas, nec non irregularitatis cujuscumque maculas

las

las a jure vel ab homine propter premiſſa quomodolibet promulgatas ſeu inflictas, promulgandas vel infligendas preſencium tenore nunc tollimus, caſſamus, irritamus, ſeu annullamus & abolemus, nulliusque volumus eſſe roboris vel momenti & pro infectis penitus haberi. Quinymo quoslibet irregulares & inhabiles hujusmodi rehabilitamus reſtituimus & in priſtinum ſtatum reponimus. Et nichilominus illi vel illis, qui ex hujusmodi impetratis, conceſſis vel obtentis, impetrandis, concedendis vel obtinendis, quomodolibet niterentur, eciamſi ipſis aut cuivis eorum jus ex illis queſitum foret de univerſalis ecclesie poteſtatis plenitudine ex certa ſciencia perpetuum ſilencium imponimus per preſentes, Diſpenſaciones vero quascumque eciam in caſibus ſedi Apoſtolice reſervatis nec non indulta forum anime reſpiciencia eciam ipſa proteſtacione durante a nobis aut dicto *Gabriele* quondam *Eugenio* ſeu ejus aut alia quavis auctoritate impetrata vel conceſſa plenum robur firmitatis obtineant cum omnibus inde ſecutis a die date & conceſſionis ſue perinde ac ſi a nobis emanaſſent & conceſſa fuiſſent, de ſentencijs autem in ſacro Concilio vel in curia *Gabrielis* quondam *Eugenij* ſub titulo papatus ante ipſam proteſtacionem vel eciam hujusmodi proteſtatione & animorum ſuſpenſione durantibus in cauſis, in quibus uterque litigancium ex ordinario titulo nititur prelatis, que nondum ſunt execucioni demandate talem damus ordinem, quod ſine hujusmodi & quidquid adhuc unaqueque parcium velit producere, ſeu pro ſe alle-

gare coram ordinario judice habeat exhibere, qui summarie simpliciter & de plano sola facti veritate inspecta procedens negocium ipsum unica valeat sententia terminare, a qua nec appellare liceat, vel restitucionem obtinere, seu quomodolibet provocare. Ut autem premissa eo firmius observentur, tenore presencium pollicemur omnia & singula supradicta inviolabiliter observare, & contra ea, vel ipsorum aliquid in toto vel in parte nullo umquam tempore quidquam innovare decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super suis a quoquam nostra vel alia qualibet eciam apostolica authoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Quinymo si adversus premissa littere alique aut mandata ad cujuscumque instanciam vel eciam si motu proprio seu ex certa sciencia eciam cum derogatorijs clausulis sub quacumque verborum forma a nobis seu nostra auctoritate aut ab alio quovis emanassent, seu in futurum emanarent, tales ex nunc pro infectis haberi volumus, quodque Is contra quem emanassent aut concesse fuissent, illis minime obedire teneatur. Ceterum pro firmiori omninm premissorum subsistencia carissimo ecclesie filio *Friderico* Romanorum Regi illustri, nec non venerabilibus & dilectis ecclesie filijs nobilibus viris sacri Romani Imperij principibus Electoribus, ceterisque quos adhoc duxerint assumendos super premissorum observancia pragmaticam sanctionem conficiendi, eamque penis & censuris, quas conuenire noverint, vallandi & corroborandi plenam & liberam auctoritatem univer-

salis

ſalis eccleſie tenore preſencium concedimus poteſtatem ac eciam facultatem. Univerſis inſuper archiepiſcopis ſub dicta nacione conſtitutis pro tempore exiſtentibus ſimili auctoritate committimus & mandamus, quatenus ſi umquam noſtra vel alia qualibet auctoritate per oblivionem fortaſſe vel inadvertenciam, lapſum vel importunitatem petencium aut alias qualitercumque aliquid in prejudicium vel leſionem ſtatui, concedi, ſeu qualitercumque fieri contingat dicti archiepiſcopi vel eorum alter per ſe vel alium ſeu alios id revocent, caſſent, irritent & annullent. Et ſi ad penarum vel cenſurarum fulminacionem procedi contingeret contra premiſſa, vel aliquid eorum, penas & cenſuras hujusmodi tollant & relaxent, & omnia in priſtinum ſtatum reducant, preſentemque noſtram ordinacionem, & quidquid in preſentibus noſtris litteris continetur, conſervent, manuteneant, atque defendant. Contradictores per Cenſuram eccleſiaſticam appellacione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Datum &c.

XVIII.

CONCILII BASILEENSIS LITTERAE AD UNIVERSITATEM ERFORDENSEM ORATORES APVD FRANCFORDIAM CONVENTVROS.

Sacrosancta Generalis synodus Basiliensis in Spiritu sancto legitime congregata universalem Ecclesjam representans Dilectis Ecclesie filijs Oratoribus studij Erfordensis apud *Francfordiam* conventuris salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Etsi omnes Ecclesie filios in hoc necessitatis tempore Matrem suam adjuvare opus sit, ne diutius sua conculcetur auctoritas, nec veritas & justitia corruant, singulariter tamen litteratos & doctos viros, qui veritatem ipsam lucidius intuentur ad id conari equum est, ac ceteros erudire ut unanimiter publicam salutem prosequantur ad honorem Dei & salutem animarum & licet hostis humani generis diversas temptationes excitaverit, ut ea que in sacris synodis Constantiensi & hac Basiliensi pro reformatione Ecclesie in Capite & in membris ac Conciliorum auctoritate & Catholica fide elaborata sunt, in nihilum redigerentur, speramus tamen favente gratia Dei & adjuvantibus vestris exhortationibus ac salutaribus doctrinis clarissimum Ecclesie filium Regem Romanorum Illustrem cum Prelatis Ecclesiarum & Principibus, Oratoribusque Universitatum ac alijs secum pariter affuturis talia Ecclesie Dei impensurum auxilia ut merito ipsa Ecclesia consolationem & ejus serenitas

nitas Regia laudes immortales consequantur, sic itaque luceat jam lux vestra coram hominibus ut in vestris fructuosis operibus glorificent patrem vestrum qui in celis est, & ad justitiam erudiendo plurimos fulgere mereamini in perpetuas eternitates; quibus de rebus Devotiones vestras plenius alloquentur Dilectissimi Ecclesie filij *Lodowicus* tit: *sancte Cecilie* Arelatensis, *Nicolaus* Basilice *duodecim Apostolorum* Panormitan: vulgariter nuncupati & *Johannes* tit: *sancti Calixti* sancte Romane Ecclesie Cardinales Legati nostri & universalis Ecclesie de Latere pariter cum Collegijs ipsorum quibus credere velint Devotiones vestre significantes beneplacita vestra que pro viribus curabimus adimplere auxiliante spiritu paraclito qui easdem Devotiones vestras feliciter conservare dignetur. Datum *Basilee* V. Non. Maji Anno a Nativitate Domini M°CCCC°XLII°.

XIX.

ORATIO CARDINALIS PANORMITANI HABITA IN CONVENTU FRANCOFORDIENSI. a)

Quoniam veritas verborum, lenocinio non indiget, ideo quanto b) verbis simplicioribus proponitur, tanto majori claritate relucet; Pedestri igitur stilo auctoritatem, veritatem & justitiam sacri Basiliensis Concilij presertim & cujuslibet alterius sinodi Universalis attingam, & quoniam ex facto jus oritur ut in *l. si ex plagis § si quis in clivo ff. ad le. aquil. & in c. forus de V. S.* præmittam ante materie hujus discussionem presentis pestiferi & horrendi scismatis facti accidentiam, que talis est: Sacrum Basiliense Concilium a prima sui Origine quemadmodum patet per litteras c) felicis Recordationis *Martini* Pape *V.* inter

a) Extat hæc *Panormitani* oratio impressa in *Caroli septimi* Francorum Regis Pragmatica sanctione cum glossis D. *Cosmæ Guymier* Parisini supremæ Galliarum Curiæ senatoris & Inquisitionum Præsidis & Additionibus *Philippi Probi* Biturici &c. *Parisiis* an. MDCLXVI. edita pag. 849. sub titulo: Tractatus Elegantissimus Domini Nicolai de Tudeschis, Siculi, Abbatis Bonacensis, Archi Episcopi Panormitani, sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinalis pro Concilio Basiliensi editus, in quo potestas conciliorum ac Papæ argutissime amplissimeque pertractatur.

b) in impresso omissum est: *verbis.*

c) post verbum *litteras:* Secretarij Reverendissimi Martini Pape quinti.

ter *d*) principales causas statutum *e*) fuit pro reductione Orientalis Ecclesie & quorumlibet aberrantium populorum ac etiam *f*) pro reformatione Ecclesie Universalis in capite & in membris, que quidem reformatio fieri debuerat in Concilio *g*) magno Constantiensi, sed ob multa *h*) occurrentia dilata fuit ad primum tunc futurum Concilium, sed pro dolor in Concilio Senensi *i*) quod fuit tunc primum post illud Constantiense *k*) factionibus quorundam *l*) elusa extitit & *m*) Dei judicio huic sacro Basiliensi Concilio preservata. Hanc eandem Concilij Basiliensis institutionem olim *Eugenius IIII*[tus] novissime depositus per litteras suas patentes post mortem seu obitum dicti Pape *Martini* confirmavit; Ita quod ex conditione sue Institutionis ac etiam multiplici consensu ipsius *Eugenij* sacro Basiliensi Concilio imminebat onus intendendi singulariter ad unionem *n*) & reductionem Grecorum, quanquam hoc ipsum dicendum sit ex *o*) natura & conditione *p*) universalis Concilij, nam Concilia *q*)

H 5 prin-

d) in impresso: *alias principales.*
e) loco statutum: institutum.
f) *etiam* omissum in impr.
g) *magno* omissum.
h) in impr. *multa tunc.*
i) omiss. quod fuit.
k) *factione* in impress.
l) elisa in impress.
m) de judicio.
n) omiss. *& reductionem.*
o) ex *cura* & conditione.
p) additur: cujuslibet universalis &c.
q) additur: universalia.

principaliter attendere debent circa extirpationem errorum ut fides unica & vera eluceat in toto grege Dominico & reformationem Ecclesie in capite & in membris ut *XV. dist. in c. sicut* & in alijs juribus inferius allegandis. Ad reductionem autem Grecorum operose invigilans prefata sancta synodus Basiliensis destinavit suos in Greciam Oratores ad instantiamque sui venientibus ex Grecia solempnibus Ambasiatoribus Imperatoris *r*) & Patriarche Grecorum de communi consensu sacri Concilij & eorundem *s*) Grecorum prout continetur in XIX. sessione ejusdem Concilij inter cetera fuit ordinatum: *Pro celebratione Concilij oecumenici t*) *sive universalis tam latinorum quam Grecorum*, quod ipsa sancta synodus Basiliensis eligeret seu acceptaret unum de his locis, videlicet: *Calabriam*, *Anchonam* vel aliam terram maritimam *Bononiam* vel *Mediolanum* vel aliam civitatem in Italia; Extra Italiam *u*) vero *Budam* in Ungaria, *Wiennam* in Austria aut *Sabaudiam*; debebat tamen fieri diligentia apud dictos Imperatorem & Patriarcham ut ipsi consentirent in Basileam, *x*) que ipsi sacro Concilio videbatur aptissima, sed oratores ipsi Grecorum dicebant se non habere potestatem in Basileam consentiendi, contentabantur tamen quod fieret diligentia modo predicto & relinquebatur optio ipsis Imperatori & Patriarche Constantinopolitanis

r) in impress. *Imperatorum.*
s) eorundem *Oratorum.*
t) oecumenici *scilicet* universalis.
u) *extra italiam* omiss.
x) in Basilea.

litanis de his autem locis, ille, quem ſancta ſynodus elegiſſet, debebat intimari Grecis per Oratores Concilij *y*) qui juxta *z*) pactata conducturi eos erant ad ultimum portum in terra latina, que intimatio debebat eis fieri *a*) in Conſtantinopolitana civitate tam de portu ad quem ultimo applicari debebant, quam de loco uno de prenominatis in quo eſſe debebat *b*) univerſalis ſynodus. Preterea juxta compactata *c*) debebat *d*) Baſilienſe Concilium ſtare in Baſilea firmiter nec debebat diſſolvi, legitimo impedimento ceſſante, quo interveniente, quod Deus avertat, pro continuatione ſui juxta diſpoſitionem capituli *frequens* in Concilio Conſtantienſi editi ad aliam civitatem ſi transferret *e*) & in caſu quo Imperator Grecorum non contentaretur de civitate Baſilienſi, tunc infra menſem poſtquam prefatus Dominus Imperator applicuiſſet *f*) ad dictum portum ultimum ſacrum Concilium debeat ſe *g*) transferre ad unum de predictis locis nominatis per ipſum ſacrum Concilium ut ſupra

y) omiſſ. *qui.*

z) loco: pactata, compactamenta.

a) in impreſſ. quæ intimatio debebat eis fieri poſt applicationem Græcorum in dictum portum, in terra Latina & Conſtantia Civitate, tam de portu &c.

b) in impreſſ. *dicta* univerſalis &c.

c) compactamenta.

d) debebat ſacrum Concilium.

e) transferat.

f) omiſit *ad* dictum portum.

g) *tunc* transferre.

pra dictum est, *h*) eligendum, ut hec & alia plenius continentur in decreto in dicta XIX. sessione edito. Decretum vero ipsum super hujusmodi concordatis & compactatis intimatum fuit ipsi quondam *Eugenio i*) per *Stephanum Phiriton* tunc sacri Concilij Oratorem, ut ipse quondam *Eugenius* suum consensum ipsi decreto aut compactatis accomodaret. Ipse autem per litteras suas narratis multis, tandem expresse respondit, quod sua parum intererat, qua via *k*) aut quomodo finis dicte unionis sequeretur, unde pure & libere ad illam rem prout per sacrum Concilium concordatum exstitit, prestitit assensum, & hanc suam voluntatem denuo tandem recensuit; *l*) & ex tunc sancta synodus effectualiter exequendo que primo fuerant concordata tres suos oratores in Greciam destinavit cum decem millibus Ducatorum, sicut primo conventum cum ipsis fuerat, expensas *m*) futuras pro congregatione Patriarche *n*) aliorumque ex Grecia prelatorum in prefata civitate Constantinopolitana, ut abinde in Galeis *o*) ascendentes, quas mittere debebat sacrum Concilium *p*) ut venturi essent ad

locum

h) in impr. *eligendi.*

i) in impress. omissa sunt verba: per Stephanum Phiriton tunc sacri Concilij Oratorem.

k) in impr. omiss. *qua via.*

l) recensuit post suorum Oratorum ex Græcia adventum.

m) expensis futuros pro &c.

n) in impr. *Patriarcharum.*

o) in Galeras ascendentes.

p) omissa particula *ut.*

locum pro oecumenico q) Concilio per ſynodum Baſilienſem eligendum, habita demum notitia ratificationis facte in Conſtantinopoli de omnibus per Concilium cum ſuis Oratoribus concordatis, intellectoque per ſuas litteras deſiderio Imperatoris Grecorum exhortantis ut eligeretur locus mari propinquus, continuans executionem operis inchoati convenit ſancta ſynodus cum nobili viro *Nicodo de Montone* pro XXX. millibus & VIII. C. Ducatis, ut duas r) ſubtiles cum CCC baliſtarijs & alias duas Galeas Groſſas ad conducendum ipſos Grecos, s) cui Capitaneo magna cum ſolempnitate in Generali Congregatione ſancta ſynodus Baſilienſis de menſe Novembris Anno MCCCCXXXVI tradidit vexillum cum armis Eccleſie & baculum Capitaneatus, tunc preſidente ipſi t) Concilio Baſilienſi Domino *Juliano* de Ceſarinis ſancte Romane Eccleſie tit. *ſancte Sabine* tunc presbytero Cardinali ſancti *Angeli* vulgariter nuncupato, & u) cum prius per dies multos in Generali congregatione audite forent relationes de idoneitatibus locorum ad que x) ſancta ſynodus miſerat Oratores ſuos ut tractarent cum ipſis de mutuando ipſi Concilio

q) omiſſ. *Concilio.*

r) in impr. duas *Galeas* ſubtiles &c.

s) in impreſſ. additur: ipſos Græcos pararet per aſſignatumque tempus res ſuſtentare haberet, cui &c.

t) ipſi *ſacro.*

u) & primo cum per dies.

x) ad *quem* in impr.

cilio LXX *y*) millia Ducatorum & de alijs necessarijs pro celebratione oecumenici Concilij, materia ipsa de electione loci matura cum deliberatione examinata in sacris deputationibus, licet non absque magnis difficultatibus, quemadmodum in rebus arduis contingere solet, scrutatis sigillatim in deputationibus & in Generali congregatione votis patrum quorum numerus CCCLVII fuit, repertum exstitit, *z*) quod non solum due partes illorum, quemadmodum concordatum fuerat in Decreto XI sessionis, sed etiam plures numero direxerant vota sua, Concilium oecumenicum celebrari debere Basilee, si placeret Grecis aut Avinioni, & si ibi celebrari non possit, quod celebraretur in Sabaudia que expresse a Grecis inter alia loca fuerat nominata, ut supra relatum est; hanc electionem de unanimi consensu totius Concilij ejus Oratores *Dionysius de Sabratore* & *Henricus de Dyest* Doctores in Theologia notificaverunt ipsi quondam Eugenio, exhortantes ut eam gratam acceptamque habere dignaretur, specialiter commemorando, *a*) quomodo ipsemet nominaverat *b*) prius civitatem Avinionensem, tanquam aptam & convenientem pro loco universalis Concilij, *c*) supplicaveruntque eidem, quatenus vellet concurrere adjuvando in executionem *d*) prout jam ipsi Concilio

y) in impress. XX millia.
z) existit.
a) commemorando, *quoniam*.
b) per prius civitatem.
c) duplicaverunt eidem.
d) in executione.

cilio per ſuas litteras multiplicatas ſcripſerat ſe facturum & dignaretur perſonaliter ad locum oecumenici Concilij venire concurrereque in executione indulgentiarum & impoſitione Decime ſuper Clerum, que jam fuerant ordinata per Concilium ad ſupportanda onera expenſarum, Quodque dignaretur vocare Prelatos & Doctores conventuros ad ipſum *e*) locum in acceſſu Grecorum, *f*) Item quod daret litteras ſalvi Conductus ad tranſitum Grecorum per terras Eccleſie quemadmodum conceſſerant in forma ab eis per Concilium requiſita Imperator, omnesque Reges, Principes & communitates a quibus petitum *g*) erat. Nullam *h*) ipſarum petitionum Dictus olim *Eugenius* concedere voluit, ſed dixit ſe reſpondere velle per *Johannem* tunc Archiepiſcopum Tarentinum ejus oratorem ad Concilium venturum. Interim *k*) vero per Abbatem *Bonevallis* & *Raymundum Talonis* Oratores Concilij habentes ab ipſo Concilio ſuper his plenam facultatem, concordatum eſt cum Civibus Avinionenſibus, qui jam tradiderant ſex millia Ducatorum Capitaneo Galearum, quod priusquam exburſarent reſiduam *l*) pecunie ſummam videlicet usque ad LXX millia Ducatorum, Concilium ſolem-

e) ad dictum locum.

f) omiſſa ſunt verba: Item quod daret litteras ſalvi conductus ad tranſitum.

g) petitus erat.

h) Bullam ipſarum petitionum dictus olim Eugenius concedere noluit.

k) Item vero.

l) reſiduum pecuniæ.

ſolemniter decretaret *m*) ſcilicet in ſeſſione publica ut moris eſt, dictam electionem factam de *Baſilea*, *Avinione* & *Sabaudia* pro oecumenico Concilio, concederetque eis facultatem nominandi rectores *n*) emolumentorum *o*) ex conceſſione indulgentiarum & impoſitione Decime, que emolumenta ex tunc hypothecarunt eisdem Avinionenſibus usque ad plenariam ſatisfactionem ſumme per eos mutuande. Cum autem hec in pace agerentur per ſanctam ſynodum, ſupervenit Joannes Diſſipati Orator Imperatoris Grecorum in Principio menſis Februarij Anni MCCCCXXXVII. oſtenſaque littera credentiali papyrea dixit vigore credentie ad IIII ſe miſſum fuiſſe: ad narrandum primo bonam diſpoſitionem Grecorum, quod parati eſſent adimplere omnia concordata cum ipſis. Item ad ſollicitandum Concilium, quod ſimiliter facere haberet. Item *p*) ad aviſandum quod eligeretur locus oportunus. Item poſtremo ad videndum de facto Galearum & Baliſtariorum, quod talia eſſent, ſicut ad eam rem conveniebat. Reſponſio *q*) fuit facta eidem a Preſidente Concilij de diligentia per ipſum ſacrum Concilium in ipſa re facta, quomodo jam conduxerat *r*) Capitaneum Galearum & elegerat *Baſileam Avinionem & Sabaudiam* modo predicto.

poſt

m) decretaretur.

n) receptores.

o) emolumentorum proventurorum.

p) Item ad inſtandum quod eligeretur locus optimus.

q) Reſponſio autem data fuit eidem a dicto Præſidente.

r) conduxerat.

poſt quam reſponſionem idem Joannes circa electionem loci multa oppoſuit allegando Grecos non venturos per mare Siculum propter indiſpoſitionem Prelatorum venturorum, quorum nonnulli erant vetuſtate confecti, cujus tamen contrarium fuit relatum poſtea ſacro Concilio; nam cum Greci audiviſſent Galeas parari in *janua s*) & *Piſis*, fecerunt magnum gaudium in *Conſtantinopoli*, & he Galee tranſiture erant neceſſario per mare Siculum ſi Conſtantinopolim *t*) irent ſecure. Allegabat poſtea *u*) idem *Johannes* Orator, quod *Sabaudia* non erat locus in Decreto comprehenſus, *x*) quem nunquam intellexerint ipſi Greci niſi de illis terris Ducis Sabaudie que in Italia erant; que quidem allegatio manifeſte falſa fuerat, cum Concordata cum eis aperte dicerent, extra Italiam vero *Budam* in Ungaria, *Wiennam* in Auſtria aut *Sabaudiam* & ſic apertiſſime *y*) verba ſonant de Sabaudia extra Italiam. Allegavit rurſus idem *Johannes* Orator quod Papa debebat perſonaliter intereſſe in loco oecumenici Concilij & tamen in Decreto primo cum Grecis concordato *z*) continebatur, quod Papa deberet intereſſe per ſe *a*) aut ſuos Oratores, ſic igitur multis viſum eſt tunc manifeſte in verbis

s) in janua & in ipſis.
t) Conſtantinopolim erant ituræ.
u) allegavit præterea idem.
x) comprehenſus, quoniam nunquam intellexerunt.
y) aptiſſime verba ſonabant.
z) concorditer.
a) per ſe vel per ſuos.

bis ſuis dictum Oratorem occaſionem querere aut alias ſubornatum fuiſſe talia dicere, ut Greci haberent ſeu ſumerent *b*) occaſionem pro cauſa recedendi a compactatis, cum manifeſte contra ipſa compactata loqueretur, *c*) unde tum propter predicta quia loquebatur expreſſe contra compactata, tum quia non oſtendebat ad hoc aliquam *d*) auctoritatem, niſi ſimplicem litteram credentialem, Concilium eidem non acquievit, licet circa hec proteſtationes aliquas faceret ſcriptis & verbo, imo die XV. Februarij in qua fecit *e*) magis aggravatam proteſtationem non grece ſed mere latine compoſitam, Dictus Dominus *Julianus* Preſidens tunc Concilij non obſtante dicta proteſtatione ipſius Oratoris pretenſi Grecorum *f*) juxta deliberata per ſacrum Concilium, recepit juramentum ab ipſis oratoribus Concilij, qui ituri erant *Avinionem* recepturi ab inde ſummam pecuniarum pro conductione Grecorum, cumque in ſacro Concilio agitaretur *g*) tunc illa materia: Utrum deberent primo decretare ea que loco cautionis de mutuo LXX millia Ducatorum petebant *h*) Avinionenſes, ut ſupra dictum fuit, aut quod primo deberent tradere

b) fundent occaſionem.

c) loqueretur, tamen.

d) facultatem.

e) fecit magnam proteſtationem non Græco ſed latino more compoſitam.

f) deliberatione per ſacrum Concilium facta.

g) agitaretur quæ materia primo deberet decretari, an ea quæ &c.

h) petebat ab Avenionenſ.

dere illa LXX millia Ducatorum & poſtea fieret *i*) ſeſſio pro decretatione ſuarum petitionum & in hoc *k*) videntur vota patrum. Attamen ut diſcordia omnis ſopiretur XXIII. die menſis februarij in Generali Congregatione per ſacrum Concilium concluſa eſt cedula tenoris preſentis — Pro felici expeditione Dominorum Ambaſiatorum in Greciam iturorum viſa ſunt Dominis deputatis *l*) infra ſcripta: primo quod Domini Ambaſiatores hujus ſacri Concilij in Greciam ituri recedant de Baſilea adverſus *Avinionem* citius *m*) quo fieri poteſt, nulla decretatione de preſenti exſpectata ſed deferant ſecum Bullam in qua ſacrum Concilium polliceatur in hunc modum, videlicet in quantum Domini Avinionenſes aut alter ipſorum locorum pro *Baſilea Avinione* vel *Sabaudia* infra *n*) XXX dierum ſpatium a die exitus *o*) computandorum Capitaneo Galearum ſatisfecerint, *p*) de eo quidem a ſacro Concilio debet habere videlicet XXX millia & octingentos florenos de camera & reſiduum pecuniarum usque ad ſummam LXX millium florenorum de camera realiter tradiderint in numerata pecunia mutui nomine juxta concordata Ambaſiatoribus predictis, ex tunc certificato de his per litte-

i) fieret ceſſio.
k) varia videntur vota &c.
l) deputatis in materia Græcorum infra ſcripta.
m) citius quam fieri poſſit.
n) hinc ad triginta.
o) exitus dictorum Dominorum Ambaſiatorum de Baſilea computandorum.
p) ſatisfaceret, de eo quod a ſacro &c.

litteras Ambaſiatorum eorundem ſacro concilio & per litteras Capitanei vel ejus procuratoris legitimi, ipſum Concilium infra octo dies a die receptionis q) litterarum immediate ſequentes, r) ſolemni ſeſſione decretabit infra ſcripta. primo decretabit concluſionem de locis futuri oecumenici Concilij videlicet *Baſilea Avinione* & *Sabaudia* factam in ſuis terminis prout jacet. ſecundo decretabit Decimam jam in predicta materia Grecorum in Generali Congregatione concluſam. tertio decretabit, qualiter dicti Domini Ambaſiatores in Greciam ituri habeant ac eis & eorum majori parti data ſit plena facultas & poteſtas eligendi & nominandi juxta decretum in dicta materia Grecorum factum, portum latinum dictis locis electis aptiorem & propinquiorem ad quem Domini Greci s) debent ultimo applicare; preter hec ſuper cautione per Dominos Abbatem *Bonevallis* & *Raymundum Talonis* dictis Dominis Avinionenſibus nomine Concilij oblata & circa illam dabit dictum ſacrum Concilium litteras oportunas. Porro dicti Domini Ambaſiatores noſtri & Avinionenſes teneantur t) infra XII dies poſt lapſum XXX dierum immediate ſequentes certificare legitime dictum ſacrum Concilium de dicta numeratione & ſatisfactione, alioquin eo tunc ipſum ſacrum Concilium poſſit & teneatur ad electionem alterius loci pro oecumenico Concilio cele-

q) receptionis hujusmodi.
r) ſequenti, ſolemni ceſſione.
s) Græci dicunt velle applicare.
t) teneatur.

celebrando procedere & ſibi & univerſali Eccleſie aliunde providere. Inſuper dicti Domini Ambaſiatores ſacri Concilij & Capitaneus per ſe vel per procuratorem u) idoneum debeant promittere conjunctim vel diviſim nomine ipſius ſacri concilij Dominis Avinionenſibus quod caſu quo Greci, quod abſit, nollent recedere x) de terris ſuis juxta decreta & decretanda de locis & portu, ex tunc dicti Ambaſiatores & Capitaneus reſtituent dictis Dominis Avinionenſibus XV millia pro expenſis & X millia pro cuſtodia Civitatis Conſtantinopolitane ac VI. millia pro duabus Groſſis Galleijs Grecorum deputatis & omnem aliam pecuniam reſtantem, quam y) receperint & etiam ſi ſacrum Concilium transferret z) eo caſu omnem actionem & omnem obligationem, quas habuit a) contra dictum Dominum Capitaneum & ipſius heredes & fidejuſſores b) in dictos Dominos Avinionenſes pro predictis. Poſtremo quod de omnibus predictis & alijs circa rem c) omnimodam conceſſis & concedendis quibuscunque fieri debeant ſub bulla ſacri Concilij littere oportune; hujus autem cedule conclusioni facte per ſacrum Concilium oppoſuerunt ſe duo ipſius olim *Eugenij* Legati Joannes Tit.

 ſancti

u) procuratorem prædictum debent.
x) cum terris ſuis.
y) repererint.
z) transfert.
a) habet.
b) omiſſa verba: in dictos Dominos Avenionenſes.
c) accomodatis.

sancti Petri ad vincula & *Julianus* tunc presidens Concilij sancte Romane Ecclesie presbyteri Cardinales, qui illo die non interfuerunt & si ipsi per promotores sacri Concilij fuerunt requisiti ut interessent congregationi, sed excusaverunt se mittentes cedulam in qua dicebant se non posse predicte cedule avisate per deputatos consentire, in quantum tangebat electionem *Avinionis*, qui tamen duo jam frequenter consenserant dicte electioni *Basilee*, *Avinionis* & Sabaudie tam in missione dictorum Oratorum *d*) Concilij ad ipsum tunc *e*) *Eugenium* quam aliorum ad cives Avinionenses etiam in concessione facultatis ut eisdem civibus obligaretur *f*) sacrum Concilium. Item in deputatione Oratorum *g*) Concilij ad Greciam, alijsque multis ad hanc electionem spectantibus, recedentibus denique versus *Avinionem* Lubicensi, Vicensi, Parmensi & Lausanensi Episcopis, qui fuerunt unanimi consensu omnium Patrum *h*) Concilij nominati pro oratoribus Concilij ad conducendum Grecos, cum Patres sacri Concilij crederent rem agere *i*) ipsam bona fide nec impedimenta ab eo *k*) habere, qui principaliter adjuvamen procurare tenentur,

d) in missione Oratoris.
e) loco tunc: *olim:*
f) obligarent suum Concilium.
g) oratoris.
h) omnium præsentis Concilij.
i) agi.
k) ab eo qui principaliter adjuvare tenebatur, præstari, sic res &c.

nentur, sic res practicata fuit, quod durante hoc termino XXX dierum venerunt in *Avinionem* Archiepiscopus Cretensis & *Jacobus de Raconeto* Oratores olim dicti Eugenij, qui ejus ex parte iteratis vicibus Reverendissimo Domino *Petro* Episcopo Albanensi Cardinali *de Fusco* inibi Apostolico Legato nec non dictis civibus expresse & sub gravibus penis penitus prohibuerunt, ne predictas pecunias Concilio expedirent; l) contigit m) propterea tempore quo applicuerunt ad Avinionem dicti Oratores Concilij, quod Principales gubernatores ipsius Civitatis erant absentes in curia Regis Francie tunc existentes, & licet ipsa & multa alia intercesserint impedimenta, ne cives ipsi infra XXX dies predictis satisfacere possent, nihilominus contentaverunt Capitaneum de XXX millibus & octingentis florenis, de residua summa cautos & securos fecerunt Oratores Concilij petieruntque pro cautione & obligatione dicte summe prout postularunt a dictis oratoribus Abbate *Bonevallis* & *Raymundo Talonis* decretum Concilij de electione predictorum trium locorum pro oecumenico Concilio & de impositione decime & nominatione portus ad quem Greci debebant ultimo applicare, hec ut premittitur acta fuere in *Avinione*. *Basilee* vero ubi statera & pondus rerum agendarum pendebat non minori conatu ex parte dicti olim Eugenij practicabatur, ne ut incepta erat, & ipse pluries consenserat expresse, fieret per Concilium prosecutio

 unio-

l) expediret.
m) contingit.

unionis Grecòrum; nam n) circa finem dicti termini Archi Episcopus olim Tarentinus adijt sacrum Concilium ex parte ipsius *Eugenij* qui ad supra dictas petitiones porrectas eidem respondit, quod non intendebat procurare o) favorem ad executionem indulgentiarum ac impositionem Decime, ac requirere Prelatos aut Universitates studiorum ut venirent p) aut suos mitterent ad locum oecumenici Concilij. Item nec volebat concedere salvum Conductum sed requirebat, quod primo per Concilium eligeretur locus accomodus q) ipsi quondam *Eugenio* in Italia ut tunc super petitis ab eo per Oratores Concilij provideri posset. post datam hujusmodi responsionem fuit in tertia die certitudo facta sacro Concilio per litteras suorum Oratorum, qualiter Cives Avinionenses satisfecissent Capitaneo de XXX millibus & octingentis Ducatis, quodque de residua summa cautos & securos fecerant Oratores Concilij, r) habita ista certificatione per Legatos Pape videlicet Reverendissimos Dominos Cardinales sancti *Petri* & sancte *Sabine* s) & dictum

n) non circa finem.

o) præstare favorem.

p) venirent, ac suos.

q) aptus.

r) securos facerent Concilij oratores, qui expresse attestabantur quod mora non erat imputanda dictis civibus Avenionis, quia exactissimam fecerant diligentiam & requirebant quod sacrum Concilium adimpleret ea, quæ per ipsos fuerant concordata cum dictis civibus. habita ista &c.

s) Sabinæ ac per olim Tarentini interjecta &c.

dictum *Johannem* olim Archiepiſcopum Tarentinum injecta fuit dubitatio an cives ſatisfeciſſent prædicte concluſioni Concilii, nihil aliud obycientes niſi quod non haberetur expreſſum teſtimonium de exburſatione totius ſumme LXX millia ducatorum, reſponſo autem quod *t*) conſtaret de contentatione facta Capitaneo Gallearum de XXX millibus & octingentis ducatis atque de reſidua ſumma usque LXX millia ducatorum cautos & ſecuros fecerant *u*) Oratores Concilij, eo res devenit ut diseuteretur: *x*) utrum conveniret procedere ad Electionem alterius Loci aut facere decretationem poſtulatam per Avinionenſes ſuper electione jam facta, remiſſa eſt materia hæc per deputationes ad deputatos in materia Græcorum, cumque pro majori parte deliberarent non ad aliam electionem procedere debere ſed jam factam decretari, non exſpectata deputatorum concluſione legati Pape tunc eodem die in tribus deputationibus, ubi ſedere conſueverunt, porrexerunt cedulas continentes vota eorum de electione loci fienda pro oecomenico Concilio *Florentiæ* aut *y*) *Lugduni* vel alterius in decreto comprehenſi. Item & in quarta deputatione porrecta cedula ſimiliter fuit in his etiam cedulis illa clauſula expreſſa fuit quod concilium deberet ſtare firme Baſilee usque ad *z*) adventum

t) quo conſtaret.
u) facerent.
x) ut diſceptaretur.
y) aut Utini.
z) eventum Græcorum.

ventum Græcorum, quantumcunque autem prius ſecrete & publice egerint dicti legati, attrahere autem non potuerunt multitudinem patrum, ſed eorum votis adhæſerunt pauci, de qualibet deputatione in quibus ipſi erant præſidentes, aſſentiente in contrarium reliqua multitudine Patrum juxta Aviſamentum *a*) Dominorum duodecim ut non fieret loci nova Electio, ſed decretaretur: jam factam, prout continebatur in cedula unde in deputatione *b*) Patrum in qua nullus erat legatorum, unus duntaxat fuit videlicet *Simon c*) de *Valle* qui erat Venetus iſte ſolus formam illius concluſionis partialis legatorum tunc Pape porrexit in medio deputationis ſolusque dixit ſe ſuper ea deliberare & concludere & tamen in eadem deputatione erant actu *d*) conſedentes plusquam LXXX patres, iſta ergo veritas eſt quod cum in ſacro Concilio ſtatim poſt ſui initium ordinata fuerint quatuor loca ad deliberandum, quæ communi nomine appellantur pro fide pro reformatione pro pace & pro communibus deputationibus & juxta conſuetudinem & Concilii Ordinationem, non alias quam a majori parte Patrum in deputationibus omnibus & in generali Congregatione concluſiones ſynodales fieri conſueverunt, & ultra hoc ut habetur in *e*) XI ſeſſione, ſtatutum fuerat quod ſacrum Baſilienſe

Conci-

a) juxta adviſamentum de duodecim.

b) deputatione pacis.

c) Simon deballe.

d) conſentientes.

e) omiſſ. *XI.*

Concilium per Neminem etiamsi papali foret dignitate dissolvi aut de loco ad locum mutari posset, nisi de expresso consensu duarum partium cujuslibet deputationis votis singulorum scrutatis subsequentique approbatione duarum partium congregationis generalis similiter scrutatis votis; pro dicta tamen partiali conclusione legatorum *f)* in nulla prædictarum quatuor deputationum convenit major pars patrum nec scrutata fuerunt vota in generali congregatione, sperabatur enim, quod nec quarta pars nec secunda pars patrum Concilii adherebat eorum partiali conclusioni. his diebus multe practice fuerunt tente & oblate cedule pro concordandis differentijs inter multitudinem Patrum ex una parte & dictos Legatos, qui tamen in hec tendebant communiter, ut Concilium in Italia celebraretur, sed intellecto, quod agebatur quemadmodum postea demonstravit eventus, ad reprobandum & condempnandum veritates declaratas in Constantiensi Concilio de Auctoritate generalium Conciliorum. Item quod res non erat integra, nam Cives Avinionenses contentaverunt Capitaneum de XXX millibus Ducatorum, omnia quæ erant in puncto expeditionis, difficillimum quam plurimum fuisset, omnia de novo inchoare; Deliberaverunt Patres qui faciebant duas partes & eo amplius persistere in prima electione jam facta, eo presertim attento, quod Avenionenses fecerant securos & cautos oratores Concilij super residua summa pecuniarum usque ad summam LXX millium

f) legatis.

lium Ducatorum, & Capitaneus Galearum multas impensas fecerat, que omnes fuissent perdite. Cum autem dicti Legati suam partialem conclusionem vellent decretare, Concilium semper eis restitit nec permisit eos celebrare Missam ad sessionem faciendam, sed Deputatus per sacrum Concilium missam celebravit, qua facta tenta fuit sessio Generalis in qua decretum sacri Concilij lectum fuit in Ambone Ecclesie in quo semper fuit consuetum legi decreta sacri Concilij, sed predicti legati cum quibusdam paucis sibi faventibus procurarunt quod quidam Episcopus in loco inferiori ubi nunquam legi consuevit forma alicujus sinodalis decreti, festine ac perturbate legit illam *g*) partialem conclusionem nomine sacri Concilij editam, sed tantus erat contra suam lectionem Patrum strepitus, quod verba ejus nullatenus percipiebantur & prius finivit iste Episcopus decretum illud paucorum, quam *h*) finivisset Episcopus in Ambone Decretum sacri Concilij, & eo decreto sacri Concilij lecto Patres, ut moris est, *Te deum Laudamus*, decantarunt, id autem significatur secure *i*) cunctis scire volentibus hujus rei veritatem, quod prefata Patrum multitudo Concilij non erat solum constituta ex *k*) inferioribus, sed comprehendebat majorem partem prælatorum, majoremque partem Doctorum juris Divini & humani, majorem partem eorum qui

g) omiss. *partialem.*

h) quam fuisset in ambone sacri Concilij decretum.

i) *secure* omiss.

k) ex inferioribus.

qui erant in Ecclesiasticis dignitatibus constituti, majoremque partem Ambasiatorum Regum & Principum pro tunc in Concilio existentium & qui tunc interfuit testimonium perhibet veritati. Facta hujusmodi sessione quoniam Decreto sinodali *l*) apponenda erat Bulla sacri Concilij, intercessit alia non minor disceptatio inter multitudinem Patrum & Legatos tunc Pape cum *m*) paucis sibi faventibus; Capse namque in qua bulla Concilij custodiebatur, erant quatuor claves & tenebantur per quatuor ex suppositis *n*) sacri Concilij, qui juxta morem observatum eliguntur singulis mensibus ex quatuor deputationibus, *o*) licet autem tenentes pro tunc dictos claves assensissent bullari predicta Decreta sacri Concilij tamen quia dicta capsa erat in manibus seu potestate præsidentis Concilij prefati Cardinalis *sancti Angeli*, ipse resistebat ne bullarentur nisi cum eis simul bullaretur eorum pretensum Decretum, unde diebus illis propter hanc contentionem non bullabantur *p*) alique littere sacri Concilij nec communes nec particulares; post magnas tamen *q*) agitationes nemine reclamante sed expresse consentientibus predictis tribus legatis omnibusque alijs, paucis faventibus sibi, sacrum Concilium in sua generali Congregatione per Orga-

l) decretis sinodalibus.

m) non paucis sibi &c.

n) ex sapientibus.

o) ex quatuor *nationibus*.

p) bullantur.

q) tandem.

Organum dicti Juliani presidentis commisit Reverendissimis Patribus Cardinali sancti *Petri ad vincula*, qui tunc primus Legatorum erat Pape *Alfonso* Burgensi Episcopo Regis Castelle Oratori & etiam *r*) *Nicolao* tunc duntaxat Archi Episcopo *s*) & serenissimi Domini Regis Aragonum Oratori plenam potestatem super bullatione & destinatione litterarum de quibus disceptabatur in Concilio. forma cedule illius commissionis talis erat, videlicet: Eligantur per sacras deputationes Dominus Cardinalis sancti *Petri* Dominus Panormitanus Dominus Episcopus Burgensis quibus detur potestas plena super bullatione litterarum de quibus agitur & earum destinatione, ita quod per hoc quod ipsi facient nullum prejudicium generetur alicui & per hoc sit pax & tranquillitas inter patres de Concilio, *t*) cessentque omnes agitationes & molestationes & cum bona pace procedatur ad alia negotia in hoc sacro Concilio tractanda & ista ultima clausula sit firma, quod non potest mutari sive violari & quod duret eorum potestas per totam diem crastinam que erit XV dies Maji. hec sunt verba formalia illius cedule que fuit per omnia approbata per sacrum Concilium *u*) & commissio fuit nobis

facta

r) mihi Nicolao.

s) *Panormitanensi* in impress.

t) pertractanda, cessentque omnes agitationes & molestationes & cum bona pace procedatur ad alia negotia in hoc sacro Concilio tractanda, & ista ultima &c. *hæc omissa sunt in impresso. &c.*

u) & ita non missio nobis fuit facta, ut supra præmissum est.

facta ut supra dictum est. Demum ipsi Commissarij juxta potestatem sibi traditam bullaverunt *x*) cum vera bulla plumbea sacri Concilij predicta sinodalia decreta de Electione *Basilee Avinionis* & *Sabaudie*, Impositioneque Decime ac facultate concessa per Concilium dictis IIII[or] Oratoribus nominandi *y*) portum dictis tribus locis propinquiorem & aptiorem. Item litteras Concilij missivas ad Dominum *de z*) *Fusco*, Cives Avinionenses & Oratores Concilij qui *a*) erant ibi, Item litteras missivas ad Imperatorem Græcorum & Patriarcham *b*) jerosolymitanum & cum istas litteras sinodales fecissent bullari expresse dicti commissarij recusarunt bullare dictam partialem Conclusionem sive illud pretensum decretum paucorum, licet de hoc fuissent *c*) requisiti, prout ipsimet fuerunt confessi publice in generali Congregatione, & qui interfuit testimonium perhibet veritati. Denique tres prefati commissarij mandantes executioni secundam partem commissionis eisdem facte cum *d*) *Rudolpho de Rüdisheim* Auditore camere & *Gwillermo* Archidiacono Metensi sub nomine Concilij miserunt predicta sinodalia decreta & literas prefatas ad Civitatem Avinionensem dantes ipsis Oratoribus instructio-

x) bullaverunt.
y) nominandum.
z) de Fuxo civem avenionensem.
a) inerant.
b) Patriarcham constantinopolitanum.
c) plurimum requisiti.
d) cum Radulpho Rudelhemi.

ſtructiones ut *e*) pro parte ſacri Concilij exponerent Civibus Avinionenſibus quomodo poſt multas & varias agitationes ſacrum Concilium deliberaverat eis deſtinare bullas per eos poſtulatas & quod receptis abinde pecunijs per dictos quatuor Epiſcopos Oratores Concilij inſtare deberent quod ſtatim aſcenderent Galeas cum predicto Capitaneo ad conducendum Grecos juxta alias deliberata per ſacrum Concilium; hec quidem bullatio ſinodalium decretorum & eorum ad cives Avinionenſes deſtinatio, cum fuerit nota toti Concilio predictisque duobus legatis & eis faventibus eorum aliquis nunquam ſe oppoſuit *f*) & nimirum, nam fuerat per Concilium unanimi conſenſu predictis tribus data poteſtas quod per id quod predicti tres commiſſarij agerent, eſſet pax & tranquillitas inter patres de Concilio, ceſſarentque omnes agitationes & moleſtationes ut latius patuit ex tenore cedule. poſt hoc autem cum tres predicti commiſſarij & tenentes claves dicte capſe nomine Concilij nunquam conſenſerint ut bullaretur decretum dictum paucorum, poſt factam dictam bullationem ſinodalium decretorum ad XV. dies patribus Concilij *g*) eſtimantibus juxta ſinodalem concluſionem eſſe jam pacem & tranquillitatem agentibus *Bartholomeo de Battoferris h*) ſecretario & quondam alio de familiaribus dicti Domini Juliani preſidentis media nocte evulſis

e) ut patres ſacri Concilij exponerent &c.

f) oppoſuit & contradixit.

g) exiſtentibus juxta.

h) de bertiferris.

ſis ſeris dicte Capſe in qua bulla Concilij cuſtodiebatur, bullate ab ipſis fecerunt plures littere continentes predictam pernitioſam concluſionem paucorum que erat ſcripta tanquam eſſet decretum ſimpliciter ſacri Concilij, ſimiliter & nonnulle miſſive ad Imperatorem Grecorum & Patriarcham Conſtantinopolitanum, & quia nihil ita opertum eſt, quod aliquando non reveletur, falſa hec bullatio & furtiva pervenit ad notitiam Concilij infra quatuor dies, ſtatimque die ſequenti captata unanimi deliberatione in omnibus quatuor deputationibus *i*) concilium nemine reclamante commiſit XII ex preſtantioribus *k*) patribus omnimodam poteſtatem inquirendi procedendi & puniendi omnes qui commiſerant hoc crimen falſi & contra quoscunque turbatores Concilij. Item quod haberent plenam poteſtatem ordinandi & ſcribendi ad quoscunque Principes tam Eccleſiaſticos quam ſeculares in pertinentibus ad executionem dictorum locorum electorum per ſacrum Concilium ac etiam prohibendi *l*) inhibendi & puniendi quoscunque turbatores; hec omnia concluſit in dicta Generali Congregatione Dominus *Julianus* tunc preſidens & ipſe *Johannes* olim Archi Epiſcopus *m*) Tarentinus expreſſe tunc conſenſit in judices ſinodales, qui facta inquiſitione cum inveniſſent eum culpabilem,

i) deputatis.
k) præſtantibus.
l) prohibendum inhibendum & puniendum.
m) *Archiepiſcopus Tarentinus* omiſſ.

bilem, arrestaverunt eum in domo propria, ipse autem timens futurum judicium, tanquam sibi conscius, associatus ab armigeris tempore quo Patres erant in *n*) generali congregatione recessit, violando arrestum, de ipsa civitate *Basilee.* hec & alia multa que tractabantur occultę, in communem notitiam adducta fuere ex tenore quarundam litterarum, quas dictus Tarentinus scribebat in Bononiam & cognita ejus *o*) tyrannide & aliorum pravitate que per maxime tendebat ad extinctionem Concilij Basiliensis, magna pars illorum qui adheserunt opinionibus ipsorum Legatorum, relicta illa *p*) conclusione partiali seu *q*) paucorum fuerunt pro executione sinodalium decretorum. Demum cum ipse tunc *Eugenius* dictam partialem conclusionem suorum Legatorum confirmasset, *r*) ut dicebatur in suo consistorio tento *Bononie*, parabantur jam Galee per Florentinos quasi in dicto loco, quem primo approbaverant, celebrandum esset oecumenicum Concilium, declinans sponte a dicta partiali conclusione, contra Galeas sacri Concilij fecit parare alias Galeas in *Venetijs* mittens in eis Oratores suos ad conducendum Grecos, qui prevenientes oratores sacri Concilij multa suggesserunt Grecis, ne venirent ad locum per Concilium nominatum & specialiter dicebant quod sa-

crum

n) in venerabili.
o) ipsius Tarentini & &c.
p) alia conclusione.
q) seu decreto paucorum.
r) confirmasset. omiss.

crum Concilium non habebat unde faceret expenſas & ideo remiſerant negotium ad ipſum quondam *Eugenium* & multa alia in deteſtationem patrum Concilij *s*) & eorum favorem. Demum Galee ſacri Concilij ad ipſam Civitatem Conſtantinopolitanam applicarunt, feceruntque omnem diligentiam ſibi poſſibilem, ut juxta Concordata vellent ipſi Greci venire in Galeis Concilij oſtendentes eis per bullas aureas ipſius Imperatoris Grecorum, de conventione per ſuos Oratores primo facta in Concilio *t*) & poſtmodum de ratificatione facta per ipſum, ſimiliter & litteras originales ſalvi Conductus Imperatoris *u*) Romanorum & Regum ac Principum per quorum dominia *x*) tranſituri erant, ex quo videre poterant manifeſte quod verum non erat id quod *y*) Oratores Dicti olim *Eugenij* eis ſuggeſſerant, videlicet quod Concilium non valens proſequi compactata *z*) remiſerat olim *Eugenio* onus de conducendo eos; nam *a*) etſi littere bullate *b*) preſentabantur nomine ſacri Concilij que erant furtive bullate, ut ſupra dictum eſt,

 obtu-

s) omiſſ. & eorum favorem. Demum Galee ſacri Concilij ad ipſam civitatem &c.
t) per Concilium.
u) Imperatorum Romanorum, Franciæ & Arragonum aliorumque Principum & Comitatuum.
x) ditiones.
y) omiſſ. Oratores dicti olim Eugenij eis ſuggeſſerant, videlicet quod Concilium &c.
z) compactum.
a) ut litteræ.
b) bullatæ quæ.

obtuleruntque Oratores ſacri Concilij dicto Imperatori & Grecis ſe paratos implere omnia concordata per ſacrum Concilium & ipſos; Ipſe autem Imperator Grecorum *c*) jam primo perſuaſus & inductus per adverſariam partem reſpondit Oratoribus ipſius Concilij, quod quia non veniſſent in tempore debito non intendebat venire cum illis Galeis ſacri Concilij nec aliam expreſſerat *d*) cauſam, cum autem per prius deveniſſet in notitiam ſacri Concilij prefatum tunc *Eugenium* parari facere in *Venetijs* Galeas contra Galeas ſancte ſynodi aperte *e*) cognoſcens jam ſcisma notorie introduci ab eo in Eccleſia Dei, per erectionem alterius congregationis ſub nomine generalis Concilij durante ſacro Baſilienſi Concilio, volens huic futuro malo obviare ac etiam ſubvenire languoribus Eccleſie cum dictus quondam Eugenius fuiſſet longe per prius denuntiatus in ipſo *f*) ſacro Concilio, quod decreta ſaluberrima *g*) edita per ipſum ſacrum Concilium minime recipiebat, quin imo eis non obſtantibus utebatur ſuis pretenſis reſervationibus non admittendo Electiones, Annatas *h*) exigendo & ſimoniam notorie committendo, Prelatos invitos transferendo contra decreta ſacri Concilij Conſtantienſis & multa alia de quibus in ipſo citatorio

c) Græcorum in primo.
d) expreſſerunt.
e) apte.
f) ipſi ſacro &c.
g) ſalubria.
h) erigendo.

rio *i*) edito contra eundem quondam *Eugenium k*) continetur committendo, ex quibus notorie scandalizabat Ecclesiam ut seriosius in dicto citatorio continetur, compulsa fuit dicta sancta synodus recepta prius ad cautelam informatione super notoria fama notorietatis illorum criminum citare dictum quondam *Eugenium*, ut infra LX dies per se vel per alium coram sancta synodo compareret, allegaturus que vellet pro sui excusatione & defensione, requisivit etiam Cardinales ut venirent ad providendum saluti Ecclesie, similiter notificando hanc quam ille introducebat divisionem in Ecclesiam Dei universis Principibus & populis christianis. Ipse vero quondam Eugenius reddens se *l*) magis incorrigibilem & difficilem pro ea obedientia quam debebat ipsi sacro Concilio prestare, *m*) fecit rebellionem, nam per XII dies ante terminum eidem assignatum publicavit quandam bullam sue secunde pretense translationis seu dissolutionis quam volebat habere effectum in duobus casibus, primo in quantum sacrum Concilium contra eum aut aliquem Cardinalium seu suorum presidentium vigore dicte *n*) citationis vel alias quomodocunque procederet, *o*) mandans in illum eventum sub gravissimis penis ne *Basileæ* fierent

 amplius

i) omiss. *edito.*
k) omiss. Continetur.
l) se quotidie incorrigibilem.
m) rebellionem intulit.
n) omiss. citationis.
o) procedere.

amplius actus Conciliares nisi per XXX dies tractando cum Oratoribus Regni Bohemie qui erant presentes. Secundus casus dissolutionis seu translationis erat in adventum *p*) Grecorum & sic tempore medio Concilium debebat stare *q*) in *Basilea*; destinavitque immediate bullas per universum convocationis *r*) ad suum pretensum Concilium quod *Ferrarie* se velle celebrare dicebat, quibus intellectis omnes fere qui fuerant cum legatis pro *s*) sua partiali conclusione recesserunt *t*) ab ipsorum favore, nam videbant oculariter quod ipse quondam Eugenius in primo casu dissolutionis nihil curabat de illo pretenso *u*) decreto paucorum cum inniteretur *x*) suæ translationi quam dicebat fecisse de plenitudine potestatis & satis atque satis in dictis litteris dissolutionis seu translationis aperte *y*) videbatur denegare preeminentiam Concilij generalis supra Romanum Pontificem, post predictam pretensam conditionalem dissolutionem seu translationem sacrum Concilium in sessione XXIX monuit dictum olim *Eugenium* ut revocaret dictam translationem & erectionem pretensam in *Ferraria*, intimando eidem expresse quod de auctoritate Eccle-

sie

p) adventu.
q) firmiter Basileæ.
r) convocatorias *in impress.*
s) cum sua.
t) ob ipsorum favorem.
u) pretenso omiss.
x) inniteretur dissolutioni seu translationi suæ.
y) apte.

ſie male ſentire videbatur, oſtendendoque *z*) per approbata ab eo decreta & declarationem *a*) fidei nullo modo id potuiſſe *b*) facere, decrevitque contra eum penas jam ſtatutas in XV *c*) ſeſſione quod niſi illam pretenſam translationem revocaret infra quatuor menſes *d*) eo ipſo eſſet ſuſpenſus ab omni adminiſtratione Papatus & ſi poſt illos IIII[or] menſes animo indurato per alios duos menſes in ſuſpenſione illa permaneret, quod ſacrum Concilium procederet contra eum usque ad privationem Papatus incluſive prout iſta latius continentur in illo decreto XI. ſeſſionis, quod fuit ſolempniter editum ante ſui adheſionem, quod ipſe in ſui adheſione ſatis aperte *e*) approbaverat. Ipſe autem quondam *Eugenius* oſtendens in dies ſe magis rebellem *f*) appropinquante termino dicte revocationis ſibi *g*) mandante videlicet XXX die Decembris declaravit purificatas fuiſſe conditiones ſub quibus dixerat ſe ex plenitudine poteſtatis tranſtuliſſe ſacrum Baſilienſe Concilium in *Ferrariam*, referens quod fuerat accuſata ejus contumacia ac quod fuiſſet monitus quod revocaret dictam ſuam

 trans-

z) ei quod approbata &c.

a) declarationes.

b) potuiſſent.

c) in XI.

d) omiſſ. eo ipſo eſſet ſuſpenſus ab omni adminiſtratione Papatus.

e) apte.

f) rebellare.

g) ſibi mandare declaravit. omiſſ. *videlicet XXX die*

translationem, quam ob rem declaravit Concilium ad *Ferrariam* fuisse *b*) recte translatum suamque inibi congregationem inchoari debere octava die Januarij Anno Domini MCCCCXXXVIII. & statim decima die Januarij *i*) per illos quos misit tenta fuit de facto *Ferrarie* prima *k*) sessio declarando legitimam fuisse predictam *l*) pretensam translationem, non obstantibus quibuscunque decretis Basiliensis Concilij etiam in *c. sicut unica VIII. sessionis* quod expresse materiam fidei concernit, illud enim decretum declarat, quod sicut unica duntaxat Ecclesia est, ita non potest esse nisi unicum Concilium generale eandem representans, ideoque durante Basiliensi Concilio quecumque alia congregatio fieret sub nomine cujuslibet generalis Concilij illa dicenda foret conventiculum scismaticorum, sed predicti sui Ferrarie congregati declaraverunt de facto dictum olim *Eugenium* non includi sub isto ac alijs quibuscunque decretis ac etiam non teneri *m*) ad decretum XIX sessionis, quod erat factum de consensu Grecorum per eosdem ratificatum, quod tamen sapiebat expresse inter partes *n*) contradictionem, quem etiam ipsemet quondam Eugenius approbaverat, ut supra dictum fuit. Multa aliaque dixerunt decretare tendentia in prejudi-

b) fuisse & esse translatum.
i) omiss. Januarij.
k) prætensa sessio.
l) omiss. prætensam.
m) sub isto aut alijs.
n) partes contractum.

judicium auctoritatis Ecclesie & Catholice fidei. Uno autem die ante factam dictam pretensam sessionem in conventiculo Ferrariensi recessit de loco sacri Basiliensis Concilij Dominus Julianus tunc presidens, qui usque ad illum diem continuavit suam presidentiam in sacro Basiliensi Concilio, non obstante translatione facta seu pretensa per dictum quondam *Eugenium* ex plenitudine potestatis ut asserebat, & cum ipso Domino *Juliano* preter suos familiares IIII^or duntaxat supposita Concilij nec ex practicis primo habitis plures secum trahere potuit, nec facile reperire poterit, quod etiam post adventum Grecorum unquam aliquis Prelatus vel Doctor aut in Dignitate constitutus de *Basilea* o) ivit *Ferrariam* pro celebrando ibidem oecumenico Concilio, quin imo omnes fere Oratores Regum & Principum qui erant per prius in sacro Concilio Basiliensi ibidem remanserunt illa pretensa translatione ad *Ferrariam* non obstante; & quod fortius est, Rex Franciæ expresse prohibuit sub magnis penis ne aliquis de sua jurisdictione *Ferrariam* proficisceretur pro oecumenico Concilio celebrando, recognoscendo sacrum Concilium Basiliense; transacto p) vero termino dictorum quatuor mensium a tempore dicte pretense translationis sancta sinodus Basiliensis declaravit in sua XXXI sessione dictum olim *Eugenium* legitime fore suspensum ab omni administratione Papatus, in qua sessione fuerant

K 5 publi-

o) omiss. ivit.

p) transacto uno termino.

publicata illa duo magna decreta. De Causis scilicet in partibus terminandis & de Collationibus beneficiorum faciendis *q*) per suos Ordinarios; que decreta licet edita post dictam pretensam translationem solemniter acceptata fuerunt in Germania & Francia ac per Regem Arragonum & alios quam plurimos Principes. Et post *r*) hanc suspensionem ad quindecim dies videlicet VIII. die Februarij *s*) primo applicuerunt ad portum Venetorum Imperator & Patriarcha Constantinopolitanus & qui cum ipsis ex Grecia venerunt, oportuitque inibi tractare cum eis de eorum consensu ad dictum locum Ferrarie pro celebrando oecomenico Concilio, si quidem mutatio loci *Florentie*, de qua dictum erat per suos Legatos in *t*) supra memorata partiali conclusione *u*) similiter & indictio *Ferrarie x*) facta erat per dictum olim *Eugenium* absque notitia & expresso consensu dictorum Grecorum, die XV. mensis Februarij predictus olim *Eugenius* personaliter tenuit *Ferrarie* secundam sessionem pretensam dixitque inibi se confirmare acta per suos in prima sessione declarando & decernendo de facto gravissimas penas contra existentes in sacro Basiliensi Concilio, precipiendoque Magistro Civium & consulibus Basiliensibus ut a se expellerent omnes & quos-

q) sed per suos &c.

r) & per hanc.

s) primum terminum.

t) ut supra.

u) conclusione finaliter.

x) Ferrariæ omiss.

quoscunque y) causa Concilij ibi existentes. Item intimando nobilibus z) & communitatibus per Germaniam constitutis, quod portantes victualia ad *Basileam* possent a quibuscunque Christi fidelibus impune spoliari; sed plures responderunt nuntijs hujusmodi notificantibus a) se velle imitari vestigia Patrum suorum qui non spoliaverunt transeuntes, sed faciebant justitiam contra eos qui in suis territorijs alios spoliabant; scripsitque tunc olim Eugenius litteras ad Principes Germanie ut revocarent salvos conductus si quos concesserant Concilio Basiliensi, persequerenturque Patres tanquam hostes fidei Christiane, sed plures ex illis non assentientes tante iniquitati etiam de novo concesserunt suos salvos conductus sacro Basiliensi Concilio. De mense autem Martij predicti Anni dicti Imperator Grecorum & Patriarcha Constantinopolitanus alijque Greci ingressi sunt *Ferrariam* & nona die Aprilis tribus quasi jam mensibus a suspensione illius a Papatu tenta est ibi tertia pretensa sessio declarando de facto quod etiam ex consensu Grecorum *Ferrarie* esset locus ad celebrandum oecumenicum Concilium, quod postea ut dicebat, transtulit in *Florentiam;* sacrum autem Concilium b) utens mansuetudine solita c) ac humanitate licet predi-

y) causa. omiss.

z) omiss. & communitatibus per germaniam constitutis, quod &c.

a) notificando.

b) Basileense.

c) ac humanitate. omiss.

predictis consideratis tam nequiter perpetratis contra Patres sacri Concilij de jure potuisset manus imponere ad fortia & ipsum quondam *Eugenium* illico a Papatu dejicere cum decretum XI. sessionis clarissime dictaret, quod sustinens suspensionem per duos menses posset a Papatu dejici, attamen processum inchoatum cum magna modestia continuavit, servando terminos qui etiam de necessitate servandi non erant, ac plurimos testes recipiendo super contentis in *d)* citatorio qui etiam de necessitate recipiendi non erant, cum plurima notoria *e)* degenerarent *f)* contra dictum olim *Eugenium*, quorum quodlibet ad depositionem satis erat *g)* attamen illam depositionem distulit per XXV *h)* menses a tempore dicti monitorij sive citatorij, exspectato semper si dictus olim *Eugenius* vellet ad cor redire & Ecclesiam Dei & ejus auctoritatem recognoscere sed cum nullo modo proficeret cum magis in dies ejus rebellio contra sacrum Concilium cresceret non valens amplius sustinere sine maxima confusione Ecclesie universalis & auctoritatis ejusdem ac sine periculo multorum malorum que facillime erant futura, *i)* dictum quondam *Eugenium* in Papatu sustinendo ad sententiam juste depositionis processit juxta formam contentam in

decreto

d) in monitorio.

e) notorie.

f) & apparerent.

g) aptum & sufficiens, attamen &c.

h) Viginti tres.

i) contra.

decreto XXXIII. sessionis k) & sic est finis narrationis facti sub compendio.

Etsi plurima dubia ex supra narratis elici possent, attamen quia omnia ad tria sunt reducibilia, omnipotentis Dei postulato suffragio in trifariam dicendi formam l) perstringam.

Primo: an fuerit & hodie sit in civitate Basiliensi Concilium Generale Ecclesiam universalem legitime representans?

Secundo: an ipsi Concilio Generali eo posito affuerit facultas & potestas legitima prefatum quondam Eugenium suspendendi & deponendi?

Tertio: potestate predicta presupposita: an legitimas habuerit causas ipsum deponendi & per consequens, alium in sede Apostolica surrogandi?

Circa *primum:* an scilicet fuerit & hodie sit Concilium Generale in Basilea? nemo profecto mentis compos Concilium ibidem legitime fuisse congregatum negare audebit, cum duorum Conciliorum Generalium Constantiensis & Senensis & duorum tunc successive summorum Pontificum *Martini* scilicet & quondam *Eugenij* auctoritate fuerit legitime institutum; Illis autem hanc potestatem competijsse negat nemo & quoad summos Pontifices, quod possunt indubie Generale Concilium congregare, est *tex. XV. di. m) per totum & c. dudum.*

k) omiss. & sic est finis narrationis facti sub compendio. —

l) proloquenda.

m) XVII per totum.

dum. III. q. VI. Quoad *n*) Concilium Conſtantienſe & etiam Senenſe poteſt allegari quod habetur *Act. VI. c.* nam dicitur ibidem quod XII. Apoſtoli convocantes multitudinem diſcipulorum, dixerunt non eſt bonum nos derelinquere verbum Dei & miniſtrare menſis, conſiderate ergo ex vobis ſeptem viros boni teſtimonij, plenos Spiritu ſancto, quos conſtituemus ſuper hoc opus; ſtatim ſubditur, *o*) quod impoſuerunt eis manus & fuit illud ſecundum Concilium Apoſtolorum. ex quibus verbis clare infertur, quod convocare Patres ad Concilium eſt commune *Petro p*) & alijs Apoſtolis ut patet in illo verbo: Convocantes multitudinem &c. fortius ergo totum Concilium ſimul congregatum poteſt diſponere de electione & convocatione alterius Concilij, que omnia *q*) faciunt ad manutenendum & defendendum decretum *frequens* in Concilio Conſtantienſi editum ſuper Concilijs Generalibus certis temporibus eligendis ut ibidem continetur. Quod autem ſit & vigeat in *Baſilea* Eccleſia *r*) in preſentiarum, negant adverſarij Eccleſie & ipſius ſacri Concilij fundantes ſe ſuper quodam parvo decreto imo pravo aliquorum pauciſſimorum, qui tunc

n) quod Concilium.

o) ſubditur: ibique &c.

p) & omnibus Apoſtolicis. *ibidem omiſſa ſunt*: ut patet in illo verbo: convocantes multitudinem &c. fortius ergo totum Concilium ſimul congregatum poteſt diſponere de &c.

q) omnia fuerunt.

r) loco Eccleſia — *Concilium*.

tunc in Concilio exiſtebant. Secundo ſuper quadam pretenſa diſſolutione ſeu translatione facta per ipſum quondam *Eugenium* poſt proceſſum contra eum per ſacrum Concilium Baſilienſe inchoatum, de quibus ſcilicet parvo decreto ſeu diſſolutione pretenſa ſatis ample ſupra in ejus narratione dictum eſt. Quod autem illo non obſtante Concilium adhuc vigeat ibidem in preſentiarum probabo per unicam regulam generalem & XVI. rationes, Reſpondeboque ad XIII. motiva adverſariorum, addamque aliud motivum per me intellectum reſponſionem ad illud ſubjiciendo, regula autem contra illud parvum decretum a pauciſſimis editum eſt talis:

In ſpectantibus ad Univerſitatem quamcunque ſive ſit Concilij Generalis ſive provincialis ſive inferioris Eccleſiaſtice ſive mundane prevalet ſemper & ſuum effectum conſequi debet, quod a majori & ſaniori parte ſit factum, factum autem a minori parte nullius reputatur efficacie, quin imo, quod fit a majori & ſaniori, jus fingit *s*) eſſe factum a tota Univerſitate. de Concilio Generali probatur *LXV. t*) *di. c.* 1. & idem de provinciali & facit *tex. cum glo. in c. non poteſt. de re jud.* de Inferioribus univerſitatibus multa ſunt jura ut in *c.* 1. *de bis que fiunt a ma. parte Cap.* & in *C. fin. e. t. & de elec. c. Eccleſia. in ff. ad municipalem l. quod major. & in l. aliud* §. refertur *ff. de reg. juris* ubi dicitur: quod ad omnes refertur quod a majori

parte

s) fingitur.
t) LXX.

parte fit. ad idem *l. nominationum C. de Decur. l. X. & notatur per Bart. in l. nulli & in l. plane. ff. quod cujusque. & in l. omnes populi. ff. de just. & jure* & in hac lege in sua solempni repetitione posuit singulare dictum ad propositum nostrum, dicens: quod etiamsi fieret per universitatem statutum contra legem, valet nihilominus quod fit a majori parte & in hoc dampna in *l. consuetudinis C. que sit long. consue.* qui tenuit, quod ubi statutum fit preter legem tunc sufficit consensus majoris partis, quo casu loqui intelligebat jura Generalia superius allegata. at ubi statutum fieret contra legem tunc oportet secundum eum, quod nullus de Universitate dissentiat, movetur in hoc ultimo per *tex. in authent. de defens. civitatis in §. fin.* ibi nullo reluctante &c. quod tamen non placuit *Bar. in d. l. omnes vero.* per jura preallegata que generaliter & indistincte loquuntur & ad *tex. in auth. de defen. civit.* respondit, quod posuit casum specialem, aliud non allegando, sed ego pro sua opinione scilicet *Bar.* allego *tex. apertum in c. 1. de his que fiunt a maj. par. cap.* in ultimo responso, ubi probatur valere statutum conditum a majori parte contra consuetudinem juratam ex quo utilitas Ecclesie exigit ut consuetudo mutetur, quia ut ibi dicit tex: non juramenta sed potius perjuria sunt dicenda, que contra Ecclesiasticam utilitatem & sanctorum Patrum veniunt instituta; quin imo amplius ibi. singulariter probatur secundum communem Doctorum opinionem seu intellectum, quod non valet scilicet consuetudo Capituli etiam jurata

dispo-

disponens quod in agendis omnes de Capitulo debeant concordare & quod aliter non valeant gesta; nam talis consuetudo est contra utilitatem Ecclesiarum propter facilitatem hominum ad dissentiendum *VIII. q. 1. nec novum & in c. si forte LXIII. di.* quod idem *in l. item si unicus §. principaliter ff. de arbit. facit l. quia poterat ff. ad Trebell. & cap. quia diversitatem de concess. præbend. sepe enim Ecclesie utilitas* impediretur, si dispositum a majori parte suum non consequeretur effectum; ex quo etiam infertur, quod in universitatibus Ecclesiasticis inferioribus non valet statutum nec consuetudo ut due partes ad minus debeant concordare sed prevalere debet semper a majori parte dispositum necessitate vel utilitate Ecclesie suadente ut probari videtur in dicto *c. 1.* & facit ad hoc per locum a speciali *c. licet in fi. de elec. & c. si cui. eod. tit. l. VI.* & quod paucorum contradictio non habeat impedimentum, prestare etiam in Concilijs Generalibus vel Provincialibus est tex. in prealleg. *c. sane LXX. di.* & *tex. juncta gloss. in dict. c. non potest & re judi. & illud c. sane* est tex. Concilij Niceni, ex quo infertur, quod supra dixi, quod etiam in Concilijs Generalibus valet per majorem partem contradictione minoris partis non obstante, quia ut dixi tota Ecclesia videtur facere quod major pars facit ut est tex. *in c. Apostolica LVI. di.* & *tex. cum gloss. in c. cum inter. de elect.* & facit optime quod in simili habetur per *Arist. u) in Politicis c. VIII.* videlicet, quod regimen civitatis consistit

u) tertio Politicorum & octavo.

ſiſtit penes congregationem civium vel ipſius Congregationis partem valentiorem; ita conformiter dicendum in regimine orbis, ut penes congregationem hominum totius orbis vel ipſius partem valentiorem conſiſtit; & ita eſt dicendum in regimine univerſalis Eccleſie que repreſentatur per Concilium Generale ut ipſo Concilio legitime congregato conſiſtat regimen penes totam congregationem ſeu ipſius Concilij partem potiorem, ut in juribus preallegatis & facit tex. Domino ſancto. in *ſi. L. di.* Attenta ergo diſpoſitione regule juris indubie eſt dicendum: illud parvum decretum paucorum nullius fuiſſe roboris vel momenti preſertim cum aliud verum decretum fuerit editum non tantum a majori parte ſed etiam a duabus partibus & ultra totius ſacri Concilij, *x*) & ubi concurrunt due partes univerſitatis ibi preſumitur melior *y*) zelus adeo, quod infra *z*) duas partes non admittuntur exceptiones tendentes ad extenuationem votorum ratione Zeli meriti vel auctoritatis ut probatur in *c. ſi quando. de elec. l. VI. & ſa. c. indempnitatibus ejusd. tit. li. VI.*

Adverſarij tamen Eccleſie volentes illius parvi decreti iniquitatem palleare dicunt illam minoris partis concluſionem ſive decretationem pretenſam ex IIIIor Capitibus ſive Caſibus valuiſſe, in quorum quolibet dicunt diſpoſitionem minoris partis prevalere.

Primo:

x) Conſtantienſis.

y) melior pars.

z) contra duas.

Primo: ſi in minore parte numero ſint perſone excedentes aliam partem in merito & repreſentatione & per hoc ſolum allegant adverſarij in jure quod in ſimili dicit *Hoſtienſ. de Conceſſ. preben. in c. poſtulaſti*, quod Epiſcopus habens ſecum aliquos de capitulo etiam partem minorem quod prevalet judicium ipſius Epiſcopi & dicunt hoc idem tenere *Inno. & Jo. An. in c. un. ne. ſed. vac. li. VI.* quod ultimum eſt falſum, imo *Jo. An.* clare proſequendo illud dictum *hoſti in C. penult.* de *App. l. VI.* reprobat illud dictum efficaciſſimis rationibus concludens poſt multa quod Epiſcopus in *Cap. ut prelatus* non dicitur facere cum conſenſu capituli, niſi ſecum habeat majorem partem capituli, quia capitulum repreſentatur per majorem partem ut in dicta *l. aliud §. refertur.* & in alijs juribus ſuperius allegatis. quin imo refert ipſe *Jo. An.* Dominum *a*) *Paravallum*, qui diu rexit ſtudium Paduanum in jure Canonico diſputando tenuiſſe contra dictum *Hoſtienſem* & idem tenuit *Fr. de Senis* in Conſilijs ſuis, Conſilio primo & hoc idem contra *hoſti.* tenent omnes communiter Doctores moderniores in dicto *C. poſtulaſti.* unde mirandum de preſumptione adverſariorum qui non ſolum allegant falſum ſed etiam dictum communiter reprobatum nec videntur diſcurriſſe jura in quibus hec materia de qua agitur, ſpecialiter tractatur, potuiſſent enim diſcurrere per *nõ. in c. quia propter. de elect.* & plenius *in c. ij. ej. tit.* & ibi *gloſſ. & Doctores* ſpecialiter attingunt hunc articulum: an aucto-

a) Dominum Purismallum.

auctoritas debeat numero preferri & glossa ibi tenuit: quodsi numerus in multum excedat, quod prefertur auctoritati & etiam merito consistentibus in minori parte & hodie hoc est clare decisum in dicto *cap. si quando de elec. li. VI.* istud autem deberet sufficere ad casum nostrum, in quo ultra duas partes habuit decretum sacri Concilij; sed ut allegatio adversariorum magis confundatur, dico, quod etiamsi non esset tantus excessus in numero, auctoritas & meritum minoris partis non preferuntur majoritati numeri, licet posset impedire dispositionem majoris partis; quia licet fuerit opinio quorundam, quod pars sanior respectu auctoritatis & meriti dicatur etiam major, ut sentit glossa in dicto *c. Ecclesia.* & *Inno. in c. quia propter* & *c. scriptum eod. tit.* Attamen communis opinio Doctorum & maxime modernorum est in contraria opinione, ut *Pe. ab. Jo. An. Egi. hosti. An. de bu. Cardinalis de Sabarell:* & omnes scribentes. moventur, quia cum jura requirunt communiter duo copulative non sufficit alterum, tota enim copulativa redditur falsa ex falsitate unius partis ut *nõ in c. ij.* & *in c. inter ceteras de rescript:* jura enim communiter dicunt quod ad validitatem gestorum requiritur, quod consentiat major pars & sanior ut in dicto *c. 1. de his que fi. a maj. parte. cap.* & in alijs juribus superius allegatis *in principio regule* & per *Bar.* in *l. VIII. un. ff. de re judi.* non sufficit ergo sanior pars nisi etiam sit major. Ideo concludit *Hosti. in dicto Cap. Ecclesia.* quem sequuntur ibi communiter Doctores: quodsi ex eodem scrutinio

fiant

fiant due electiones una a majori parte respectu numeri, alia a saniori parte, quod neutra electio confirmabitur. prima non, quia non a saniori parte licet a majori, ut probatur in dicto *Cap. Ecclesia ij.* nec secunda, quia non facta a majori, licet a saniori. ut *d. c. Ecclesia ij. & c. in Genesi de elect.* & considerandum quod *Hosti.* in materia nostra aperte concludit contra allegationem adversariorum; nam in Episcopo existente in capitulo habuit *hosti.* aliam considerationem & sic iste primus casus per adversarios allegatus in nullo eis opitulatur. imo communis Conclusio *Hosti.* & aliorum est contra eos. nec per hoc volo fateri, quod apud illam minorem partem fuerit auctoritas major aut meritum, quia sine comparatione & auctoritas & meritum & major ratio sic disponendi erat in multitudine *b)* Patrum. Adducunt preterea adversarij ad justificationem casus premissi aliquas auctoritates Biblie ut est illa: nunquid non sum melior tibi quam *c)* decem filij & illa: melior est canis vivus leone mortuo & consimiles, quia nihil faciunt ad materiam universitatis seu Concilij Generalis aliter non respondeo. Sed quatenus subjiciunt, quod cum judicio minoris partis consensit tota sedes Apostolica representata in presidentibus quorum duo fuerunt Cardinales. Item tota natio Italica, *d)* natio Anglicana, Ambasiatores Regum Arragonum & Portugallie & unus Ambasiator Re-

 gis

b) multitudine partium.

c) quam Christi filius.

d) tota natio hispanica & anglicana.

gis Francie Episcopus Dygnensis. certe ista nec stringunt, nec per omnia vera sunt in se. & primo ad id quod dicitur de Presidentibus tunc Pape. Respondetur, quodsi præsidentes Pape seu legati sentiant unum non per hoc captivatur judicium majoris partis Concilij, Concilium enim non consistit in Papa & in suis Presidentibus, sed representatur in tota congregatione Patrum Ecclesie seu etiam majoris partis ut probatur in *cap. in nomine Domini XXIII. di.* & in *cap. bene quidem XCVI. di.* patet ex ethimologia vocabuli; nam Concilium idem est quod cetus seu congregatio ut dicit *Isidorus in cap. Canones XV. di.* unde non potest dici factum sinodale, nisi fiat a tota synodo vel ejus majori parte. nec sufficit quod *e*) ipse habeat secum minorem *f*) partem, quia ut supra dixi de Episcopo, licet sit de Capitulo tanquam prelatus, non potest dici factum a Capitulo vel habitus consensus Capituli nisi concurrat cum eo judicium majoris partis ut habet communis Doctorum supra recitata; & de hoc dicam in tertio casu, ubi articulus iste melius cadit, & ad idem quod dicitur de tota natione Italica & tota natione Anglicana & de Ambasiatoribus Principum &c. respondeo, quod caret veritate, quia multi nobiles *g*) Italici concurrerunt *h*) cum majori parte & ita de Ambasiato-

e) quod Papa.

f) majorem partem.

g) notabiles Italici.

h) concurrunt.

ſiatoribus Regum & Principum & de natione *i)* Anglicana; nam Epiſcopus Cathamenſis & ego eramus de natione Italica & Ambaſiatores Regis Arragonum & *k)* tamen fuimus cum majori parte ex quo notorie patet falſa allegatio adverſariorum, & idem de multis alijs Italicis. ſed ſatis eſt per predicta confundere illam allegationem tanquam falſam, & mirandum quod in tanta re non vereantur *l)* allegare notorie falſa.

Preterea videtur eis deficere jus, quia recurrunt ad mendicata ſuffragia, allegant enim *m)* nationes, cum in Concilio Baſilienſi nunquam fuit proceſſum per nationes ſed per *n)* deputatos in quibus ſunt diſtributi *o)* Patres & ſuppoſita cujuslibet nationis, nec natio habet aliquam vocem in Concilio Baſilienſi ſed ſecundum Ordinationes ſacri Concilij & conſuetudinem ibidem hactenus obſervatam prevalet ſemper quod fit a tribus deputationibus ſine discretione & diſtinctione nationum. Item cum in illo parvo decreto *p)* vix concurrerent L. vel LX. vota, quomodo eſt veriſimile, quod habuerunt totam nationem italicam *q)* & Anglicanam

i) de natione hiſpanica. omiſſ. nam Epiſcopus Cathamenſis & ego eramus de nationa Italica &. ambaſiatores &c.

k) & transfinium.

l) vereantur dicere.

m) enim nationes.

n) per deputationes.

o) diſtributi homines.

p) decreto ex adverſo prætenſo.

q) Italicam & hiſpanicam.

nam & tot ambaſiatores Regum & Principum, ut ſe jactant, imo ſi verum velint fateri, preter unum ex Ambaſiatoribus *r*) Portugallie nemo ex Oratoribus Principum receſſit ex Concilio propter illud parvum Decretum & primo poſt illud & adventum Grecorum fuerunt in ſacro Concilio Baſilienſi Ambaſiatores Imperatoris & Regis Francie, qui Rex ſub pena expreſſe prohibuit, quod nemo *s*) de ſuis iret ad *Ferrariam* occaſione Concilij oecumenici. Item Ambaſiatores omnes Regis Caſtelle *t*) & Regis Arragonum remanſerunt in Concilio Baſilienſi continuando illud, *u*) non obſtante illa pretenſa translatione & hoc in primo caſu in quo ſe inaniter jactant.

Secundus Caſus eſt ſecundum eos in quo minor pars prefertur majori, quando minor pars innititur veriori rationi & obmittendo aliquas allegationes Biblie, que ad propoſitum non faciunt, ut eſt illa, ne ſequaris turbam facientium malum. & illa: ſtultorum infinitus eſt numerus; que reſponſione digne non ſunt. ſubmitto alias allegationes eorum; nam inducunt illam auctoritatem Dominicam: ſi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ego ſum. que tranſumptive habentur *XXIIII. q. 1. c. alienus*; non enim dixit Dominus ſi multi ſed ſi duo &c. adducunt etiam *nō per gloſſ. in c. ſane LXV. di. & in. c. x*) *Nicena XXXI. di.* quin

r) Regis Portugalliæ.
s) de ſuis *omiſſ.*
t) & regis Arragonum.
u) *non obſtante &c.* omiſſa ſunt usque *jactant.*
x) c. in cœna.

quin imo secundum eos dictum unius tantum prefertur sententie Pape & Concilij, si iste unicus innitatur auctoritati aut rationi evidentiori. *all. gloss. in c. placuit XXXVI. q. ij.* ubi dicunt probari, quod auctoritas beati *Jeronimi*, que innitebatur veteri testamento fuit prelata y) decreto duorum summorum Pontificum scilicet *Simachi* & *Gregorij* & duorum Conciliorum in proposito autem nostro dicunt hoc modo z) justificari decretum minoris partis prefate quia innitebatur veriori ratione & majori pietate quia major pars elegit loca ineligibilia pro Grecorum reductione scilicet *Basileam* & *Avinionem* que non poterant eligi, quia Ambasiatores Grecorum protestati fuerunt nunquam se venturos ad quemcunque illorum locorum, nec ad aliquem alium ubi Pape presentia non esset & sic crudele erat & expresse fidem catholicam ledere ac reductionem Grecorum abjicere, ideo concludunt constanter tenendum quod in minori parte Ecclesia representabatur cum majori rationi & pietati a) innitebatur, adducunt b) & similia que parum stringunt. nec videntur isti discurrisse per campum juris humani; nam obmissa materia juris vadunt per frondes & folia; ut enim predixi in precedenti casu, etiamsi minor pars c) utatur veriori ratione, non tamen judicium & potestas to-

 tius

y) prælata dicto.
z) justius fuisse.
a) fulciebatur.
b) addunt & similia.
c) fulgeat veriori.

tius universitatis *d*) residet in minori parte, quia ut plene dixi in precedenti casu, duo requiruntur, ut valeant gesta nomine universitatis, ut scilicet fiant a majori parte & saniori, *e*) unde licet minor sit sanior respectu verioris rationis, non tamen est major. nam potestas majoris partis nunquam devolvitur ad minorem, nisi in casibus juris expressis ut est *Gloss. nō.* quam sequuntur omnes Doctores *in c. bone ij. de elect.* at *f*) iste casus devolutionis non est a jure expressus ergo &c. & per hoc respondetur ad *gloss. cap. sane & c. Nicena.* ibi enim *g*) non dicitur quod minor pars preferatur intuitu verioris rationis sed quod unus solus potest resistere majori parti allegando rationem contra judicium majoris partis. unde non valebit, nec factum majoris partis quia sine ratione, nec factum minoris partis, quia caret potestate universitatis, quia potestas universitatis consistit in tota vel ejus majori parte ut dicta *lege quod major. ff. ad municip. & in l. nominationum C. de decur. li. X.* & videtur expressum *in C. ecclesia. gloss.* 1. *juncto c. ecclesia* non valuit electio minoris partis, licet fuerit major *h*) partium comparatione minoris & hoc

d) omiss. residet in minori parte quia ut plene dixi in præcedenti casu, duo requiruntur, ut valeant gesta nomine universitatis, ut scilicet &c.

e) unde licet minor sit sanior respectu verioris rationis, non tamen est major.

f) ac.

g) ibi enim dicitur.

h) majorum partium.

hoc quia non dicitur facta a Collegio ex quo non concurrit major pars totius collegij. in *Cap. vero Ecclesia gloss. ij* non valuit electio facta a majori parte, quia illa major non fuit sanior, & ideo neutra dispositio tenet, ut etiam supra dixi post *Hosti:* in precedenti casu, multeque inconvenientie cottidie sequerentur, si iste secundus casus esset simpliciter verus ut allegatur; nam unus solus Canonicus pretendens debitum Ecclesie vel aliam necessitatem vel utilitatem, posset invito toto capitulo vendere vel aliter obligare bona Ecclesie allegando quod tota potestas capituli residet in eo, quia *i)* utitur veriori ratione, cujus contrarium aperte probatur *k) ex q. ij.* hoc jus, *l)* ubi patet quod etiam *m)* suggerente necessitate Ecclesie non possunt bona distrahi, nisi consentiat major pars ibidem deservientium *n)* preterea contra hunc casum facit *nō. dictum Inno. in c. eam te de rescript.* ubi dicit: quod si Papa mandat capitulo aliquid juris, puta: ut recipiant aliquem in Canonicum, seu quod conferant uni beneficium, non *o)* potest minor pars secundum eum invita majori parte mandatum Apostolicum adimplere, quia mandatum est capitulo ut Capitulo & non ut singulis. ergo oportet, ut Capitulum faciat, quod representatur in majori parte & tamen est verum dicere quod is qui vult mandatum

i) quia nititur.
k) X. allegat, dict. l. si quis in princ. & l. q. ij.
l) hoc jus porrectum.
m) insurgente.
n) clericorum.
o) omiss. potest.

datum Apoſtolicum adimplere nititur majori rationi; cum alij peccent non obediendo precepto Pape & tamen poteſtas Capituli non devolvitur ad minorem partem, quia non eſt iſte caſus in quo major pars privetur & devolutio fiat ad minorem partem. ad *gloſſ. c. placuit* de Auctoritate *Jeronimi*, XXXVI. q. ult. illa non facit ad propoſitum, nam primo loquitur, quando dictum alicujus ſancti vel alterius viri innititur auctoritati novi vel veteris Teſtamenti, tunc enim illud prefertur judicio ſummorum Pontificum, quia ſummi Pontifices non poſſunt aliquid edere contra auctoritatem novi vel veteris teſtamenti, imo potius tunc convincuntur *p*) potius errare quam legem condere ut dicit *tex. in c. ſunt quidam XXV. q. ij.* & quod allegant iſti de Concilijs, illa non fuerunt Concilia Generalia ſed provincialia, quia *q*) fuit Concilium Aquisgrani &c. ut patuit in dicto *c. placuit;* ſed ubi ceſſat auctoritas novi vel veteris teſtamenti, dictum etiam ſancti in diffinitionibus cauſarum non prefertur diſpoſitioni Pontificum ut eſt *tex. XX. di. c.* 1. ubi melius diſtinguitur iſta materia una cum gloſſ. quam in Allegatis per adverſarios. In Concilio *r*) autem modo nihil disponebatur contra novum aut vetus teſtamentum, ſed agebatur duntaxat de electione novi loci pro oecomenico Concilio celebrando, cujus quidem electio ex *s*) compactatis

p) convincunt.

q) quia non fuit.

r) in caſu autem.

s) expactizans.

tis cum Grecis ſpectabat ad ſinodum Baſilienſem & ſic oportebat, quod in electione concurreret judicium ad minus majoris partis, alias non dicitur electio facta a Concilio, quod repreſentatur in majori parte; & dum dicitur quod loca electa per majorem partem erant ineligibilia & quod Greci proteſtati ſunt ſe non venturos ad aliquem illorum, reſpondetur dupliciter: primo quod falſum eſt, quod loca erant ineligibilia, quia nunquam fuit declaratum, *t*) quod *Avinio* non poſſet eligi. preterea & clarius adjectum fuit in diſpoſitione majoris partis, quod ſi Concilium non poſſet eſſe in *Avinione*, intelligetur electa eſſe *Sabaudia*, que in dubio poterat eligi, quia ipſimet Greci nominaverunt *Sabaudiam* inter alia loca tunc nominata. Licet Ambaſiator Grecorum poſtea dixerit quod intelligebat de *Sabaudia*, de terris Ducis Sabaudiæ que ſunt in Italia, cum tamen expreſſe *Sabaudia* fuerit nominata per Grecos inter loca exiſtentia extra Italiam, ut dictum fuit in caſus narratione; & per hoc Reſpondeo ad proteſtationem Ambaſiatoris Grecorum, primo, quod ille Ambaſiator non habuit poteſtatem hoc proteſtandi, ſolum enim habuit litteram credentionalem papiream; ſub credentia autem Generali non videntur mandata ea que contra prius ſunt concordata per ipſum Dominum.

t) omiſſ. declaratum quod avinio non poſſet eligi. preterea & clarius adjectum fuit in diſpoſitione majoris partis, quodſi Concilium non poſſet eſſe in Avinione, intelligetur electa eſſe Sabaudia, que in dubio poterat eligi, quia ipſimet &c.

minum. que *nō Bar. in l. lucius ff. de fidejùſſ.* Item proteſtatio illa nihil valebat quia erat contra concordatum cum Grecis ad que tenebantur vigore contractus. *Sabaudia* enim erat in locis per eos nominatis. Hinc eſt, quod ipſemet Imperator Grecorum poſtea in Conſtantinopoli reſpondit Oratoribus ſacri Concilij *u*) euntibus cum Galeis pro eorum conductione, quod non intendebant Greci venire, quia per Concilium non fuerunt omnia adimpleta tempore ſuo & idem reſpondit per litteras ſuas Conſtantinopoli ſcriptas ad ſacrum Concilium & ſic non allegabant defectum loci, proteſtatio ergo illa nulla & allegatio adverſariorum falſa, *x*) & hec eſt vera reſponſio. Poteſt ſecundo reſponderi etiam veraciter, quod preſuppoſito & non conceſſo, quod ſacrum Concilium nominaſſet loca ineligibilia & quod Greci non vellent ad illa venire, non tamen ex hoc ſequitur, quod minor pars habuerit auctoritatem totius Concilij eligendo alium locum, quia nullibi hoc eſt expreſſum. Nam ut ſupra dixi, ſi etiam minor pars vult exequi mandatum ſuperioris, non poteſt hoc facere invita majori parte, ſi mandatum eſt factum collegio ut collegio ut *nō Inno. in dicto c. eam te* & quanquam he ſolutiones veriſſime ſunt, non tamen per hoc fateor quod minor pars fuerit uſa in electione novi loci majori ratione, quoniam cum omnia fere eſſent parata per *Avinionem* & ſolum petebant pro eorum cautione decretationem illorum

u) Concilij exiſtentibus.

x) omiſſ. & hæc eſt vera reſponſio.

rum locorum & decime &c. ut in narratione casus. longe sanius erat decretare illa postulata, quam de novo tendere ad electionem alterius loci & exquirere mutuum LXX millium Ducatorum & alia de novo parare, que omnia fere parata erant, ut post illam decretationem experientia docuit; presertim attento quod Avinionenses prius exsolverant VI. millia Ducatorum & post adventum Oratorum sacri Concilij Avinionenses contentaverunt Capitaneum de XXX millibus & VIII^c. ducatis & fecerunt oratores cautos de residua summa usque ad summam LXX millia ducatorum. ut narratum est in casu. & hoc de secundo casu.

Tertius casus adversariorum erat, ubi olim Papa acceptat & confirmat decretum partis Concilij licet minoris tanquam judex competens illius dissensionis & hunc casum nituntur probare illa auctoritate *Deuterono: XVII.* que transsumptive habetur in *c. per venerabilem. qui filij sint legitimi.* ait enim Dominus, si videris in portis judicium variare inter causam & causam, sanguinem & sanguinem, vade ad locum, quem elegit Dominus ad sacerdotes Levitici generis & ad judicem qui fuerit illo tempore, qui judicabunt tibi judicij veritatem & facias, quecunque tibi dixerint, qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, morietur &c. *y*) ut plenius habetur in locis preallegatis. quasi velint isti innuere, quod data *z*) discordia in Concilio Generali debet recurri ad Papam

y) omiss. ut plenius habetur in locis præallegatis.
z) data licentia.

pam & ſtandum eſt judicio Pape tanquam ſupremo & ultimo, licet Papa concurrat cum minori parte; ad idem facit quod dictum fuit Moyſi, qui figuram in hoc tenuit ſummi Pontificis, ut inquit Beatus *Bernhardus* ad Eugenium. nam *Moyſi* dictum fuit, ut conſtitueret judices in populo & ſi quid majus *a*) ortum fuerit, deberent judices referre ad *Moyſen* & in hoc intrant adverſarij in materiam poteſtatis ſummi Pontificis adducentes aliquas generales auctoritates. Item adducunt practicam *b*) quorundam Conciliorum in quibus data diſſenſione inter Patres *c*) recurſum fuit ad ſummum Pontificem & ipſius judicium *d*) reſervatum. Ad primum reſpondetur, quod illa auctoritas *Deuter.* loquitur, cum difficultas oritur ex judicio minorum judicum, quia judices olim tenebantur in portis propter commoditatem commutativorum, *e*) unde data illa difficultate recurrendum erat ad ſuperiorem. Nos autem loquimur in his que explicantur per Concilium Generale univerſalem Eccleſiam repreſentans, ab illo enim tanquam a ſupremo & ultimo judicio non recurritur ad aliquem alium etiam Papam. patet ex auctoritate Dominica. Nam Chriſtus ipſum Petrum remiſit ad Eccleſiam & contempnentem Eccleſiam habendum cenſuit pro ethnico & publicano &c. non ergo voluit recurri

a) ſi quid mali.
b) practicum.
c) inter partes.
d) obſervatum.
e) comitativorum.

curri de judicio Ecclesie ad judicium Pape, alias non dixisset *Petro:* sit tibi &c. sed mandasset judicium Ecclesie prius discuti per *Petrum*, & si bene consideretur illa auctoritas *Deuter:* declarata, prout tex. eam declarat in dicto *c. per venerabilem.* non excluditur ibi judicium Episcoporum, *f*) cum ibi dicitur, recurrendum ad sacerdotes Levitici generis. & subjicitur: quod jndicabunt tibi judicij veritatem; sequeris ergo eorum sententiam &c. postea subjicitur de Papa, & sic loquitur, quando judicium Pape concurrit cum judicio sacerdotum. secus autem videtur ubi totum Concilium vel major pars que representat totum est in contraria opinione. nam si Papa posset approbare indifferenter factum minoris partis *g*) corrueret tota auctoritas Conciliorum, quia raro aut nunquam contingit propter varia hominum judicia, quod in Concilio Generali non sint aliqua vota diversa, unde si Papa posset approbare judicium minoris partis, facillime tota Ecclesia posset periclitari. Ponamus Papam hereticum vel alias moribus indignum, quod esse potest ut *in c. si Papa XL. di.* posset iste approbare judicium aliquorum de Concilio qui male sentirent in fide vel nollent evitare reformationem Ecclesie ut dissolute viverent; nam & in Concilio Niceno contra Arium *h*) congregato fuerunt XVII. Episcopi cum opinione Arij. Absit enim quod

f) judicium ipsorum.
g) partis, concurreret.
h) contra Arrianum.

quod Papa forte hereticus ſicut ſepe omnino contingit, potuiſſet judicium minoris partis approbare & auctorizare. nam ut ſupra dixi: ſicut Epiſcopus *i*) exiſtens in Capitulo debet habere ſecum majorem partem Capituli ut illud dicatur factum ab eo & Capitulo, ita oportet quod Papa habeat majorem partem Concilij ut dicatur illud factum a Papa & Concilio, alias ut dixi, *k*) actum eſſet de auctoritate Conciliorum. Legimus inſuper quod in Concilijs Apoſtolorum Petrus *l*) arengabat ſive proponebat tanquam unus de Concilio & ſic votum exprimebat, & concluſio fiebat ſecundum judicium Concilij & non ſuum & reſponſio etiam fiebat nomine Concilij *Act. XV.* Dicerem tamen, quod vox Pape propter ejus dignitatem ſit majoris roboris quam vox cujuslibet alterius. ſicut Jo. An. dicit de voce Epiſcopi intereſſentis in Capitulo ut ipſe *nōt: in c. plt de app. l. VI.* & facit quod legitur & notatur per Canoniſtas in *c. dudum de Elec. & bar. in l. ſi vim uni ff. de re judi. unde glo:* in libro Decretorum ſepe numero aſſumpſerunt illam diſputationem: ſi ſententia Pape diſcrepat a ſententia totius Concilij, cui magis ſtandum eſt? & arguit, quandoque pro Papa, quandoque pro Concilio ut *nō IIII. di. in iſtis & in C. noſtro nemo IX. q. III. & in c. legimus XCIII. di. & in c. quodcunque XXIIII. q.* 1. & pro auctoritate Concilij ſolet

i) ſicut Epiſcopo.

k) parum eſſet aut nihil de &c.

l) præponebatur & votum ſuum exprimebat tanquam.

let allegari dictum Jeronimi in dicto c. legimus, cum dixit, quod orbis est major urbe. i. auctoritas totius Ecclesie prevalet auctoritati Ecclesie Romane. & pro illa parte facit quod legitur & notatur in *c. Ecclesie* $\overset{19}{XCIX}$ *di. ubi glo. per illum tex. gregorij nõ.* quod Ecclesia Romana non est universalis sed de Universitate. i. includitur sub universali Ecclesia, quia unica est Ecclesia universalis, & unitas divisionem non patitur ut in *c. loquitur XXIIII. q.* I. *per Ciprianum. ad idem c. scisma & c. didici & c. adnotavit ead. causa & q.* sed hodie cessant disputationes & glosse Magistrorum propter declarationem veritatis factam in illa magna sinodo Constantiensi ubi fuit declaratum, quod in his que pertinent ad fidem & ad extirpationem heresum & scismatis & ad reformationem Ecclesie in capite & in membris Concilium est supra Papam & sic judicium Concilij tanquam judicium superioris saltem in istis tribus & pertinentibus ad illa est preferendum judicio Pape; Concilium autem, ut dixi, representatur in tota congregatione vel majori parte ipsius, ergo non potest Papa auctorizare judicium minoris partis, quia esset confundere auctoritatem Concilij que representatur in majori parte. nam ut predixi, in fictione juris, omnis facere videtur, quod major pars facit ut *in l. aliud §. refertur ff. de re judi.* & de hac auctoritate ecclesie universalis & cujuslibet Concilij Generalis dicetur plenius in secundo dubio principali *m*) & per hec

m) omiss. & per hæc & ibi dicenda pretereo ea, que sunt hic allegata per adversarios de preeminentia

hec & ibi dicenda pretereo ea, que ſunt hic allegata per adverſarios de preeminentia Pape. Ad illud autem quod deducebatur de eo illud quod fuit dictum *Moyſi*, Reſpondeo, quod idem eſt dicendum hodie in Papa, quia majores cauſæ ſunt ad eum referende ut in *c. majores de baptis.* reſpectu inferioris non Concilij generalis, quia in Concilio generali poſſunt tractari cauſe quantumcunque difficiles ut dicam in ſecundo dubio. quin imo data difficultate cauſarum Papa ſolet congregare Concilia Generalia ut per ipſa Concilia difficultates ſapiantur. ut in *c. Anaſtaſius cum gloſſ. ſua XIX di. & in c. in nomine Domini XXIIII. di. & in c verum quidem XCVI. di. & in c. Adrianus & in c. in ſinodo LXIII. di.* cum multis ſimilibus. Ad id quod ultimo allegatur de practica quorundam Conciliorum Reſpondetur quod data diſſenſione inter Patres Concilij bene poſſunt ſi volunt ipſi Patres recurrere ad Papam, ſed non tenentur, preſertim ubi major pars vel due partes concordant; nam ibi Concilium ubi major pars. Item quia voce Dominica judicium Eccleſie eſt ultimum & ſupremum. non ergo oportet propter contradictionem aliquorum recurrere pretermiſſo judicio Eccleſie ad Papam, ſed veniens contra judicium majoris partis quod cenſetur totius Concilij habendus eſt tanquam Ethnicus & Publicanus. & hoc de tertio caſu.

Ad *quartum Caſum* per adverſarios inductum dicunt, quod etiam minor pars prevalet majori, quando

nentia Pape. ad illud autem quod deducebatur de eo, quod fuit &c.

quando totum concilium seu communitas in hoc convenit quod ipsa teneatur in certo casu aliquid facere & tunc si major pars renuit *n)* pacta servare, potest minor pars illud adimplere, quantumcunque major pars contradicat maxime si periculum imminet toti communitati nisi impleatur, debet enim minor pars obviare periculo & dampnis & promissum per communitatem exsolvere ad supplendum negligentiam majoris partis, quia eo casu jus universitatis est devolutum ad eos qui aliorum negligentiam supplent & ad hoc *alleg. tex. in l. sicut in fi. ff. quod cujusque universi: nomine & nõ. in c. si forte* $\overset{43.}{LXIII.}$ *di.* nam universitas potest in uno solo residere ut *nõ in c. gratum de postul. Prel.* Istum casum dicunt Adversarij contigisse in Concilio Basiliensi, quia totum Concilium tenebatur eligere locum quemcunque Grecorum gratum, majori ergo parte hoc negligente facere, licuit minori parti supplendo negligentiam majoris & solvere promissum factum per totum Concilium sed profecto nec iste casus verus est in se & jura allegata per eos illud non probant, & primo contra hunc casum allego *gloss. nõ in c. cum omnes. de consti.* que dicit, quod si aliqua ex necessitate sunt *o)* expedienda per universitatem, ut puta: alienationes & similia, tunc habet locum illa regula, quod sufficit major pars, sed cessante necessitate requiritur consensus omnium illius glo. theoricam sequuntur communiter ibi Doctores. & addunt duos

 alios

n) tenuit pactum servare.

o) explicandæ per.

alios casus in quibus sufficit dispositio majoris partis, videlicet: si utilitas Ecclesie suggerit vel pietas, pro primo facit *tex. in c. 1. de his que fi. a. ma. part. cap.* pro secundo facit *c. fin. eod. tit.* & sic aperte sentiunt gloss. & Doctores, discrepante eorum nemine quod sive in agendis per universitatem immineat necessitas sive utilitas sive pietas requiritur ad minus major pars universitatis ad validitatem actus, cujus contrarium sentiunt adversarij sine aliqua lege, nam *illa l. sicut & c.* si forte & *gloss. in c. gratum* allegata per eos loquuntur, quando jus universitatis residet etiam in uno per mortem aliorum, vel quia forte alij negligunt venire ad universitatem que alias est legitime convocata, quia tunc faciunt se alienos. *juxta nõ. in c. dilecti. de elec. & per Jo. An. in c. causis ej. tit. & facit quod nõ. Inno. in c. 1. de major. & obed.* sed quod universitate congregata posset minor pars exsolvere seu adimplere contractum factum per universitatem invita majori parte, cum illud immineat collegio & non singulis, hoc non probant illa jura, nec alia, imo potius probant contrarium, quia jura communiter dicunt, quod in explicandis per universitatem requiritur saltem major pars etiam si utilitas vel necessitas ecclesie exigat ut probatur in *c. 1. de his que fiunt a ma. part. cap.* & clarius *X. q. ij. hoc jus.* ubi loquitur tex: de universitate obligata ex mutuo & tamen oportet quod concurrat judicium majoris partis ad exsolvendum debitum. Ad idem facit dictum *Inno. in preall. c. eam te. de rescr.* ubi in precepto per superiorem facto,

cto, quod non minus ligat, quam conventio facta per ipsam universitatem non valet minor pars illud implere, si mandatur electio vel aliquid aliud quod consistat in jure, quia tunc videtur mandatum collegio ut collegio & pondero illam rationem *Inno.* nam si propter aliorum negligentiam totum jus collegij devolvitur ad minorem partem, non diceretur tunc minor pars facere sed ipsum collegium & tamen negat Inno. hoc posse fieri per minorem partem. Item facit *quod nõ. Bar. & gloss. in l.* 1. *ff. quod cujusque. & in l. IIII.* §. *condempnatum ff. de re judi.* ubi dicit: quodsi universitas aliqua est onerata debitis & non habet unde solvat, *p*) cogitur per superiorem singulis imponere collectam, ut habeat, unde solvat. unde aperte sentit, quod unus solus in defectum, aliorum hoc facere non possit. preterea tenetur Concilium ex precepto divino ad reformationem Ecclesie, ergo unus solus alijs negligentibus posset statuta super reformatione edere, cujus contrarium innuit *c. sane. LXV. di.* hec & multe alie absurditates sequerentur, si casus preallegatus esset verus & facit illa ratio quam scilicet induxi, quod nunquam potestas majoris partis devolvitur ad minorem, nisi in casibus specialiter a jure expressis ut nõ. gloss. & communiter Doctores approbant *in c. bone ij. de elec.* quia cum privatio potestatis sit pena, nun-

M 4 quam

p) omiss. cogitur per superiorem singulis imponere collectam, ut habeat, unde solvat. unde aperte sentit, quod unus solus in defectum aliorum hoc facere non possit &c.

quam habeat locum, nisi specialiter exprimatur, que pene non excedunt casum proprium. *de pe. di. 1. pene cum sunt facit l. interpretatione ff de poen.* & si hec vera sit solutio ad predicta, est tamen & alia q) non minus vera, negatur enim quod major pars Concilij fuerit in aliqua negligentia, nam elegerat *Basileam Avinionem* & in defectum *Sabaudiam*, & *Sabaudia* erat de locis expresse nominatis & concordatis cum Grecis & sic satisfaciebat major pars promissioni facte per Concilium, super falso ergo se fundant adversarij, cum eorum allegatio non sit vera, neque in jure neque in facto. & hoc de IIII. casu. Audivi alios nonnullos adjicientes alium casum specialem diversa tamen ratione, dicebant enim quod ubicunque universitas concorditer aliquid statuisset, non poterat illud tolli per majorem partem sed oportet quod omnes concurrant nemine discrepante. Allegant *auct. de defen. civi. in fi.* ibi nullo reluctante &c. Item quia omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur ut *in R 1. de R. J. & in C. nihil tam naturale ff. eod. tit.* quare dicebant quod cum totum Concilium consensisset in illam priorem cedulam, quod Avinionensibus non realiter solventibus infra mensem Concilium posset & teneretur alium locum eligere, non poterat Concilium nisi omnes pariter concordarent, ab illa communi ordinatione discedere, sed profecto motivum istud duplici ratione tollitur, primo, quia non est verum in facto; cum Cardinalis sancti *Petri* & Dominus

q) est tamen alia minus vera.

minus *Julianus* Præſidens non conſenſerint in illam cedulam, ut ſupra dictum fuit in narratione caſus. ſecundo, hoc motivum deficit in jure, nam *authent. de defen. civi.* per iſtos allegata ponit caſum ſpecialem, nec loquitur in caſu noſtro ut notanter dicit, *Bart. in dict. l. omnes populi ff. de juſti. & jure.* nam ibi non dicitur quod omnes prius conſenſerint ſed loquitur cum civitas ultra biennium vult continuare defenſionem civitatis, tunc enim in odium continuationis exigitur, quod omnes de univerſitate conſentiant, nemine diſcrepante, unde *Cy. in dictam l. conſuetudinis C. que ſit lon. conſue.* dicebat, quod loquitur, quando ſtatutum ſit contra legem, quia lex prohibet aliquem defenſorem continuare ultra biennium, ſed ut predixi, ſive ſit ſtatutum contra legem, ſive preter legem, valet, ſi fit a majori parte & in dicta auct. ponitur caſus ſpecialis, ut tollatur materia continuandi defenſorem ultra biennium & *nō. Bar. in dictam l. omnes populi.* & idem dicendum eſt ad alia jura, ſique ſunt que requirant conſenſum omnium, ut ponant caſus ſpeciales, nullibi enim generaliter cautum reperitur, ut cum omnes conſenſerint in aliquo actu debeant omnes pariter conſentire in faciendo contrarium, *r)* quomodo generaliter utriusque juris cenſura habet, ut factum a majori & ſaniori parte univerſitatis cenſeatur a tota univerſitate factum ut in dicta *l. aliud in* §. *refertur ff. de re judi.* & alijs juribus ſuperius allegatis, & quod hec regula debeat habere locum indifferen-

 ter

r) quin imo loco; quomodo.

ter etiamsi in dispositione priori contraria omnes unanimiter consenserint. allego primo *c. 1. de his que fiunt a ma. p. cap.* in triplici loco, nam primo ibi dicitur, quod in cunctis Ecclesijs, quod pluribus & sanioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debet observari, unde pondero illud verbum incunctanter. i. sine percunctatione, sine distinctione, ergo non debet distingui, utrum prius omnes in contrarium consenserint vel non, esset enim violare illum textum, quia non solum generaliter loquitur, sed etiam apponit illud verbum incunctanter, solum ergo debet inspici an minor pars habeat justam causam contradicendi alijs, ut ibi dicitur *in ℣. quo circa* secundo hoc probat *tex. in c. quo circa*, ubi dicitur, quod nisi a paucioribus aliquid rationabile objectum fuerit *s*) & ostensum, appellatione remota, prevaleat semper & suum consequatur effectum quod a majori & saniori parte Capituli fuerit constitutum. pondero enim illa verba: *prevaleat semper &c.* cum enim dicat semper, ridiculum est addere ad tex. nisi primo omnes in contrarium consensissent, scivisset enim hoc dicere legislator, si voluisset, ut in simili dicitur in *c. ad audientiam de Deci. & not. Bart. in l. 1. ff. de test. ubi reprehendit gloss. qua ibi addebat ad tex.* & qui omnia dicit nihil excludit. *C. XIX. di. si Romanorum & in c. solite. de Ma. & Obed.* Tertio adhuc clarius probat ille idem tex. in eo quod subjicit hec verba: nec constitutionem nostram impediat, si forte aliquis ad conservandam Ecclesie sue

s) omiss. & ostensum.

ſue conſuetudinem ſe juramento dicat aſtrictum, non enim juramenta ſed potius perjuria ſunt cenſenda que contra *t*) utilitatem Eccleſiaſticam & ſanctorum Patrum veniunt inſtituta. Ecce ergo ibi caſus clariſſimus contra iſtorum aſſertionem, nam ibi canonici volebant diſponere contra antiquam conſuetudinem in quam non ſolum omnes & ſinguli conſenſerant, ſed etiam ad illius obſervantiam ſe juramento obligaverant & nihilominus ibi dicitur, quod in contraria diſpoſitione ſtandum eſt judicio majoris partis, ex quo hoc ſuggerat neceſſitas vel utilitas Eccleſie. Item ut dicit *Bar. in dictam l. omnes populi*, valet majoris partis judicium etiam contra legem que cum tanta maturitate & procerum conſenſu eſt condita *ut l. humanum & l. fi. C. de legibus.* multo fortius debebat valere in caſu noſtro in quo contraria diſpoſitio non erat fulcita lege nec firmata juramento & ſi diceremus contrarium, ſequeretur magna abſurditas; Cum enim experientia docente expediat quandoque mutare legem, *ut cap. non debet de conſangu. & affin.* periculoſum eſſet dicere, quod unius contradictio poſſet impedire mutationem legis, ex eo quia omnes unanimiter conſenſerant in illam legem.

Addo ad predictorum confirmationem hanc rationem. Idem debet operari fictio in caſu ficto, quod veritas in caſu vero ut *nõ. Bar. in l. ſi is qui pro emptore ff. de uſu.* & facit *c. litteras. de tempo. Ordi.* ſed utriusque juris cenſura declarat ſeu fingit factum a majori parte cenſendum, ac ſi eſſet

ab

t) contra auctoritatem.

ab omnibus factum ut in dicto *c.* 1. *& in dicta l. aliud. §. refertur.* ergo idem dicendum, cum major pars consentit valet, ac si omnes pariter consensissent. nec obstat, quod dicatur, quod in illa dispositione contra cedulam non imminebat necessitas vel utilitas *u*) Ecclesie aut sacri Concilij, quo casu debet intercedere omnium consensus nec sufficit judicium majoris partis, ut *nõ. glo. & Inno. in dicto c. cum omnes* & supra etiam dixi. nam presupposito, quod illa theorica esset vera quod *x*) in imminente necessitate, utilitate vel pietate requiritur consensus omnium de universitate, quam tamen theoricam in illa parte nonnulli improbant, cum jura indifferenter dicant, valere, quod facit major pars, dicendum tamen, quod in hoc facto de quo agitur magna imminebat necessitas & utilitas Ecclesie universalis, quia cum omnia parata forent stante nominatione *y*) *Avinionis & Sabaudie*, tam pecunie, quam galee & oratores sacri Concilij tunc ad Greciam ituri erant ibidem parati & non habebant necesse nisi intrare Galeas, ingens & notorium erat dampnum & prejudicium Ecclesie, si de novo debuisset locus eligi & pecunia queri & omnia de novo parari. ad predicta etiam optime facit *c. si de his que fi. a ma. p. cap.* ubi valet dispositio majoris partis etiam in his que competunt singulis Canonicis *z*) in re tamen Ecclesie, videlicet ut

u) utilitas ecclesiæ aut sacri Concilij.
x) non imminente.
y) nominatione Basileæ Avinionis &c.
z) canonicis, jure tamen &c.

ut quilibet Canonicorum teneatur aliquid de redditibus ſuis ad fabricam Eccleſie conferre & tamen communi conſenſu fuerant per prius prebende ſingulariter ſingulis & ad eorum uſum diſtribute. fortius ergo debuit valere judicium majoris partis in caſu noſtro ubi non agebatur de jure ſingulis competenti, ſed de facto ipſius Eccleſie Univerſalis. ad idem facit *nō. per Doct. in c. cum dilecti. de elec.* ubi dicunt, quod licet omnes canonici communi conſenſu terminum prefixerunt ad electionem celebrandam, nihilominus poſſunt Canonici ſeu major pars Capituli expreſſe ſeu tacite illum terminum revocare alium terminum eligendo ſeu prefigendo, non obſtante minoris partis diſſenſu, nec *a*) ullum periculum imminebat hoc caſu minori parti Concilij, quia poteſtas eligendi alium locum non devoluebatur ad *b*) alium. Item quia electio fuit facta per Concilium juxta concordata cum Grecis & hoc quo ad motiva adverſariorum, quatenus volebant violare illam regulam communem, quod ſit a majori parte &c.

Sed allegare potuiſſent verba illius cedule, in qua dicebatur quod Avinionenſibus non realiter ſolventibus infra menſem Concilium poſſet & teneretur alium locum eligere. ponderandum eſt enim verbum: tenetur. quod importat neceſſitatem ut eſt *tex. in Cle. exivi. in ℣. Item ordo. de Verb. ſign.* & maxime hoc verum, quando verbum: tenetur, ſequitur verbum: *poſſet. ar. in c. abbate. de App.*

ſi

a) nec illud.
b) ad illum.

si ergo Concilium ex necessitate tenebatur alium locum eligere, non potuit perdurare in prima electione, ergo minor pars tanquam necessitata vigore cedule potuit & debuit eligere alium locum cum necessitas legi non subjiciatur. *in c. quanto. de Consuet. l. 1. C. de oper. liber.* sed his minime obstantibus, contraria sententia verissima & indubitata existit pluribus urgentibus rationibus. & prima ratio sit hec: Nemo potest sibi legem imponere a qua sibi resilire non liceat, ex quo cum alio non contraxit, nec alter alteri se ipsum obligavit. *tex. est in l. si quis in principio. ff. de Legatis III.* sive sit universitas statutum edendo sive princeps legem condendo, sive singularis persona aliter disponendo. pro Universitate adduco *tex. valde. nō.* qui videtur questionem nostram radicitus terminare, videlicet *c. in nostram. de injur. & damp. dat.* ibi enim secundum intellectum Inno. quem sequuntur communiter omnes Doctores, probatur, quod licet aliqua universitas per statutum suum in favorem singulorum se obligat ad ea que naturaliter obligata non erat, potest nihilominus se per contrarium statutum liberare & primum statutum in totum vel in partem tollere; Cives enim illi *c)* Brixienses gravia dampna passi fuerunt & graves expensas fecerant ob discordiam, *d)* que tunc viguit inter milites & Burgenses, ad quam sedandam commune suum statutum fecit se ad illa dampna & expensas resarcienda, sed videns postea

c) Cives enim Basileenses.

d) ob discordiam communitatis.

ſtea magnum onus & grande prejudicium ex hoc communitati ipſi imminere, ſtatuit poſtea contrarium *e*) ut a communitate dampna ipſa peti non poſſent, & hujusmodi contrarium ſtatutum valuit ſecundum Innocentium, quia commune ipſum non erat naturaliter ad ipſa dampna reſarcienda obligatum, unde ſicut per ſtatutum potuit ſe ad illam obligationem inducere ita & per ſtatutum contrarium potuit illam obligationem ſolvere & tollere, quia omnis res per quascunque cauſas nascitur, per easdem & diſſolvitur ut in *reg.* 1. *de reg. jur.* & lex civilis dicit, quod nihil tam naturale quam quod unumquodque ſolvatur eo vinculo, quo ligatum eſt. ut in *l. nihil tam naturale ff. de R. J.* & ſic ſingulariter probatur ibidem, quod licet primum ſtatutum tenderet in nonnullorum favorem de univerſitate, ex quo tamen cum illis non contraxit, nec proceſſit aliqua obligatio naturalis; potuit nihilominus univerſitas poſtmodum *f*) contrarium ſtatuere etiam ſine illorum conſenſu in quorum favorem prima diſpoſitio emanaverat, fortius ergo idem in caſu noſtro dicendum eſt, in quo nulla obligatio preceſſerat ad diſponendum contenta in illa cedula, nec ipſum Concilium illam edendo cum aliquo contraxit nec in favorem aliquorum fecit niſi ipſius duntaxat ſacri Concilij ut citius illa negotia expedirentur & preſuppoſito quod contemplatione quorundam de concilio hoc factum

e) omiſſ. ut a communitate damna ipſa peti non poſſent, & hujusmodi &c.

f) omiſſ. contrarium.

factum fuerit, qui se illi electioni opponebant, ut ab aliquibus asseritur, nihilominus idem est omnino dicendum, ex quo Concilium cum illis singulis non contraxit, sed simpliciter ita per suam provisionem dispofuit; quanquam enim singulares de Concilio inter se g) super illius loci nominatione disceptarent & pro bono concordie in illa cedula convenirent, nihil tamen cum ipso sacro Concilio per viam pacti aut conventionis seu obligationis actum est, sed ipsum sacrum Concilium sua sponte per se disponens & cum nullo contrahens ita dispofuit, nam aliud universitas, aliud singuli de universitate. nam factum singulorum non attribuitur universitati, etiamsi omnes de universitate convenirent simul, ex quo non sunt collegialiter more solito congregati nec collegialiter disponunt ut *nō. per gloss. & Doct. in l. sicut. ff. quodcunque.* & plenius per *Bar. in l. aut facta ff. de pe. & per Jo. An. in c. feliciter de pe. li. VI. facit lex. semper. ff. quod vi aut clam & c. liberti. XII. q. ij.* & quod plus est non putantur illi singuli pretendere in illo speciale interesse, quia negotium erat universalis Ecclesie & hoc quoad universitatem, ut non possit sibi legem per suum statutum facere, a qua non licet resilire.

g) omiss. hoc factum fuerit, qui se illi electioni opponebant, ut ab aliquibus asseritur, nihilominus idem est omnino dicendum, ex quo Concilium cum illis singulis non contraxit, sed simpliciter ita per suam provisionem dispofuit; quanquam enim singulares de Concilio inter se &c.

ſilire *b*) & propter dicta bene facit, quod *nō. Cy. in l. cunctos populos C. de ſumm. Trin. & Bar. poſt, eum in l. omnes populi ff. de juſti. & jure* & latius per *Bal. in l. humanum C. de legibus*, ubi communiter Doctores: quod licet ſtatutum precedens det certam formam in agendis in futurum, nihilominus valet ſequens ſtatutum forma illa non ſervata ſi appareat de contraria mente ſtatuentium; Quin imo amplius dicit *Bal. in preallegata l. humanum.* quod aut diſpoſitio precedens habet verba derogatoria poteſtatis & non valet, quia cum poteſtas ſit juris puri, nemo poteſt a ſe illam abdicare, imo nec pena in contrarium ſtatuta valeret. *ar. in l. ſejus & Augerius ff. ſal. & ſa. quod nō. glo. in regula, acceſſorium de R. J. l. VI. & in l. pacta que contra C. de pactis.* quod eſt notandum. unde ſi etiam fuiſſet dictum in illa cedula expreſſe, quod Concilium non poſſet perſeverare in prima electione, adhuc potuiſſet contrarium facere ratione predicta, quia non habet Concilium a ſe poteſtatem abdicare ut in *l. legatus ff. de off. preſi. ad idem tex. in l. plt. ff. de arbi.* ubi dicitur, quod nemo poteſt ſibi imperare vel ſe prohibere; idem vero ſtatutum precedens eſt derogatorium forme vel voluntatis, ex quo apparet de contraria voluntate, & dicendum plenius ut *ibi nō.*

Ad

b) plurimæ lineæ omiſſæ ſcilicet: a Verbis: *& propter dicta bene facit &c.* usque ad illa: *ad idem ut predixi &c.*

Ad idem, ut predixi, eſt videre in Principe, cujus vice fungitur ſacrum Concilium, probatur in *c. fi. juncta gloſſ. de reſcr. l. VI.* ubi etiam videtur caſus de hac queſtione, nam Papa ibi revocans Indulgentias ſuper fructibus in abſentia percipiendis conceſſas, ſubmiſit hec verba & earum conceſſionem noſtris volumus exulare temporibus & quod nobis licere non patimur, noſtris ſucceſſoribus judicamus. per que verba viſus eſt Papa velle a ſe omnem poteſtatem tales indulgentias concedendi abdicare & tamen gloſſa ibi querens: quid ſi verbis predictis non obſtantibus tales vel conſimiles indulgentias idemmet Papa vel ſucceſſor de novo concederet? reſpondit, talem conceſſionem valere; reddens pro ratione, quia non potuit ſibi legem imponere, a qua ſibi non liceret recedere. *prealleg. l. ſi quis & l. cum duobus in* §. *reſpondit ff. pro ſocio.* & quia primam conſtitutionem poteſt princeps tollere per ſecundam, licet de illa mentionem non faciat ut *in c. X. de conſtit. li. VI.* reſpectu autem ſucceſſoris allegat, quia non potuit ſuo ſucceſſori legem imponere, quia par in parem non habet imperium *in c. Innotuit de elect. & in l. ille a quo* §. *tempeſtivum ff. ad Trebel.* Idem ergo & fortius dicendum eſt in ſacro Concilio Generali totam eccleſiam repreſentante, cui omnis lex humana in fidei materia, *i*) extirpatione ſchiſmatis & morum reformatione & ad illa pertinentibus juſtiſſime eſt ſubjecta, ut plenius dicetur in ſecundo dubio, ut per illa generalia verba ex ſe ipſo prolata

i) materiæ.

lata in illa cedula non potuerit sibi necessitatem & legem imponere a qua sibi non liceret recedere, presertim equitate suggerente, sicut in casu nostro supervenit. nam ut dictum est, maxime in narratione casus: Illi cives Avinionenses solum pro eorum cautela petebant ut loca nominata & quedam alia parva decretarentur & exsolverant per prius VI millia Ducatorum & Capitaneum contentaverunt de XXX millibus & VIII^c Ducatis & de residua pecunia fecerant cautos oratores Concilij in eventum illius decretationis. nonne iniquum fuisset pro tam levi dilatione ex justa causa facta ad aliam procedere electionem, presertim cum oratores sacri Concilij eis prius ante confectionem illius cedule promisissent pro eorum cautela, quod illa decretata postulata procederent. nam ut alibi dicit glossa juncto tex. iniquum est non rumpere regulam ubi equitas suggerit ut *in auct. ut matres debit. aut credi.* quin imo si bene conjecturetur intentio sacri Concilij in confectione illius cedule, non fuit alia nisi ut liberaret se ab illa nominatione locorum casu quo Avinionenses irent per subterfugia in exbursatione pecuniarum, sed allegantes justam causam non dicuntur subterfugere aut differre ut est *tex. juncta gloss. in c. quamvis. de elect. li. VI. vo. distulit.* & hoc quoad *k*) Principem.

Idem ut predixi in privato dicendum est, ut non possit sibi legem imponere a qua non liceat recedere & aliud penitus agere ut probatur in dicta *l. si quis, in principio ff. de leg. III.* ubi hec regula

 clarif-

k) quoad principium.

clarissime per juris consultum ponitur & est fundata super ratione naturali, quia nihil tam naturale ut unum quodque solvatur eo vinculo, quo ligatum est, ut in *dicta l. nihil & in dicta l. omnis res &c. de R. J. ad idem tex. in l. si cum Connelio ff. de solu.* ubi patet, quod si tibi mandavi, vel tecum quod plus est, pactum feci, ut rem meam in certum eventum traderes Sempronio, possum, antequam tradas, penitere & mandare ut mihi & non illi tradas, quin imo nec tu debes illi tradere si ex aliquibus conjecturis potuisti deprehendere voluntatem meam esse visibiliter *l*) mutatam. & idem videtur etiam si cum priori voluntate concurrat juramentum ut *nō. sentit. Inno. in c. dilecto. de preben.* ubi dicit, quod si quis juravit non vendere libros, seu alium contractum facere, si tamen postea contra juramentum contrahit, tenet contractus, licet ipse sit perjurus, quia non potuit etiam juramento se ipsum obligare, quo minus teneat actus in contrarium factus. idem dixit *Jo. An.* eadem ratione in *regula quod semel de R. J. li. VI.* in questione, in eo qui juravit non mutare testamentum a se conditum dicit enim, quod si mutaverit, tenet secundum testamentum, licet ipse sit perjurus, quin imo in hoc casu amplius dixit *Bar. in l. stipulatio hoc modo concepta ff. de Ver. Ob.* & in *dicta l. si quis. in prin. ff. de Leg. III.* quod talis contraveniendo non est perjurus & nihilominus tenet secundum testamentum, quia secundum *Cyn.* tale juramentum fuit contra bonos

mores,

l) verosimiliter.

mores, per quod voluit ſibi reſtringere *m*) validitatem ſupremi judicij & ſaltem idem quoad actus validitatem tenere videtur, *Gloſſ. in c. ultimo voluntas XIIII. q. II.* movetur illa Generali ratione, quia nemo poteſt ſibi legem imponere ut non liceat ſibi recedere a priori voluntate ut in dicta *l. ſi quis in pr.* & quia libertatem ſupremi judicij nemo poteſt ſibi conſtringere ut in *dicta l. cum duobus in §. idem reſpondit ff. pro ſocio.* & hec de prima ratione multifarie corroborata.

Secunda ratio contra dictum parvum decretum eſt, quia cum Concilium non potuit ſibi ipſi neceſſitatis legem imponere, ut ſupra in precedenti ratione plene ſatis probatum exſtitit, illud verbum: tenetur, in dicta cedula poſitum non debet importare neceſſitatem ſed honeſtatem. nam ubicunque verbum ex proprio ſignificato neceſſitativum apponitur in materia neceſſitatem non importante aut importare non valente, tunc verbum illud non neceſſitatem ſed honeſtatem importat. ad hoc *glo. no. de Verbo: debet. in Cle. attendentes. de ſta. regu. & per Bar. in l. creditores C. de pig. & eſt tex. melior quam alibi in certa glo. ſi. in c. 1. de deſpon. impu. ubi tex. ultimum verbum: debet*, quod eſt neceſſitativum regulariter. ut no. in juribus proxime allegatis, addit Verbum omnino, & nihilo minus, ſi importaret neceſſitatem, ſequeretur inconveniens ſeu abſurditas vel diſpoſitio contra legem; exponitur ibi illud verbum: *debet*, in debito honeſta-

 tis.

m) voluntatem & libertatem.

tis. ad idem *tex. juncta gloss. XI. q. III. in rogo*, ubi exponitur, rogo, id est precipio propter materiam subjectam que est necessitativa. ita e contra ad idem *tex. juncta gloss. in c. humanum genus* I. *di.* ita punctualiter & fortius dicendum est in casu nostro, si volumus quod illud verbum, teneatur, aliquid operetur. importare enim non potest necessitatem rationibus in precedenti casu conscriptis. Item sine veritatis prejudicio presupposito quod importaret hoc casu necessitatem, attamen non sequitur, quod minor pars Concilij possit adimplere invita majori parte, quod toti Concilio incumbebat, quia ut supra dictum fuit, nunquam potestas majoris partis devolvitur ad minorem, nisi in casibus in jure expressis. ut *nō. in dicto c. bone ij. de elec.*

Tertia ratio principalis est, quia illa cedula fuit contra omnem honestatem & libertatem sacri Concilij extorta, quasi ad importunitatem quorundam singularium, qui Avinionensibus amplius non exspectatis ad alterius loci nominationem procedere *n)* volebant, cum enim statuta Concilij Spiritus sancti instinctu agi presumantur ut in *c. si ille. & c. si quis diaconus. Li di. & c. violatores XXV. q. III. fa. c. quo jure. VIII. di. & c. nemo XVI. q. III.* & ubi spiritus Dei, ibi debet esse summa libertas. ut *in c. due* sunt inquit leges *XVIIII. q. ij.* quomodo potuit obligari Concilium presertim in factis pertinentibus ad fidem, ut teneatur, quid certum in futurum facere, cum nulla lex humana legi spiritus prejudicare potest.

dicto

n) valebant.

dicto *c. due sunt.* nam spiritus ubi vult & quando vult, spirat, & ei resistere consulte nemo potest. si enim non valet pactum; per quod tollitur libertas testandi seu supremi judicij, cum sit contra bonos mores. dicta *l. stipulatio hoc modo concepta ff. de Verb. Ob.* & dicta *l. cum duobus §. idem respondit ff. pro. socio.* etiamsi juramento firmatum fuerit, ut supra dictum extitit. quanto fortius non debet valere, quod fit contra libertatem Concilij imo Spiritus sancti. ad hoc *tex. valde. nō. in dicto c. due sunt.* ubi inter cetera ad propositum bellissime dicitur, quod qui a lege privata ducitur, nulla ratione exigit ut a lege publica ducatur sive constringatur, dignior est enim lex privata quam publica. Spiritus quidem Dei lex est & que spiritu Dei aguntur lege Dei ducuntur & subjicit ibi tex. hec verba, & quis est qui Spiritui sancto possit digne resistere, quisquis ergo hoc spiritu ducitur etiam Episcopo suo contradicente eat liber nostra auctoritate. justo enim lex non imponitur, sed ubi spiritus Dei, ibi est libertas, & si spiritu Dei ducimini non estis sub lege. o) hec ille tex. satis ac satis nō. dignus ad propositum, que omnino necessitatem illius cedule per adversarios allegatam confundit. ad quod facit id quod de *Balaam* legitur *Num. XXIIII. & XVIII.* nam licet jussu Regis & cum suo proposito iret ad maledicendum populo Dei, non maledixit sed potius benedixit; inquiens a Rege interrogatus, quare hoc fecisset, quod non

 potuit

o) omiss. ab illis verbis: *hec ille tex.* usque: *ad quod facit &c.*

potuit aliud facere, quam quod tunc Dominus inſpiravit, ſubjiciens, quod ſi Rex daret domum etiam auro & argento plenam, non poſſem aliud facere quam quod Deus inſpirat & jubet. & facit quod habetur *ij. q. VII.* §. cum *Balaam.*

Quarta ratio, quia regulariter in obligatione ex partium conventione quis ad factum ipſum preciſe compelli non poteſt, ſed ſuccedit obligatio ad intereſſe. ſecundum *Opin. & nõ.* & legitur plene maxime per *Bar. in l. ſtipulationes non. ff. de Verb. Ob. & in l. ſi quis ab alio ff. de re judi.* cum ergo in caſu noſtro vigore illius cedule etiamſi Concilium cum aliquo contraxiſſet, non poterat preciſe compelli ipſum Concilium ad electionem alterius loci, quoniam ad obligationem facti ſuccedebat duntaxat obligatio ad intereſſe, ſi quod erat, ergo non poterat minor pars Concilij cauſari ad ſe eſſe devolutam poteſtatem eligendi ex majoris partis neglectu, cum Concilium ad hoc preciſe non tenetur & fortius hoc dicendum in caſu noſtro, in quo Concilium cum nemine contraxit, ſed per ſe ipſum illud ſtatuit & permaxime hoc dicendum in materia noſtra. indignum eſt enim dicere, quod Concilium Generale univerſalem Eccleſiam repreſentans preciſe cogi poſſit ad faciendum hoc vel illud, cum in ſuis ſtatutis ducatur ſpiritu Dei & que ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege, ſpiritus enim Dei alligari non poteſt nec impediri, propoſitum divinitus inſpiratum. ut *c. licet de regu. dicto c. due ſunt XIX. q. ij.*

Quinta

Quinta ratio est, quia cum in illa cedula diceretur, quod lapso illo termino unius mensis ad exbursandam pecuniam per Avinionenses prefixo possit & teneretur Concilium alium locum eligere &c. debebat illud verificari in toto Concilio vel in duabus partibus in quibus universitatis virtus consistit. *juxta nō. per Inno. in c. III. de no. op. nunt. &* per *Bar. in l. nulli & l. plane ff. quod cujusque.* cum enim illa verba continerent non quid facti sed juris scilicet de alio loco per Concilium eligendo, non poterat unus vel duo seu plures minorem partem Concilij facientes majori parte contra dicente illud adimplere ut *nō.* ponitur *per Inno. in c. eam te de rescrip.* ubi dicit, quodsi mandantur capitulo ea que sunt juris puta ut aliquem eligat in Canonicum vel prebendam alicui conferat, non potest unus vel duo contradicente capitulo mandatum adimplere, *p)* quia videtur mandatum Capitulo ut Capitulo & non ut singulis, secus si mandantur Capitulo ea que sunt facti, ut puta, ut aliquem provisum per Papam admittant in Canonicum, vel aliquem in possessionem recipiant, tunc enim posset quilibet adimplere etiam contradicente Capitulo vel majori parti, quia videtur mandatum Capitulo ut singulis, & idem videtur sentire ipsemet *Inno. in c. dilecto ij. de preben.* ita in proposito nostro punctualiter & fortius est dicendum, cum enim fuerit dictum quod Avinionensibus in termino prefixo non satisfacientibus Concilium posset & tene-

N 5 retur

p) omiss. quia videtur mandatum capitulo ut capitulo &c.

retur alium locum eligere, reservatio fuit facta concilio ut concilio, non ergo contradicente Concilio seu majori parte licuit minori parti alium locum eligere, cum Concilium per duas partes representatum censuit persistendum in priori electione supplendo omnem defectum &c. & de novo decretando solempniter illa loca prius nominata. nec obstat, si dicatur, quod ex quo major pars eligere noluit juxta dispositionem cedule licuit minori parti etiam uni de novo eligere quia ex neglectu majoris partis totum jus in hac parte devolvebatur ad minorem partem. Certe hec ratio nihil valet, quia ut supra dixi, non est iste casus in quo privatur major pars, cum non fiat devolutio nisi in casibus in jure expressis. Item & fortius Concilium universale tanquem universalem Ecclesiam representans & habens supremam potestatem non subjicitur alicui legi humane. ar. in l. princeps. ff. de legibus & presertim ubi per legem humanam apponitur aliqua pena, cum Concilium non possit neque debeat verbis generalibus legis humani comprehendi. factum quod de Cardinalibus *nō. per Doct. in c. unico. de scisma. li. VI.* ubi dicunt Doctores, quod sub verbis generalibus penam continentibus non comprehenduntur Cardinales, quia non est verisimile quod Papa voluit Cardinales comprehendere qui sunt pars sui Corporis, nisi specialiter hoc expresserit & fortius hoc dicendum est, quoad Concilium Generale, precipue cum in pertinentibus ad fidem & reformationem Ecclesie &c. Concilium sit supra Papam; nullibi autem in jure

divino

divino vel humano cautum expresse reperitur, quod Concilium aut major pars ipsum representans privetur potestate disponendi & quod potestas devolvatur ad alios vel minorem partem Concilij & presertim hoc dicendum, quia facta Conciliaria spiritu Dei diriguntur, cum Deus ipse dicatur in medio consistere juxta illud Isaie: exulta & lauda habitatio Syon, quia magnus in medio tui sanctus Israel. & ubi est major pars, ibi presumitur esse ecclesia. *LVI. di. Apostolica juncta gloss.* hinc est quod in Concilio Niceno in quo Arius fuit condempnatus de heresi, licet cum eo senserint q) XVII. episcopi in Concilio existentes, attamen plurimorum sententia ex Spiritu sancto judicatus extitit. ad hoc *c. sicut. XV. di.* & ipsemet Christus Gubernator navis Ecclesie dixit: & ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. & alibi dixit: Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem. & ut sepius dictum fuit, negatur majorem partem in aliquo fuisse neglectu, cum Avinionenses habuerint justam causam petendi istam decretationem, precipue cum per Oratores Concilij illa eis fuisset permissa ante exbursationem pecunie pro eorum quadam cautione, ut dixi in narratione casus.

Sexta ratio, quod alius locus per minorem partem eligi non poterat, est, quia cum illa loci electio sacro Concilio competeret, non proprio jure sed vi compactatorum cum Grecis illa facul-

tas

q) VII.

tas locum unum de certis tunc nominatis eligendi, intelligi debuit de prima electione & non de ulteriori *Ar. in l. boves in §. hoc sermone ff. de V. S. & in l. hec conditio ff. de condi & de verb. prob.* quod si aliquid relinquitur Titio si nuptias contraxerit, intelligitur de primis nuptijs. & optime *fa. quod notat Bar. in l. 1. ff. ad l. jul.* si alicui datur facultas libere eundi ad certum locum & redeundi, an intelligatur de primo accessu tantum, an quod possit ire & redire quandocunque voluerit, & determinat, quodsi indeterminate est facta concessio & ex alijs conjecturis non appareat de alia voluntate, intelligi debet de primo accessu. ad idem *fac. quod notat Jo. An. in c. pro illorum de preb. & in c. si cui. eo. tit. li. VI. de vi* & tempore durature illius, ponas talem in possessionem & defendas inductum ut exspiret potestas, si missus in possessionem aliquamdiu possidet, licet postea turbetur. ad idem quod *le. & nõ. in c. non potest. de preben. li. VI. & in l. eum qui calendis qui ff. de Verb. Obl. & quod nõ. Bar. in l. absenti ff. de dona. & c. si tibi absenti. de preben. li. VI.* quod est notandum.

Septima ratio, quod ex quo sacrum Concilium Basiliense elegit *Basileam Avinionem & Sabaudiam*, cum conditione supra scripta pro futuro oecumenico Concilio & electio fuit isti civitati nuntiata *r*) & per ipsam acceptata & ad exbursationem aliquarum pecuniarum per ipsam processum, ac ad multa non sine magno interesse se paraverit, non potuit saltem legitime Concilium Basiliense etiam to-

tam

r) nec per ipsam.

tam electionem illam revocare seu ipsos Avinionenses infra Augustum terminum sine aliqua cautione ad solutionem tantarum pecuniarum constringere, presertim, ut predixi, Oratores Concilij per prius eis promiserant quod decretatio fieret ante exbursationem totalis pecunie numerande; fuit enim eis ex tali electione presertim cum res non esset integra, jus quesitum in intimatione eis facta, ut in simili *nō. Bar. in preall. l. absenti ff. de donat.* ubi dicit, quodsi aliqua communitas elegit aliquem in Capitaneum vel potestatem, non potest post intimatam & acceptatam electionem penitere. & fac. quod *le. & nō. in c. 1. de Concess. preben. li. VI. & in l. si pecuniam ff. de condict. ob causam.*

Octava ratio est, quomodo in compactatis cum Grecis actum exstitit ut Galee cum gentibus & pecunijs certo tempore ad Constantinopolim mitterentur, quod in tempore compactato factum non extitit, unde & si fortassis potuissent Greci dicere, Concilium etiam post tempus remansisse obligatum, quia ad duo videbatur tacite obligatum, admittendum scilicet & ad certum tempus mittendum. *ar. in c. cum dilecti. de do. & contum. & in l. celsus ff. de Arbi.* attamen ex quo Greci ipsi hac allegatione non fuerunt usi, quin imo voluerunt habere compactata pro dissolutis, scribentes ex Constantinopoli ad sacrum Concilium, quodsi Concilium adimplesset omnia promissa in tempore, quod & ipsi adimplerent ea, que promiserunt, sed ex quo

in

in tempore compactato non fuerunt promissa adimpleta, non tebebantur venire, clare patet quod ipsi non poterant amplius super compactatis se fundare, cum enim obligans se ad certum quid certo tempore faciendum vult recedere ab obligatione, adversario in tempore non adimplente, legitime potest & dissoluta remanet utrisque obligatio ut in *c. sicut. de spon. tex.* & *gloss. in c. pervenit. ij. de jur. jur. & fac. regula: frustra, de R. J. li. VI. & l. cum proponas. C. de pac. ff. pro socio. l. si convenit.* ex quo ergo semel illa obligatio fuit extincta; non potuit sine novo utriusque partis consensu reviviscere ut in *c. quer. de cons. di. IIII. & XXIIII. q. IIII. si illic & in l. quomodo cum res §. arcam ff. de solu.* & per hoc cessat objectio, si qua forte fieret de alia littera per Imperatorem eorundem Grecorum ad Basiliense Concilium conscripta ex civitate Venetiarum, in qua inter cetera dicebatur, quod ad civitatem Ferrariensem properabant pro executione decreti in sacro Basiliensi Concilio promulgati &c. & sic vigore illius parvi & pravi decreti; hec enim littera ad ambitionem & suggestionem adversariorum conscripta nullius est firmitatis, quia cum per priorem litteram in Constantinopoli scriptam recesserint a compactatis prætendentes causam quia promissa non fuerunt tempore debito adimpleta, non potuerunt postmodum sine novo utriusque partis consensu priori obligationi inniti jam ex eorum facto extincte. ex his infertur quod presupposito & nullo modo concesso, quod illud parvum decretum valuisset pro tunc, attamen ipsi

Greci

Greci dum adhuc essent in Constantinopoli ab illis compactatis recesserunt, non debuit sacrum Concilium Basiliense ad alium locum se transferre, quia inter cetera in compactatis continebatur, quod Concilium Basiliense medio tempore debebat Basilee remanere, donec Greci applicuissent ad ultimum portum Italie, sed antequam applicuissent dissoluta erat omnis obligatio, ut patet ex supra dictis. ergo vigore decreti parvi, quod erat fundatum super compactatis non potuit nec debuit Concilium Basiliense inde transferri, nil ergo obstat, quo minus Basileæ ad huc consistat Concilium consideratione illius parvi decreti & hec est verissima consideratio.

Nona ratio, quia in Ferraria erectum fuit illud Conciliabulum non vigore illius decreti, quia longe antequam illius dispositio verificari potuisset, olim *Eugenius* Concilium Basiliense quantum in se fuit, dissolvit & conciliabulum in Ferraria instituit & ex ipsius auctoritate seu ex illa institutione illud Conciliabulum initium habuit, nam ipse quondam Eugenius longe ante Grecorum adventum per sacrum Concilium arctatus ut per se vel alium coram ipsa sancta synodo compareret, ostensurus innocentiam suam, seu excusaturus ea que notorie ei impingebantur, pro obedientia, quam ipse prestare debuisset, litteras bullatas publicavit, quibus dissolvebat sacrum Basiliense Concilium & ad Ferrariam illud transferebat; ex tunc si sacrum Concilium non desisteret a processu contra

tra

tra eum inchoato vel inchoando contra aliquem ex suis, tunc in illo sacro Concilio presidentibus, sacro autem Concilio non desistente, prout nec desistere debuit, ipse idem Eugenius declaravit, Concilium Basiliense fore dissolutum & Ferrariam translatum, prout latius in suis litteris continetur. unde illud conciliabulum Ferrarie inceptum fuit in mense Januarij & Greci applicarunt ad Venetiarum portum donec in mense Februarij, ut supra dixi in casus narratione, & sic vigore illius pretense dissolutionis & translationis Conciliabulum illud fuit institutum ante Grecorum adventum, unde etiam si voluisset dictus quondam Eugenius illo parvo decreto inniti, non potuisset, quia vim suam eo tempore habere non poterat, quando secundum Compactata cum Grecis debebat ipsum sacrum Concilium remanere Basilee, donec Greci ad portum Italie applicuissent & ex tunc infra mensem debebant Patres sacri Concilij ad alium locum se transferre ut patet in compactatis. facit ad hoc quod *le. & nō. in simili in c. ex parte Hastenensis. de Concess. præb. & in l. si is ad quem & in l. qui in alienam ff. de acquir. hered.* Vigore autem dissolutionis pretense & electionis facte per quondam *Eugenium* dictum Concilium *s*) vires habere non potuit, ut late patebit in secundo membro istius primi dubij in quo ipsam pretensam dissolutionem prosequimur. non obstat predictis si dicatur, quod predictum Ferrariense Concilium *t*) potuit duplici

fulciri

s) Conciliabulum.
t) Conciliabulum.

fulciri auctoritate & ipsius quondam *Eugenij* ante tempus & illius parvi decreti auctoritate suo tempore, scilicet post Grecorum adventum, unde esto, quod subsistentiam non habuisset virtute erectionis per ipsum quondam *Eugenium* facte, habere tamen debuit vigore illius parvi decreti post Grecorum Adventum, quia utile per inutile non vitiatur. ut in *reg. utile. de R. J. li. VI. & in l. 1. ff. de aq. co. & esti. & si non* valet quod ago ut ago, valeat ut valere potest, *de despon. inpub. c. un. li. VI.* & bene videtur facere *l. 1. §. 1. ff. quod fal. tu.* ubi habetur, quod licet verus tutor prestat auctoritate cum falso tutore, tenet nihilominus quod factum est, auctoritate & vigore veri tutoris. sed certe istis non obstantibus contrarium est verum duplici ratione: prima quia ad illud Conciliabulum omnes fere venerunt vigore prioris dissolutionis & erectionis, & sic debet considerari causa motiva actus. ut in dicto *c. ex parte Astenensis & in l. si is ad quem & l. qui alien. preall.* Est & alia ratio fortior, cum enim durante Concilio Basiliensi non posset aliud Concilium erigi quacunque auctoritate, quin imo erigentes aliud illo durante, incidunt in penas scismaticorum tanquam erigentes altare contra altare & scisma in Dei Ecclesia facientes quia sicut Ecclesia universalis est unica ut in *c. loquitur XXIIII. q. 1. & c. scisma ead. cāa & VII. q. factus.* ita unicum & non plura possunt esse Concilia Generalia ut representans respondeat suo representato & signum suo signato. *ar. eorum que notantur in Cle. ad nostrum. de*

beret. nec Concilium Basiliense poterat dissolvi sine suo expresso consensu. & predicta habentur in *Decret. VIII. & XI. sessionis.* Dictus ergo quondam Eugenius erigendo Conciliabulum Ferrariense durante sacro Basiliensi Concilio incidit in penas scismaticorum, ut in predicto Decreto *VIII. sessionis. & fa. c. cum nos. XXIIII. q. v. &c.* Alienus est, prophanus est, hostis est, habere non potest Deum Patrem, qui universalis Ecclesie non tenet unitatem. & post pauca subdit: quomodo autem potest cum aliquo convenire, qui cum Corpore Ecclesie & cum universitate non convenit, quomodo autem possunt duo vel tres in nomine Christi colligi, quos constat a Christo & ejus Evangelio separari. hec ille. que sunt verba valde notanda ad propositum. Cum ergo ipse quondam *Eugenius* ratione predicta in scisma & penas scismaticorum incidit, quomodo potuerunt illi pauci Auctores illius parvi decreti de *Basilea* vel aliunde venientes se conjungere cum dicto quondam *Eugenio* & una cum eo Concilium Generale celebrare? presertim cum ipsi innitentur dissolutioni & erectioni pretense per eum factis, unde & ipsi facti sunt scismatici & excommunicati sicut & ille cui communicarunt, & in illius penas inciderunt. ut est *tex. in c. omnis XXIIII. q.* 1. ubi dicit quod heretici & scismatici sunt vitandi, adeo quod nec Ave est eis dicendum, & qui dicit eis Ave, communicat operibus illius mali. ad *idem c advocavit & c. quia & c. scisma. e. ca. & q. & optime fa. tex. in c. denique* 1. *q. un. ubi dicitur* quod expresse Deus

prohi-

prohibuit, ne ad ſcismaticos aliquis declinet per illa verba: in viam gentium ne abieritis & in civitatem Samaritanorum ne intraveritis, & hoc ideo quia in Samaria erant certe turbe ſcismatice, unde ſcismatici equiparantur ibi gentibus, unde dicit ibi tex. & latius de hac materia ibi videndum. Communicando ergo illi, qui incidit in crimen jam dampnatum, in eandem dampnationem inciderat. ut *in c. Acbatius XXIIII. q.* 1. *& in c. Anaſtaſius XIX. di.* unde poteſt *u*) attemptari, quod ipſe quondam *Eugenius* erigendo novum altare contra altare & ſeparando ſe a communione *x*) Eccleſie & negando auctoritatem Eccleſie ſupra eum, preſertim ut negare aperte videbatur & hodie apertius negat deſtinando quasdam ſuas litteras bullatas per multa loca ſtatim deſiit eſſe Papa, quia cum omnis ſcismaticus ſit extra Eccleſiam 1. *dicto c. ſcisma & c. omnis cum multis alijs c. ejusdem q.* non potuit eſſe extra eccleſiam & caput miniſteriale Eccleſie, hoc enim contradictionem implicat. hinc eſt, quod a prelato ſcismatico poſſunt ſubditi propria auctoritate recedere, maxime quando contingit ex facto jam per Eccleſiam dampnato, ſicut contigit in facto ipſius *Eugenij*. nam Concilium magnum Conſtantienſe declaravit preeminentiam & majoritatem Concilij ſupra Papam & Concilium Baſilienſe ante ipſius Eugenij quondam adheſionem ſolemniter factam, illam Conſtantienſis Concilij declarationem approbavit & de novo recenſuit ac etiam per ſuum

Q 2 ſolempne

u) acceptare.

x) communicatione.

ſolempne decretum ſtatuit & decrevit, quod durante illo Concilio non poſſit aliud erigi per quemcunque etiam Papali auctoritate fulgentem y) & contrarium agentes declaravit ipſo facto incidere in penas ſcismaticorum, que quidem Decreta ipſe quondam *Eugenius* approbavit, dum in ſua adheſione confeſſus eſt, Concilium Baſilienſe fuiſſe a ſui principio legitime inſtitutum & legitime continuatum, & his non obſtantibus dictus quondam *Eugenius* omnia iſta decreta violavit, unde non potuerunt auctores parvi Decreti ſe cum illo conjungere tractando illum ut caput & preſidentem illius conventiculi & miscendo ſe cum notorie ſcismaticis & excommunicatis, hoc precipue attento, quod ipſe quondam *Eugenius* jam per ſacrum Concilium ſuſpenſus ab adminiſtratione Papatus exiſteret, antequam Greci ad ultimum portum Italie applicarent, unde clare colligitur, quod etiamſi illud parvum Decretum valuiſſet, nihilominus ex quo ille jam erat ſolempniter ſuſpenſus per totum Concilium & inciderat in penam ſcismaticorum, volentes declinare ad eum & ad illud conventiculum ſcismaticorum, perdiderunt omne jus & inciderunt in penas illorum, ut ſupra dixi. Pena autem ſcismaticorum ultra excommunicationem eſt depoſitio, ſine ſpe reſtitutionis ut *in c. non Vos. XXIII. q. V. juncto c. licet & c. quia diligent de elec.* Ideo notabiliter dixit *gloſſa in c. cum non deceat de preſcrip.* quod a prelato heretico vel ſcismatico poſſunt ſubditi propria auctoritate recedere, quod etiam

y) fulgente.

etiam procedit in Papa ut de eo probatur *in c. Anastasius XIX di. hinc gloss. nõ. in c. in nomine Domini XXIIII. di in ℣. audiam*, quod scismatico omnis audientia denegatur. *alle. prealle. c. cum nos.* & hec de nona ratione.

Decima ratio contra illud parvum Decretum militans est consideratio falsitatis. Confecerunt enim licet numero paucissimi illius verba simpliciter & absolute sub nomine sancte synodi, nulla de decreto contrario majoris partis imo duarum partium & ultra mentione facta z) & innitentes jure devoluto ad eos seu apud ipsos duntaxat residente ob aliorum pretensam culpam, sed sic processerunt & scripserunt, ac si totum Concilium unaniter illud edidisset, quod sine falsitatis vitio fieri minime potuit. *ar. c. quanto. de his que fi. a. prela.* Predictorum ratio est, quia esto sine veritatis prejudicio, quod aliquam causam rationabilem contra majoris partis conclusionem pretendere potuissent, attamen ante illius pretense cause a) discussionem & declarationem non debet minor pars simpliciter & absolute se nominare collegium, Concilium vel Ecclesiam, quia durante contentione inter majorem partem & minorem ibi dicitur consistere Ecclesiam, Concilium, Capitulum sive collegium, ubi major pars & illa major pars nomine Ecclesie seu Concilij procuratorem constituit & bona universitatis ministrantur, ut ex *tex. nõ. juncta gloss. in c. cum inter Canonicos. de elec.* ad idem *tex. cum*

 gloss.

z) nec innitentes.
a) causæ dissensionem.

gloss. in c. Apostolica LVI. di. hinc gloss. notabilis *in c. 1. de his que fi. a prela.* dicit, quod presumitur pro majori parte universitatis donec causa allegata per minorem partem fuerit coram superiore verificata & probata, non enim ut ibi dicit glossa & Inno. & alij sufficit minori parti aliquid rationabile contra majoris partis dispositionem allegare, nisi illud coram superiore vel arbitris communiter electis probetur. Interea ergo non licuit minori parti sine falsitatis vitio illud eorum pretensum decretum sub nomine sancte synodi simpliciter assumere, cum nondum foret declaratum, sanctam synodum sive ejus potestatem pro tunc apud eos resedisse & juris presumptio est, quod resideat apud majorem, ergo vitium falsitatis commiserunt usurpantes sibi ante declarationem juris eorum pretensi nomen synodi, ut in dicto c. quanto. nam & cum illa nominatione multos deceperunt, qui ex illis verbis arbitrati sunt totam synodum Basiliensem sine aliqua discordia illud decretum edidisse. preterea ubicunque ex aliquo jure speciali pretendunt aliquod jus certum seu certam jurisdictionem vel preeminentiam, debent illud jus speciale in eorum dispositione exprimere ut *nō. in l. si quis ex aliena de judi. & in l. ij. si quis in jus vocatus. & in c. ceterum l. de judi. & in c. ij. de dila. per Inno. & alios Doct.* Isti ergo pretendentes jus majoris partis ad eos fuisse devolutum quo ad illum *b)* actum debebant hanc causam exprimere & non simpliciter se sanctam synodum appellare, quia etiam

b) quoad illum pactum.

etiam si verum fuisset, quod jus apud eos remansisset, habuisset locum duntaxat in illo actu & pro illa vice. ut *le. & nõ. in c. cum Wintonensis. de elec.* non ergo debebant se simpliciter appellare sanctam synodum Basileensem &c. sed dicere quod ipsi faciebant quoad illum actum ob culpam vel negligentiam majoris partis sanctam synodum, si verum fuisset juxta illud quod *le. & nõ. in dicto c. cum Wintonensis & c. dudum ij. & c. congregato de elect. cum si.* inciderunt ergo in vitium falsitatis contrarium agendo & usurpando sibi nomen simpliciter sančte synodi, quomodo ergo falsitatis vitio & arte deceptoria irretiti poterant concilium generale indicere & congregare? ut enim ait Cyprianus in *c. alienus XXIIII. q.* 1. quomodo possunt duo vel tres in nomine Christi colligi, quos constat a Christo & ejus Evangelio separari? que sunt verba notanda. Item abusi sunt potestate sua etiam si illam habuissent & per consequens illam perdiderunt. ut in *c. gratum. de post. prel. & in reg. privilegium XI. q. iij. & fa. quod in si. le. & nõ. in dicto c. cum Wintonensis.*

Undecima ratio non minorem injustitiam contra illud parvum decretum ostendit ex eo, quod duobus decretis a diversis editis, parvo scilicet a paucissimis, reliquo vero fere a toto Concilio & Patribus sacri Concilij super illorum vel alterius eorum bullatione contendentibus, data fuit omnium communi consensu potestas tribus videlicet: Reverendissimo Domino Cardinali *sancti Petri*, qui fuerat

rat unus de Consentientibus dicto parvo decreto & Domino Burgensi uni ex Oratoribus serenissimi Domini Regis Castelle & mihi *Panormitano* Archiepiscopo bullandi istas litteras & destinandi, de quibus nobis videtur, & illius potestatis seu cedule super ea confecte tenor talis est: Eligantur per sacras deputationes Dominus Cardinalis sancti Petri, Dominus Panormitanus & Dominus Burgensis, quibus detur plena potestas super bullatione litterarum de quibus agitur & earum destinatione, ita quod per hoc, quod ipsi facient, nullum prejudicium alicui generetur & per hoc sit pax & tranquillitas inter Patres de Concilio; cessentque omnes agitationes & molestationes, & cum bona pace & tranquillitate procedatur ad alia negotia in hoc sacro Concilio pertractanda & ista ultima clausula sit ita firma, quod non possit violari vel immutari & duret eorum potestas per totam diem crastinam, que erit XV. Martij. Iste est tenor illius cedule in quam post varios tractatus juxta sui formam consenserunt omnes sacre deputationes, conclusione in Generali congregatione secuta. nos autem vigore illius commissionis attenta justitia sacri Concilij & voluntate Patrum de sacro Concilio bullavimus solum decretum sacri Concilij una cum quibusdam alijs litteris missivis & nonnullis alijs, de quibus supra in narratione casus fit mentio. Illud aut m parvum Decretum pretensum nullo modo bullare voluimus, licet de hoc plurimum ab Adverfarijs requisiti essemus & juxta eandem potestatem nobis traditam missimus litteras & illud decre-

tum

tum ad Oratores Concilij, qui erant in *Avinione*, ut cum eis irent ad conducendum Grecos, traditis Avinionensibus litteris, que eis dirigebantur, ut plenius dictum fuit supra in narratione casus. Ex his clarissime arguitur illius parvi decreti iniquitas; si enim vires habuisset, non est presumendum, quod tantus vir, prout erat Dominus Cardinalis *sancti Petri* decretum contrarium bullasset, nec Dominus Episcopus Burgensis, qui in illis disceptationibus fuerat indifferens. Item cum totum postea Concilium illam bullationem sciens approbaverit, nullo modo contradicendo, presumendum est illam bullationem fuisse justissimam. nam si illa bullatio fuisset injusta nullo modo potuisset presertim in tanta re, Spiritu sancto resistente, illam iniquitatem facere, exemplo Balaam, qui pro maledictione, quam gerebat in animo, spiritu Dei correctus dedit in ipso actu benedictionem. *Num. XVIII. & ij. q. VI.* C. Item Balaam. hinc est, quod nunquam potuit obtineri postmodum. quod illud parvum decretum & iniquum pravitate & iniquitate furti & falsitatis repertum, fuit postea bullatum evulsis seris de nocte furtive illius capse, in qua bulla sacri Concilij recondebatur, ut veritas postea comperta clarissime edocuit, ut seriosius supra dictum fuit in narratione casus. si enim data fuerat prius potestas per omnes patres Concilij, discrepante nemine, super bullatione illarum litterarum & earundem destinatione, que verba ultima sunt multum ponderanda, & illi tres Patres solum bullaverunt illud decretum sacri

Concilij & illud ad Greciam destinarunt pro conductione Grecorum ad Concilium, quo ausu poterunt postmodum nomine sacri Concilij aliud & contrarium decretum bullare & ad Grecos destinare contra eorum primum consensum, an Spiritus sanctus, qui est Concilij director divisus est & contrariarum actionum auctor? profecto non; cum Spiritus sanctus non nisi super congregatos in unum descendit, denotans eum sequi animorum unanimitatem & non diversitatem. ut habetur *in §. si autem. juncto c. alienus XXIIII. q.* 1. & si dicatur per adversarios, quod in illa cedula eorum jus reservabatur per illa verba, quod per eorum factum nullum alicui fieret prejudicium &c. respondetur, quod illa verba debent ad aliud prejudicium referri, non autem ad prejudicium facti imminentis, scilicet quoad validitatem alterutrius decreti, quia illi facto ipso prejudicatum exstitit bullatione facta illius decreti editi a duabus partibus Concilij & ultra, presertim illius decreti destinatione *c*) facta ad Grecos, si enim totum Concilium consenserat, quod ad illorum Patrum arbitrium possent littere bullari & destinari, quomodo poterant amplius alie contrarie bullari & destinari contrarietate facti repugnante, que nullo modo potest cadere in Concilio ob Spiritus sancti assistentiam, & quia contrarietas in eodem facto omnino improbatur ut *in l. ubi repugnantia ff. de R. J. & in C. cum M. Ferrariens. de constit. cum omnes. de Consti. & c. sollicitudinem in fi. de app.* Item ut supra

c) destinationem factam.

pra dixi post electionem loci per Concilium factam & secuta presertim intimatione & decretatione non licebat sacro Concilio amplius variari *ut in dict. l. hoc sermone. §. boves ff. de re judi. & in c. cum omnes & in l. hec conditio ff. de condi. & demon.* ut supra plenius dixi. Item non est verisimile quod in continenti quis sibi contrarietur. ut *in l. non ad ea ff. de condi. & demons: & in c. Ecclesia. ij. de elect.* illa ergo verba, quod non fiat alicui prejudicium, non debet referri ad factum decreti & facit quia illud verbum alicui non poterat verificari in universitate, que est corpus fictum, sed ad singulares personas. ut *in l. III. §. hec autem verba & quod ibi nō. ff. de nego: gest.* Item si diceremus contrarium, inania fuissent illa verba, que sequuntur in dicta cedula, ubi dicitur, quod illa potestas data fuit ut esset pax & tranquillitas inter Patres de Concilio, cessarentque omnes agitationes & cum bona pace & tranquillitate procederetur ad alia negotia in Concilio tractanda, que verba sunt diligentissime notanda; si enim ut dicunt adversarij, per illa verba generalia reservata fuisset facultas prosequendi materiam alterius decreti, quomodo fuisset pax & tranquillitas in sacro Concilio, presertim cum ex destinatione duorum contrariorum Decretorum ne dicam totum Concilium sed & tota ecclesia latinorum fuisset scandalizata, & ut experientia, pro dolor, docuit, illa destinatio contrarij decreti fuit presentis scismatis potissima & maxima pars. Item ponderantur illa verba in cedula contenta, videlicet, & cum bona pace &

tran-

tranquillitate procedatur ad alia negotia &c. ergo non fuit reservata facultas procedendi & respondendi ad negotium alterius parvi decreti, maxime cum non potuisset fieri illius prosecutio sine magna perturbatione pacis Concilij, cujus contrarium verba cedule innuebant. *ar. c. nonne. de presumpt. & XXII. q.* 1. *cum renuntiatur.* ut ergo verba omnia illius cedule consequantur effectum & precipue ut pax conservaretur & contrarietas non reperiatur in sacro Concilio super eodem facto, intelligantur illa verba generalia, alicui non inferatur prejudicium &c. de alio & non de isto prejudicio, nam verba generalia restringuntur, ut non habent illum intellectum vagum & generalem quem possent habere ex Generalitate verborum, ut evitetur absurditas, ut in *c. ex eo. de privil. & fa. c. cum in cunctis. de elec. juncto c. si compromissarius §. restringitur ej. tit. li. VI. & quod nō. Jo. An. in reg. odia. de R. J. li. VI.*

Duodecima ratio est, quia presupposito & nullo modo concesso, quod ex facto majoris partis potestas Conciliorum ad minorem partem devolvi debuisset, attamen devolutio ipsa non poterat fieri, nisi postquam major pars decretum contrarium prius edidisset, sicut dicimus in electione. non enim fit prius devolutio ad minorem partem, antequam major pars ad electionem de indigno processerit, debet enim prius minor pars exspectare, quod prius major pars eligat & postmodum ipsa jure devoluto potest eligere ut *nō.* dicit *Jo. An.*

quem

quem communiter sequuntur Doctores. *in c. congregato de elec.* non obstante, quod major pars in scrutinio nominaverit indignum, quia ex illa nominatione non inducitur privatio, nisi detur tanta perseveratio, quod ex eodem scrutinio sequatur communis electio ut probatur *in c. perpetue. de elec. li. VI.* ita dicendum in proposito; quod licet major pars in deputationibus voluerit persistere in prima electione & nominatione illorum locorum ac disposuerit illa loca debere decretari, una cum decima &c. & fuerit secuta conclusio in congregatione generali, attamen *d)* in decretatione non potest dici potestatem esse devolutam ad minorem partem, quia lex dicitur edi non in deputationibus sed in congregatione generali, cum illa fiat in secreto, & non est aliud, nisi concordia seu dispositio ut lex fiat, sed dicitur edi, cum solempniter in sessione publica promulgatur, nam tunc verba legis concipiuntur & eduntur. Idem dicit tex. quod leges eduntur, cum promulgantur IIII. di. leges, antea enim non est facta publicatio, hinc enim dicit tex. quod lex non incipit ligare nisi post duos menses post tempus publicationis ut in *auct. ut fac. no. Consti. & nō. gloss. super data VI. li. & idem nō. in c. ij. de Consti. & c. 1. de postu. prel. & in c. quod dicitis XVI. di.* sed isti facientes minorem partem non exspectaverunt, quod major pars prius suum decretum edidisset, sed simul & semel utrumque decretum legebatur, adeo, quod propter strepitum neutrum intelligebatur & quod prius

finem

d) actum ante decretationem.

finem habuit lectura parvi decreti, & post intervallum non modicum finem accepit veri decreti sacri Concilij lectura, ergo illud paruum decretum corruit omnino ex defectu potestatis.

Decima tertia ratio est illa, quia presuppofito sine veritatis prejudicio quod locus fuisset e) devolutioni, attamen cum hoc non fuerit evidens, cum nullibi expresse in jure caveatur, imo potius probatur contrarium, ut patet ex prioribus, non licuit minori parti aliud decretum attemptare, cum tanto Christianitatis discrimine & Ecclesie confusione, antequam primum cassaretur, annullaretur seu cassum & irritum pronuntiaretur. ad hoc allego *nō. gloss. cum tex. in c. auditis. de elec. fac. tex. sed unam. in c. inter dilectos. de excess. prel. & est gloss. fin. & nō. in c. constitutus de appell.* sentit Innc. in *c. cum terra. de elec.* in istis enim juribus communiter nō. quod secunda electio post primam non cassatam est nulla, licet prima a majori parte possit probabilibus rationibus ostendi, quod sit nulla, oportet enim ad validitatem secunde, quod prima sit evidenter nulla, & sic evidenter constet, potestatem ad minorem partem fore devolutam, si ergo hoc est admittendum, ut evitetur confusio unius Ecclesie, ne due electiones contrarie videantur, quanto fortius debuisset hoc observari ut evitetur confusio in universali Ecclesia. & licet gloss. & Doctores loquuntur in electione, eadem tamen prorsus est ratio in alijs actibus universitatis, ne

fiat

e) devolutus.

fiat confusio, si evidenter non constat de devolutione potestatis; Idem ergo jus servandum est ut *in c. translato. de Consti. & in c. cum dilectus. de Confir. uti & in l. cum Pretor. §. dulcissimis ff. de leg. ij.* quod quia factum non exstitit, merito illud parvum decretum a minori parte ita prepropere & scandalose factum debet esse nullum, etiamsi minor pars justam & rationabilem in devolutione potestatis habuisset causam, quod tamen omnino negatur, ut patuit ex precedentibus.

Decima quarta ratio est: quia presupposito, quod sacrum Concilium Basiliense vigore compactatorum cum Grecis seu dicte cedule pretextu ad alium locum eligendum fuisset astrictum, nullibi tamen probatur, quod Concilio non eligente seu aliud faciente potestas ad minorem partem devolvatur, cum, ut supra sepe numero dixerimus, ista devolutio potestatis de majori ad minorem partem non fiat nisi in casibus a jure expressis ut notanter dicunt *gloss. & Doctores in dicto c. bone ij. de elec.* quia pene non debent excedere proprium casum. *de pe. di. 1. pene.* & in regula: *Odia. cum ibi nō. de R. J. li. VI.* maxime, ut predixi, hoc procedit in Concilijs Generalibus, in quibus est tota potestas Ecclesie. *XXIIII. q. 1. quodcunque. juncto c. sicut. XV. di.* & sic subjicitur legi positive, lex autem divina, cui immediate subjicitur, hanc penam non imponit, imo quod fortius est, non reperitur in casum inferioribus imposita.

Quinta decima ratio est, quia etiam presupposito, quod tota synodus concorditer illud parvum decre-

decretum edidisset, attamen ex quo Greci declinaverunt ad quondam Eugenium, jam tunc per ipsum sacrum Concilium suspensum ab omni administratione Papatus non poterat nec debebat Concilium Basiliense se transferre ad *Ferrariam* duplici ratione: Prima, quia jam quondam *Eugenius* propter conventiculum scismaticorum prius per se erectum incurrerat in scisma & penas scismaticorum, ut in dicto *decreto VIII. seff.* & etiam de jure primevo recedendo ab Ecclesia *Basilee* representata & novum altare sibi erigendo, quia alienus est & prophanus hostis, qui universalis non tenet Ecclesie unitatem. *XXIIII. q.* 1. *qui alienus. XXIII. q. VI. non vos* & per consequens non poterant Catholici Patres se conjungere olim *Eugenio* & sibi adherentibus *XXIIII. q. III. cum quibus.* ubi bonus tex. secundo, quia quondam Eugenius suspensus jam erat in adventu Grecorum ab administratione Papatus ut supra dixi, & omnes recurrentes ad eum durante suspensione pro negotijs spectantibus ad exercitium Papatus varias inciderunt penas, ut in decreto edito super ejus suspensione. ipse autem quondam Eugenius contempta ejus suspensione, imo contempta auctoritate sacri Concilij generalis fuit presidens in illo Conciliabulo, ergo Concilium erigi ibi non potuit, & accedentes ad illud in varias inciderunt penas; legitime ergo Concilium remansit Basilee, cum Greci in sacro Concilio se alienaverunt & contempserunt ipsi pariter decretum suspensionis.

Sexta

Sexta decima ratio eſt, quia eſto, quod nullum de illius parvi decreti invaliditate dubium fuiſſet, attamen poſita dubitatione & negotio in diſcuſſionem deducto, preſertim ſuper intellectu illius cedule, cujus judicio magis ſtare debebat, quam ipſius ſacri Concilij ibi congregati, cum in medio Spiritus ſanctus eſſe preſumitur, ut *in c. ſi ille & c. ſi diaconus. l. di. & XXV. q. III. violatores.* nam de ipſo Concilio generali dictum eſt, ſi quis Eccleſiam contempſerit ſeu non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus, ad hoc *tex. Jeronimi. XXIIII. q. 1. omnibus.* & omne pactum ad eccleſiam id eſt Concilium introduci poteſt juxta vocem Dominicam: dic Eccleſie, quod non ſolum de prelatis ſed etiam de Concilio intelligi poteſt ut *nō. Archidi. in c. precipue. XI. q. III.* nam tota Eccleſia congregari non poteſt, unde neceſſario verificari debet de Eccleſia repreſentatitia & preſertim in Concilio Generali; nam licet quilibet Prelatus repreſentet Eccleſiam in exercitio juriſdictionis ſibi conceſſe, cum ſit membrum Eccleſie & ſit ut radius ſolaris procedens ex ipſo lumine ſolis, & ſicut rivulus ex fonte & ramus ex arbore, ut dicit *Cyprianus. XXIIII. q. 1. in c. loquitur.* & ita intelligi poteſt, quod dicitur, quod Eccleſia eſt in Prelato & Prelatus in Eccleſia &c. *VII. q. 1. c. ſcire.* hinc eſt quod illa auctoritas ſi peccaverit &c. allegatur cum denuntiatio fuit facta ſoli Pape ut *in c. novit. de judi.* Attamen magis proprie illa auctoritas verificatur in Concilio Generali, quia ipſum Concilium Generale repreſentat totam Ec-

clesiam videlicet quoad totalem sui potestatem, quia tota potestas Ecclesiastica est in Ecclesia tanquam in fundamento, ut voluit Augustinus in multis locis. & vide *tex. ejusdem in c. quodcunque XXIIII. q.* 1. *& hieron. in c. omnibus ead. caa. & q.* Dicam de hoc plenius in secundo dubio. Ideo recte inter alias expositiones dixit: die Ecclesie id est Concilio Generali, ut ipse signanter notat in dicto c. precipue. synodus autem ipsa Basiliensis intellecta ista difficultate inter singulos decrevit alium locum minime tunc eligendum sed priora loca jam electa debere decretari & ita postmodum decretavit, & ubi major pars, ibi presumitur Ecclesia, ut in dicto *c. apostolica. LVI. di. & in dicto c. cum inter Canonicos. de elec.* quin imo non solum major pars ymo plures quam due partes hanc conclusionem elegit, ideo in eis presumitur melior Zelus ut *in c. si quando de elec. li. VI.* A judicio autem Concilij per majorem partem representati non potest ad aliquem reclamari, quia ex sententia dominica illud est ultimum & supremum judicium, cum dictum sit, qui non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, nam si aliud judicium exspectaretur, non haberetur pro Ethnico & Publicano, nisi post finem alterius judicij, si quod aliud esset supremum, veritas autem mentiri non potest, ipse enim Christus illa verba inquiens est via & veritas, contempnentes ergo judicium illud sacri Concilij super decretatione locorum primo nominatorum habendi sunt sicut Ethnici & Publicani. & hec de XVI. ratione.

He

He autem XVI. rationes preallegate preser- vant clarissime sacrum Concilium adversus illam pretensam translationem vigore illius parvi decreti ut dicunt adversarij factam. Nunc X. rationes subjiciam ad defensionem ipsius sacri Concilij contra aliam pretensam dissolutionem, seu translationem per dictum quondam *Eugenium* de plenitudine sue potestatis, ut dicebat, factam, de qua satis supra dictum fuit in casus narratione, & pro intellectu dicendorum recenseo in presentiarum quod dixi in narratione facti, quod quondam *Eugenius* per sacrum Concilium Basiliense longe ante Grecorum adventum citatus ut veniret per se vel alium ad excusandum & defendendum se super multis in citatione expressis, que notorie sibi impingebantur, pro Obedientia quam prestare debebat, ipse per suas litteras dissolvit Concilium Basiliense transferendo illud ad *Ferrariam*, ex tunc si sacrum Concilium procederet ad ulteriora contra eum vel aliquem ex suis presidentibus & Concilio non desistente, ut desistere non debuit, ipse quondam *Eugenius* declaravit, purificatam esse illam conditionem, & sic Concilium Basiliense fore translatum ad *Ferrariam* & sic vigore sue pretense translationis ante Grecorum adventum fecit ibidem suum pretensum Concilium inchoari, & hec est illa translatio seu dissolutio, de qua nunc agimus, quod autem ista non valuerit, probabo ex efficacissimis rationibus, & postmodum respondebo ad IX motiva adversariorum, ad reliqua autem eorum motiva fuit supra responsum in primo membro hujus dubij,

Et ſit *Prima* Ratio hec: Inferior nedum judicare non poteſt ſuperiorem, imo nec benedicere, non quod benedictio in ſe mala ſit etiam in ore inferioris, ſed hoc ſtatutum *f*) eſt adinventum, quando cenſure freno inferiores a ſuis Prepoſitis cohercendi ſunt & judicandi cum ſe videant, nec etiam benedicendi jus ullum penitus obtinere ut dicit *tex. in c. inferior. juncto c. denique. XXI. di. & fa. c. cum inferior. de Maj. & Obed.* ſed in caſu noſtro quondam Eugenius tenebat locum inferioris quoad ſacrum Concilium, preſertim cum ipſum Concilium eum apprehendiſſet per citationem ſuam ergo non potuit ipſe quondam *Eugenius* Concilium ipſum ſuum judicem diſſolvere vel aliter pro ſuo voto transferre. nam diſſolvendo Concilium nil aliud eſt quam extinguere ipſum Concilium. ſed nonne ridiculoſum eſt dicere, quod inferior citatus per ſuperiorem, ut veniat ad ſe defendendum vel excuſandum ſuper objectis, poſſit ſuum ſuperiorem citantem extinguere vel annihilare aut pro ſuo voto ad pedes ſuos revocare. Qualis enim eſſet ſacri Concilij auctoritas ſupra Papam, ſi citando legitime Papam; valeret Papa diſſolvere Concilium vel pro ſuo libito ad ſe transferre nedum civilis ratio ſed etiam naturalis penitus contradicit. Quod autem Concilium habuerit poteſtatem procedendi contra Papam, dicam ſatis in ſecundo dubio & quod legitime proceſſit contra dictum *Eugenium* plene ſubjiciam in tertio dubio, unde

f) ſtatutum eſt ad innuendum quantæ cenſuræ &c.

unde contra quondam *Eugenium* tunc diſſolventem Concilium illa auctoritas Prophete g) congruat, de qua mentionem facit *tex. in dicto c. cum inferior.* videlicet: nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea aut exaltabitur ſerra contra eum qui contrahit eam. quaſi dicat, quod non; unde Concilium ſe habebat contra ipſum quondam Eugenium ut ſecuris ad radicem vel ſerra ad lignum, unde non valuit ſuperbire contra ſacrum Concilium trahens ſerram ſeu ducens ſecurim, inſtituendo ſcilicet proceſſum contra eundem procedendo ad ſui extirpationem ſi crimina impincta hoc mererentur, preterea ad judicem ſpectat erigere tribunal, non ad citatum & preſertim cum judex ſedet in loco ſolito. *ad hoc l. plt. ff. de jus. & jur.* quo caſu ergo potuit quondam Eugenius diſſolvere Concilium & ſe transferre non apparet, nec poterat totam ſynodum tanquam ſuſpectam recuſare. ut *nõ. Communiter Doctores in. c. 1. de judi.*

Secunda ratio: Pape injuſte mandanti non eſt obediendum. unde dicit *Inno. in c. Inquiſitioni. de ſent. ex. III. in additione*, quod ſi Papa aliquid precipit injuſtum, ita quod mandatum ſuum contineat hereſim vel preſumitur vehementer ſtatum Eccleſie perturbare vel alia mala futura, quod tunc peccaret quis obediendo, cum debeat futura mala precavere non juvare & *in c. quanto. de Conſue.* dixit: quod non eſt Papa ſuſtinendus, ſi ſine rationabili cauſa & alijs nota vult venire contra ſtatum univerſalis Eccleſie. ſi ergo ſubditi non debent

P 3 Pape

g) Prophetæ degenerat.

Pape injuſte precipienti obtemperare, quanto fortius Concilium quod erat ſuperior & citationem inchoavit, non debebat parere ſue pretenſe diſſolutioni ſeu translationi, ex qua quidem translatione nedum multa ſcandala futura veriſimiliter timebantur, quia inde evacuabatur auctoritas ſacrorum Conciliorum & delicta Pape per illam viam diſſolutionis remanebant impunita & ſic poſſet Eccleſia per peſſimum Paſtorem quaſi ad nihilum deduci, nihil enim ſic officit gregi, quam quod paſtor commutatur in lupum. ſed quod pejus *b*) erat, illa pretenſa diſſolutio ſeu translatio ex eo capite facta, quia Concilium procedebat contra eum, ſapiebat hereſim, quoniam ipſo facto negabat auctoritatem univerſalis Eccleſie ſupra ſummum Pontificem, ſi enim valeat translatio ſeu diſſolutio ex eo capite, quia Concilium preſumit procedere contra Papam, nil aliud poteſt inferri niſi quod Concilium non habet auctoritatem ſupra Papam & negare Chriſtum & auctoritatem Eccleſie facto, quod deterius eſt, quam negare verbis, quia facta ſunt potentiora verbis. *fa. c. exiſtimat quidem XI. q. III. & c. dilecti. de app.* ubi dicitur, quod plus eſt ad ſedem Apoſtolicam facto quam verbo appellare. Item ex illa ſua diſſolutione ſeu translatione quaſi evacuabatur auctoritas ſeu effectus Conſtitutionis magni Concilij Conſtantienſis, que incipit, *frequens*, ubi diſponitur: de Concilijs tenendis de decennio in decennium in perpetuum. nam ſi Papa poſſet pro libito ſuo Concilium congrega-

b) ſed quod prius erat.

gregatum diſſolvere vel transferre, eſſet annihilata illa conſtitutio. Item diſſolutio eſt expreſſe contra decretum Concilij Baſilienſis in XI. ſeſſ. factum, ubi expreſſe cavetur, quod per quemcunque etiam Papam non poſſit Concilium diſſolvi ſine ſuo expreſſo conſenſu, nec poterat Papa uti in illa diſſolutione plenitudine poteſtatis, nam unica eſt Eccleſie poteſtas & non plures, data per Chriſtum ipſi Eccleſie tanquam in fundamento *XXIIII. q.* 1. *loquitur & c. omnibus. & c. quicunque.* cum ergo in Concilio repreſentante Eccleſiam univerſalem ſit plenitudo poteſtatis, non potuit ipſe quondam *Eugenius*, licet ſit Principalis miniſter in Eccleſia & de corpore Eccleſie uti plenitudine poteſtatis contra totam Eccleſiam in qua eſt fundamentum plenitudinis poteſtatis, quia videretur, quod eſſent due poteſtates in Eccleſia, quod ſaperet hereſim. nam ut ſupra dixi, poſt Cyprianum Eccleſia equiparatur, ſoli arbori & fonti. alij vero miniſtri quotquot & quales ſint equiparantur radijs ſolaribus & ramis arboris & rivulis fontis, unde ſi preſcinditur rivulus a fonte, areſcit, nec gloriabitur ramus contra arborem, nec radius ſolaris contra lumen ſolis, nec rivulus contra fontem. *XXIIII. q.* 1. loquitur. hinc dixit Jeronimus intelligendo de auctoritate *i)* Eccleſie, quod orbis eſt major urbe. *in c. legimus XCIII. di.* Nec oportet ire per mendicata ſuffragia, cum ipſe Chriſtus Capitaneus noſter aperto ore dixit, nemine excepto, qui non obedierit Eccleſie, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publi-

 canus,

i) auctoritate Concilij.

canus, innuens apertissime plenitudinem potestatis ecclesiastice consistere in Ecclesia tanquam in fundamento. de quo plenius dicam in secundo dubio.

Tertia ratio fundatur ex quadam similitudine. querit enim *gloss. in c. si Papa XL. di.* nunquam Papa possit statuere, quod non possit de heresi accusari ipse vel aliquis Papa. & respondet, quod non. quia ex hoc periclitaretur Ecclesia, ita punctualiter dicendum in proposito. nam si Papa citatus per Concilium posset ex sue potestatis plenitudine Concilium ex hoc extinguere vel pro suo libito transferre, quid aliud esset quam dicere, quod Papa *k*) etiam hereticus non possit de heresi accusari, vel privari. quia accusatus de heresi & citatus, recurreret illico ad flebile dissolutionis refugium & ita citatus pro alijs criminibus notorijs. nam crimina notoria scandalizantia Ecclesiam & de quibus Papa est incorrigibilis, inducunt vehementem presumptionem heresis. nam ut dicit Clemens, qui rebelliter vivit aut dicere seu agere bona recusat, potius diaboli quam Christi membrum convincitur esse & potius infidelis quam fidelis esse demonstratur ut *in c. nullus Episcopus. XXXVIII. di. & nō. gloss. in dicto c. si Papa XL. di.* & quod Directe fieri non potest, nec indirecte admitti debet. quia secundum juris regulam, cum quid prohibetur una via, alia via admitti non debet. ut in reg. cum quid. de *R. J. li. VI. & c. tue. de procur.* Papa autem directe non potest impedire suam

k) Papa & hæreticus.

ſuam accuſationem, precipue de hereſi, ergo nec indirecte, quod fieret ſi citatus per Concilium poſſet illud diſſolvere vel ad locum ſibi libitum, ubi eſſet ſibi tutiſſimum refugium, transferre.

Quarta ratio eſt: ipſe quondam Eugenius per ſuam adheſionem approbavit decretum editum in XI. ſeſſ. tanquam precedens ſuam adheſionem, & in illo decreto expreſſe cavetur, quod ex nulla cauſa poteſt ſacrum Concilium ſine ſuo expreſſo conſenſu per aliquem etiam per Papam transferri vel diſſolvi. Item decretum illud concernit generalem ſtatum Eccleſie & pertinentia ad generalem reformationem ejusdem, quia per diſſolutionem Concilij poſſet impediri generalis reformatio, ſicut fuit eliſa per diſſolutionem *l)* Concilij generalis Senenſis. Item poſſent impediri Generalia Concilia que neceſſaria ſepe ſunt in Eccleſia Dei exemplo Apoſtolorum *Act. XV. & XV. di. C.* 1. unde per diſſolutionem voluntariam violaretur ſtatus univerſalis Eccleſie. unde dicit *tex. nõ. in c. & ſi illa.* 1. *q. VII.* quod magno opere illa precavenda ſunt, que recipi ſine magna decoloratione non poſſunt *m)* hinc eſt quod non poteſt Pepa immutare univerſalem ſtatum Eccleſie. ut *nõ. Inno. in c. quanto. de Conſue. & c. cum ad monaſterium. de ſta. regul. & archi. in c. ſicut. XV. di. gloſſ. in c. litteras. de reſti. ſpo.* & communiter tenetur per Doctores & probatur in c. que ad perpetuam *XXV. q.* 1. ubi dicit

 tex.

l) per diſſolutionem in Concilio Viennenſi.
m) omiſſ. a verbis: *hinc eſt quod* usque *& ſi dicatur.*

tex. que ad perpetuam ordinata ſunt generaliter utilitatem, nulla commutatione varientur nec ad privatum trahatur commodum, que ad bonum commune ſunt prefixa. ex quo tex. gloſſ. ibi colligit, quod Papa non poteſt contra generalem Eccleſie ſtatum diſpenſare, nec contra articulos fidei, nam & ſi omnes aſſentiant ei, non valeret ſtatutum, ſed omnes heretici eſſent. *XL. di. ſicut. ſed gloſſ.* ibidem & in his caſibus poteſt verificari *tex. in c. contra XXV. q.* 1. ubi dicitur contra ſtatutum patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem ſedis poteſt auctoritas. & ſi dicatur quod Papa hoc fecit ex juſta cauſa, puta, pro Grecorum reductione, certe hoc confunditur, quia ſua diſſolutio ſeu translatio fuit principaliter fundata ex eo, quia Concilium procedebat contra eum. & de hac materia dicam latius in reſponſionibus ad motiva adverſariorum.

Quinta ratio, quod Eccleſie per omnes obediendum eſt, ut in Evangelio & *ij. q.* 1. *ſi peccaverit.* ſed Concilium mandabat quondam Eugenio ut veniret in certo termino tunc ſibi aſſignato ad excuſandum vel defendendum ſe ſuper notorie ſibi impoſitis ergo debuit per ſe vel alium comparere & obedire matri ſue juſte & honeſte precipienti, non autem ſe erigere in ſuperbiam & pro obedientia dare rebellionem diſſolvendo Concilium, ſi ulterius procederet contra eum, eſtne illa obedientia que preſtari debet eccleſie juxta *n*) ſtatutum ſacri Concilij Conſtantienſis, imo juxta diſpoſitionem

n) omiſſ. *ſtatutum.*

nem divinam, non enim debuit contempnere ecclesiam cum predecessor suus amplioribus meritis refulgens sicut Petrus remissus fuerit ad Ecclesiam dicente sibi Domino: si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesie &c.

Sexta ratio: cum legatur quod Ecclesia miserit Petrum pro negotijs ipsius Ecclesie, nec *Petrus* restitit juxta illud Act. Apostolorum: miserunt *Petrum & Johannem &c.* nec legitur quod solus *Petrus* Ecclesiam congregatam pro suo libito dissolvit aut transtulit de loco ad locum sine suo consensu, quomodo potuit quondam *Eugenius* reus factus citatione preventus Ecclesiam, presertim ut correctionem effugeret, dissolvere aut de loco ad locum transferre?

Septima ratio est: quod Papa non potest sine consensu Concilij eligere locum pro futuro Concilio juxta illam constitutionem: *frequens*, Concilij Constantiensis, & ita hactenus observatum est, quomodo autem *o*) poterit Concilium jam fundatum, inchoatum & prosecutum secundum suammet professionem transferre pro libito voluntatis de loco ad locum presertim ex causa turpi, ut evitaret correctionem? minus est enim eligere locum pro futuro Concilio quam Concilium jam inchoatum transferre, sed primum non potest sine consensu Concilij, minus ergo secundum *Arg. eorum que nō. in c. cum in cunctis. de elec. & in autt. multo magis. C. de Episc. & Cle. precipue*, cum ex illa trans-

o) loco *poterit.* petitur.

translatione violaret tam *p*) magna decreta, prefertim Decretum Conftantienfis, quo cavetur, quod imminente legitima caufa translationis Concilij debet ipfum Concilium ad locum viciniorem ejusdem nationis transferri, nifi illa caufa urgens concerneret totam nationem illam, fed ipfe diffolvit Concilium vigore proceffus inchoati contra eum, pretendens, quod in Bafilea non erat libertas & multas alias caufas frivolas allegavit, que profecto veraciter non poterant totam Almaniam concernere. transferendo ergo ad Italiam, violavit illud decretum & ibi expreffe in hoc difponitur, quod Papa hoc facere non poffit. Secundum decretum fuit facri Bafilienfis Concilij in XI. feffione editum, per eum ut fupra dixi approbatum, quod Concilium ex nulla caufa poteft fine fuo confenfu transferri vel diffolvi etiam per Papam. Violavit tertio concordatum cum Grecis, quod etiam ipfemet prius approbaverat, ut dictum fuit in narratione cafus; nam ibidem cavebatur, quod Concilium debebat firmiter ftare in *Bafilea*, nec inde fe transferre, donec Greci fe applicarent ad ultimum portum Italie, & fi interea immineret rationabilis caufa illud transferendi, quod fieret translatio juxta formam. c. frequens. Ipfe autem quondam Eugenius diffolvit feu transtulit ante adventum Grecorum, nulla fubfiftente caufa rationabili & efto quod fuiffet, debebat fervare formam illius c. *frequens*.

Octava

p) tria magna.

Octava ratio: quia cum error Grecorum in triplici Concilio Generali dampnatus fuisset, ut in Ephesino, de quo est *tex. cum gloss. in c. plt. di. VI.* & in Concilio Generali, de quo in c. firmiter credimus. *de summ. Trin.* & in Concilio Lugdunensi ut habetur in *c.* 1. *de summ. Trin. li. VI.* & Greci peterent nunc Concilium non correcti sed ut de fide disputarent & ibidem videretur, quid esset tenendum, unde in eorum salvo conductu postularunt, quod libere possent in Concilio oecumenico proponere, respondere & contradicere, & facta unione eorum sive non, *q*) libere possent ad proprios lares redire, ut patet in salvo conductu per eos postulato & per sacrum Concilium concesso, non debebant ergo de mero jure audiri, sed fuit eis facta magna gratia, quia ut dicit tex. *valde nō. in c. majoris. XXIIII. q. V.* quod majores nostri divina inspiratione tenentes necessaria precaverunt, ut quod contra unamquamque heresin coacta semel synodus pro fidei communione, veritate Catholica & approbata promulgasset, non sineret posthoc novis retractationibus mutilari, ne gravis occasio preberetur, que medicinaliter fuerant statuta, pulsandi & subdit in fi. synodus semel gesta condempnans ulterius ad nova Concilia venire non sinit *r*) & est tex. multum nō. quem gloss. ibi intelligit, quod non patitur iterum venire in synodum ut de fide iterum disputetur, sed si correcti venire

q) omiss. a verbis: *libere possent.* usque *magna gratia.*
r) nec est.

venire vellent, tunc admitterentur. & idem *nō. gloss. in c. nos ad fidem. XVIII. di. non licuit* ergo quondam *Eugenio* sine expresso consensu Concilij de hujusmodi oecumenico Concilio tractare aut de loco, *s*) ubi fieret illud oecumenicum Concilium disponere, est enim iste casus in quo Papa tenetur congregare Concilium, cum non possit aliquid attemptare, quod possit tendere in prejudicium eorum, que diffinita sunt per Concilium in causa heresis. ut est tex. *nō. cum gloss. in c. Anastasius XIX. di.* sed aliquis dicere posset, Concilium Basiliense jam prius disposuerat ipsos Grecos sic audiendos, ergo Papa nullam novitatem fecit sub simili modo eos audire volendo; ipse enim quondam *Eugenius* expresse ad hoc congregavit Concilium Basiliense imo expresse transtulit illud in *Ferrariam.* Respondetur quod Concilium Basiliense fecit cum Grecis certa compactata, que Greci servare noluerunt, quia electa Sabaudia dixerunt, se non intellexisse, nisi de *Sabaudia* que est in Italia. Item Concilium nunquam dedit eis optionem eligendi locum in certa natione, sed ex certis locis nominatis per Grecos Concilium habebat eligere unum locum, sed quondam *Eugenius* recedendo ab illis compactatis reducebat Concilium ad Italiam. Item cum Concilium Generale sit supra Papam, cum *t*) agitur de extirpatione heresum & de pertinentibus ad illam ut in decreto Concilij Constantiensis, ad Concilium, ex quo erat, congregatum & non ad Papam

s) de loco, nisi fieret.

t) cum igitur.

Papam pertinebat disponere, an ipsi Greci essent *u*) audiendi aut non & qualiter & in quo loco & presertim non licebat hoc quondam Eugenio attemptare, cum dissolutionem Concilij Basiliensis sine expresso suo consensu usurpabat enim sibi ex hoc auctoritatem supra sacrum Concilium Generale in duobus: primo quia voluit disponere per se de loco Concilij Generalis sedentis, cum tamen Concilium Generale sit majus eo, quantum ad hoc ut supra dictum est. secundo usurpabat sibi auctoritatem in dissolutione Concilij Generalis ut fieret disputatio cum Grecis & in hoc violando multa decreta ecclesie latine, ut supra dictum est; Item ut nullus locus cavillationi relictus sit, aliquid advertendum, quod ipse quondam *Eugenius* per suas litteras dissolvit Concilium in duobus casibus; primo sub conditione & ex tunc si Concilium procederet ad ulteriora contra eum. secundo simpliciter in adventu Grecorum secundum dispositionem parvi decreti & tandem quia Concilium non destitit procedere contra eum. pronuntiavit illam conditionem purificatam, & sic Concilium translatum fore ad *Ferrariam* ex virtute primi capitis *x*) & illo pretextu Conciliabulum inchoatum fuit in Ferraria de mense Januarij ante adventum Grecorum, quia non propter eos, sed ut ipse evitaret correctionem, Concilium dissolvit.

Nona

u) essent auditi.

x) omiss. a verbis: *& illo pretextu.* usque *gracorum, quia.*

Nona Ratio, quia cum ex citatione in eum per Concilium factam ipse quondam *Eugenius* esset factus reus & suspectus de heresi presertim ex non receptione decretorum sacri Concilij, que edita fuerant pro reformatione Ecclesie, debebat prius venire & purgare innocentiam suam juxta vires citationis, antequam procederet ad correctionem aliorum. unde non immerito poterat sibi dici illud Evangelij: ejice primum trabem de oculo tuo. *III. q. VII.* porro. Grecorum autem reductionem, ut par erat, debebat dimittere, in facultate Concilij, ad quod negotium illud spectabat principaliter, & non mittere Galeas, ut supra dictum fuit in narratione casus. Item si diceremus contrarium, esset res pessimi exempli, quia Papa citatus super suis criminibus per Concilium, fingeret reductionem alicujus populi ut haberet materiam dissolvendi Concilium & evitandi correctionem. Item, quia ut predixi, ipse non fecit illam dissolutionem seu translationem intuitu Grecorum, sed ut fugeret vindictam ultionis, & sic ad utilitatem privatam.

Decima & ultima ratio est, quia cum tempore adventus Grecorum ipse quondam *Eugenius* esset jam per sacrum Concilium tunc suspensus, non poterat cum eo teneri Concilium tunc Generale, Greci autem sine eo non volebant facere Concilium oecumenicum, ergo Patres de Concilio habuerunt legitimam causam non eundi ad illud conciliabulum; & si dicatur, quod ante suspensionem ipse quondam *Eugenius* dissolverat Concilium Basiliense,

liense, Respondetur dupliciter, primo, quod non poterat dissolvere propter rationes predictas. secundo quia dissolvit tunc non consideratione Grecorum, sed ut impediret processum Concilij contra eum inchoatum, ut supra dictum fuit. Ex his omnibus facillime potest responderi ad novem objecta adversariorum unica consideratione; nam omnia eorum objecta tendunt ad firmandum illam pretensam dissolutionem seu translationem Concilij per dictum quondam *Eugenium* factam in favorem reductionis Grecorum, quia tanquam Pastor Ecclesie & judex fidei & habens potestatem ad edificationem & quia Greci nolebant alibi quam in Italia audiri, tenebatur hoc facere, ut enim predixi, dissolutio illa seu translatio non fuit facta favore Grecorum sed ob processum inchoatum contra eum per Concilium, nam ut predixi in duobus casibus transferebat Concilium, primo sub conditione: si Concilium procederet contra eum: secundo simpliciter in adventu Grecorum, at ipse longo tempore ante adventum Grecorum pronuntiavit Concilium esse translatum, quia Concilium processerat contra ipsum & illo pretextu fecit Conciliabulum illud inchoari in mense *y*) Januarij in *Ferraria* in adventu Grecorum & sic incidit in penas scismaticorum erigendo Concilium contra Concilium & scandalizando Ecclesiam cum geminata dissolutione Concilij, ac processu temporis incidit in suspensionem, quia non revocavit primam pretensam dissolutionem infra IIII. menses juxta de-

y) mense Junij ante Græcorum adventum.

creti tenorem editi in XI. ſeſſione; nullo modo ergo poterat in adventu Grecorum preſidere illi Conciliabulo, quia etſi cauſa fidei maxima ſit, tamen contempnendo Eccleſiam & ejus auctoritatem ipſe incidit in majorem errorem. ſed ne adverſariorum motiva tranſeant ſine ſpeciali ſolutione, ad eorum majorem confuſionem & veritatis dilucidationem remaneant indiſcuſſa, ſpecialiter reſpondebo & primo:

Ad primum, in eo quod dicunt, quod Greci venerunt ad Papam petentes audiri & uniri in fide cum Eccleſia, & nolebant hoc facere niſi in Concilio oecumenico. ergo Papa ad hoc tenebatur convocare Concilium oecumenicum. Cum ergo Papa non poſſet hoc facere niſi transferret Concilium Baſilienſe ad locum Grecis aptum, ergo Papa potuit & debuit illud transferre. nam hereticum eſſet dicere, quod Papa hoc non poſſet per illud *Luce XX°.* Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua & aliquando converſus confirma fratres tuos. ſcilicet in eadem fide & *Joann. ult* paſce oves meas quod intelligitur de paſtura fidei. & preſertim quia Greci proteſtati fuerunt quod nullo modo volebant venire ad Baſileam aut Sabaudiam ſed Concilium nullo modo voluit conſentire petitioni Grecorum ergo ſine Concilij conſenſu tenebatur Papa illud transferre. Ad hoc Reſpondetur primo generaliter, quod Papa tunc *Eugenius* non diſſolvit Concilium propter Grecos ut ſupra dixi, ſed hoc fecerat principaliter ut fugeret correctionem

nem Concilij. nam licet ipſe quondam *Eugenius* de Grecis feciſſet mentionem in ſecundo caſu diſſolutionis, tamen Grecis non exſpectatis transtulit illud Concilium Baſilienſe, quia Concilium non deſiſtebat procedere contra eum. Ex hac autem cauſa Concilium diſſolvi non poterat, ut ſupra plene dixi. Preterea poſito ſine veritatis prejudicio, quod hoc feciſſet propter Grecorum unionem, veritate caret, quod Greci z) peterent audiri & uniri, imo ut ſupra dixi, petierunt, quod poſſent libere proponere & unione facta vel non, libere redire ad eorum patriam, ut in eorum ſalvo conductu patet. Preterea cum ipſorum error expreſſe a) reprobatus eſt in tribus Concilijs, ut ſupra dictum fuit, Concilium habet diſponere & non Papa, qualiter & in quo loco debeant audiri, neque erat curandum de proteſtatione Grecorum quia ad illam ſatis reſpondi ſupra; preſertim cum venirent contra compactata cum ſacro Concilio, nam adverſarij ſilent de *Sabaudia* que erat pariter electa cum *Baſilea* & Avinione, unde poterat male ſperari de reductione Grecorum, cum ipſi in limine contractus violarent compactata. preterea nec ipſi Greci hanc rationem allegarunt ſcribentes ex Conſtantinopoli ſed duntaxat, quod promiſſa non fuerant in tempore adimpleta, unde licet Papa teneatur paſcere oves Chriſti, tamen cum modis & temporibus; nam & Concilium non minus

 tene-

z) Græci poterant.

a) expreſſe.

tenetur paſcere, quia *b*) & omnibus Apoſtolis dictum fuit: ite in univerſum mundum & predicate Evangelium omni creature & ſicut me miſit pater & ego mitto vos &c. nec Greci volebant paſci, niſi forte corporaliter, quia ſi petiiſſent paſturam fidei, ſervaſſent compactata & non petiiſſent diſputationem. Concilium autem erat in hoc facto Pape preferendum, quia Concilium non poterat in fide errare ſed Papa. ſicut *nō. in c. a recta. XXIIII. q.* 1. ſed pro dolor ex cauſa fidei fuerunt ſumpta arma *c*) perfidie, quia ſub colore Grecorum diſſolvebatur Concilium ut evitaretur correctio & reformatio. *d*) Preterea ipſe quondam *Eugenius* transtulit Concilium in adventum Grecorum innitens illi parvo decreto, quod viribus non ſubſiſtebat, ut ſupra probatum fuit, & non ex ſuo officio. Item ſi feciſſet ex ſuo officio, cur de loco prius non conveniebat cum Concilio adhuc ſedente juxta diffinitionem *c. frequens.* Cur etiam non elegit unum locum de nominatis conſiſtentem in natione Germanica? juxta *c. frequens.* cum ergo omnia contempſit & ex ſuo ſenſu voluit Concilium transferre, merito nihil egit validitatis & firmitatis, ſed incidit in penas contentas in XI ſeſſione.

Ad ſecundum *e*) & Tertium eorum motivum, quo dicitur, quod *f*) in Decreto per Baſilienſe Concilium

b) quia & omnibus apoſtolis dictum fuit.
c) arma pro fide.
d) omiſſ. *præterea ipſe &c.* usque *contentas in XI. ſeſſione.*
e) omiſſ. & tertium.
f) indirecte. . . concluſio &c.

cilium conclufo habetur, ut venientibus Grecis ad ultimum portum latinum ipfi Patres Concilij infra menfem ad locum oecomenici Concilij fe transferrent, ergo cum Greci advenerunt, debebant fe transferre ad locum oecomenici Concilij & non manere in Bafilea fixi. Refpondetur, quod hoc argumentum nullo modo concludit, quia Decretum Bafilienfis Concilij expreffe habebat, quod Patres de Concilio debebant fe transferre ad locum per facrum Concilium nominandum, ac Greci non venerunt ad illum locum, quia neque ad *Bafileam*, *Avinionem* neque ad *Sabaudiam;* & mirandum eft de tali argumentatione vana nam fi Greci potuiffent facrum Concilium ducere ad quem locum voluiffent, quid oportebat facere cum eis compactata de loco? & precipue cum ipfemet quondam *Eugenius* illa compactata approbaverat? Et per hoc folvitur eorum tertium motivum, dicunt enim in eo, quod in decreto facri Concilij dicebatur, quod propter nullum locum tam magnum atque fanctiffimum opus deberet poftponi & quod hoc fuit juramento firmatum. ergo propter locum non debebat facrum Concilium Bafilienfe dimittere tantum bonum. Ad hoc enim refpondetur, quod caret veritate, ut fupra in precedentibus dictum eft. nam veritas fuit, quod illa verba fuerant dicta propter Bafileam, quia Patres de Concilio cupiebant quod Concilium oecomenicum fieret in *Bafilea*, fed oratoribus Grecorum nolentibus confentire, dixerunt deputati Concilij, quod propter locum non debebat tantum bonum dimitti, & con-

venerunt ut certa loca nominarentur per Grecos & ex illis ſacrum Concilium eligeret unum & illud decretum ſic limitatum fuit juratum, unde Concilium non tenebatur ire ad locum per Concilium non electum & ſi diceretur, Concilium non debebat curare de loco ut tantum bonum ſequeretur, Reſpondetur quod Concilium non erat certum de reductione Grecorum, ut ſupra dictum eſt, ſed bonum erat certum ſi Concilium trahebatur ad Italiam, prout quondam *Eugenius* volebat, eluſa erat penitus reformatio Eccleſie latine & decreta contempta que prius recipere noluit & Conciliorum auctoritas penitus conculcata & ſepulta fuiſſet; hoc enim in illa translatione agebatur propter potentiam & amicitiam, quam ipſe quondam *Eugenius* in g) locis illis habebat. Item ſacrum Concilium veriſimiliter ſperabat, h) quod Greci juxta compactata venirent ad locum electum per ipſum Concilium, quod veriſimiliter ex eo poteſt conjecturari, quia miſerunt Galeas cum pecunijs & baliſtarijs cum Capitaneo & tantarum expenſarum onere. Iſta enim veriſimiliter non feciſſent fruſtra, nam parvipendebant iſtam proteſtationem oratorum Imperatoris Grecorum per rationes ſupra per me dictas. ſed heu poſtquam declinaverunt Greci ad quondam Eugenium injuſte dimiſſis galeis Concilij, qua fronte poterat ſacrum Concilium ſe transferre ad *Ferrariam*, ubi jam erat inchoatum Conciliabulum per quondam *Eugenium*

jam

g) *locis* omiſſ.
h) ſpectabat.

jam tunc ſuſpenſum, debebat ſe cum illis unire, quos repreſentabat ſcismaticos, debebatne habere illum pro preſidente, quem ſuſpendebat, debebatne ſe exponere inſidijs illius, qui ſe jam conſtituerat capitalem inimicum? jam enim Patres Concilij expoſuerat prede & capture quorumcunque & per ſpeciales litteras hortatus fuerat omnes principes Alamanie, ut hanc iniquitatem facerent, inducens eos ut procederent contra ipſos Patres Concilij tanquam contra hoſtes fidei. eſtne iſta paſtura fidei? verificaturne dictum Chriſti: paſce oves meas? ſi rerum ordo diligenter penſetur, nil aliud fuit quam ſumere occaſionem pro cauſa.

Ad quartum motivum fundatum ex eo, quia Papa eſt paſtor univerſalis Eccleſie & omnium ovium a Chriſto inſtitutus, ideo etiam ceſſante illo parvo decreto poterat Papa facere omnia, que ad paſtorem omnium requiruntur, quibuscunque conſtitutionibus & decretis non obſtantibus; translatio autem Concilij Baſilienſis in *Ferrariam* ſpectabat neceſſario ad paſturam Grecorum, ergo potuit hanc translationem facere. hoc argumentum coincidit in idem cum precedentibus, & ſatis ſupra fuit reſponſum; illam enim translationem fecit principaliter non propter paſturam Grecorum ſed ex cauſa damnata, videlicet: ſi ſacrum Concilium procederet contra eum & vigore illius translationis fuit conciliabulum illud in *Ferrariam* translatum. Item paſtura illa & predicare verbum Dei Grecis bene poterant fieri abſque diſſolutione Con-

cilij Basiliensis. nec obstat quod Greci volebant habere Concilium oecumenicum, quia ad petitionem Grecorum, qui erant precise scismatici & heretici, non debebat dissolvi Concilium Generale absque suo expresso consensu. nam Ecclesia universalis, que errare non potest, melius poterat discernere tempus & modum istius pasture, quam solus Papa presertim ut dixi. quia non veniebant Greci emendati & correcti sed ad disputandum, unde pro eo quod sepe condempnatum fuit in Concilijs, non debebat Concilium Generale Latinorum invitum dissolvi. utinam jam diu post creationem suam ipse quondam *Eugenius* voluisset fuisse executor illius verbi: Pasce oves meas; jam diu potuisset ivisse ad Grecos & diu potuisset illos ad se vocare sine scandalo Ecclesie, sed dedit tunc operam accuratam, quando opus erat sibi sub illo colore dissolvere Concilium, ut sic evitarèt processum & ut fugeret reformationem Generalem & presertim curie Romane.

Ad Quintum motivum ex eo fundatum, quia Papa potest quidquid spectat ad edificationem Ecclesie, non obstantibus quibuscunque decretis in contrarium; sed illa translatio spectabat ad edificationem ipsorum Grecorum &c. Etiam hoc argumentum concidit cum precedentibus & ex his que ibi dicta sunt, patet Responsio: Non enim fecit illam translationem ad edificationem, sed ut fugeret processum, nec eo pretextu, quod vult ire ad predicandum infidelibus, debet *i*) Concilium congrega-

i) sed Concilium.

gregatum dissolvere, ut sic illa occasione eluderet Ecclesie latine reformationem. nam si ipse impedimentum non prestitisset, scit mundus, quod Greci servassent omnia compactata & venissent ad Concilium & mansisset Ecclesia in sua integritate. sed bene patet ex istis allegationibus adversariorum, querere mendicata suffragia; nam nunquam faciunt verbum de dissolutione facta in primo capite occasione processus inchoati contra eum, sed semper fundant k) se super illa translatione facta in secundo capite, que effectum non habuit, quia illa secunda translatio per eum facta habebat vim in adventum Grecorum, sed ipse longe ante adventum Grecorum inchoari fecit illud Conciliabulum Ferrariense vigore translationis facte, quia in Concilio fuit accusata ejus contumacia.

Ad sextum motivum quod videtur sine aliquo juris fundamento formatum; dicunt enim, quod negare Concilium Basiliense esse translatum in *Ferrariam* legitime, est negare reductionem Grecorum esse factam, consequens probatur ex bulla aurea Grecorum. antecedens probatur quia Greci nolebant in Concilio oecumenico uniri. profecto faciliter & multipliciter potest responderi. nam licet dicerent, quod nollent reduci nisi in Concilio oecumenico, non per hoc probatur validitas parvi decreti, nec per hoc probatur quod dissolutio seu translatio facta per quondam Eugenium, ut evitaret suam correctionem, debeat valere; nunc enim

k) fundunt.

non agimus, an Greci ſint vere reducti, ſed utinam eſſent vere reducti! ſed ſolum agitur: an valeat prima translatio facta per quondam *Eugenium* illa precipue quam fecit in eventum, ſi Concilium non deſiſteret procedere contra eum, ſuper illa enim fuit fundatum Concilium Ferrarienſe ac etiam ſi pretenderetur, quod propter adventum Grecorum quod tamen non eſt verum, ſatis ſupra reſponſum fuit.

Septimum motivum eorum eſt, quod Papa eſt judex fidei, unde tanquam judex poteſt determinare & ſolvere omnes queſtiones fidem tangentes *XXIIII. q.* 1. *hec eſt fides*, & per hoc dictum Evangelicum: ego pro te rogavi *Petre &c.* ad hoc motivum Reſpondetur, ut ſupra. primo quia ipſe non diſſolvit ut diffiniret queſtionem fidei, ſed ut inficeret factum fidei & auctoritatem Eccleſie & impediret proceſſum legitime inchoatum contra eum. Item quia Papa non eſt judex fidei in eo articulo, qui jam eſt declaratus per totam Eccleſiam & per multos ſummos Pontifices. nam ut ſupra dixi, Error Grecorum in triplici Concilio Generali fuerat condempnatus, unde ſi Papa vellet verbo aut facto expreſſe aut tacite, directe vel indirecte attemptare contrarium in continenti incideret in hereſin dampnatam & abſque alia ſententia poſſet tanquam hereticus puniri. *tex. alleg. in c. Anaſtaſius. XIX. di. & tex. cum gloſſ. in c. Achatius. XXIIII. q.* 1.

Octa-

Octavum motivum eſt, quod Papa non poterat ſine peccato mortali Grecos non audire & ſic illam reductionem non facere, quam facere non poterat, niſi in Concilio oecumenico, quod Greci poſtularunt. nam hoc pretermittendo veniebat contra preceptum divinum, paſce ſcilicet oves meas &c. ad hoc argumentum eſt pluries ſupra reſponſum. Ideo non oportet aliter reſpondere.

Ad Nonum & ultimum motivum, quod ex eo fundatum eſt, quia ante adventum Grecorum Concilium Baſilienſe infamaverat Papam turpiſſime per quoddam monitorium in magnum Eccleſie latine ſcandalum & contra omnem *l*) Caritatis ordinem ad Greciam miſit oſtendens ibidem Papam eſſe magnis criminibus irretitum, ideo oportebat, quod Papa ſe purgaret preſentibus Grecis, apud quos fuerat diffamatus, ſed cum Greci nollent venire *Baſileam* vel *Avinionem* ſed ad Italiam, oportuit Concilium transferri ad Italiam, & ad hoc adducunt adverſarij nonnulla ut dicunt ſummorum Pontificum exempla. qui pro eorum purgatione facienda vocaverunt ad ſe Concilia. Certe hoc Argumentum potuiſſet taceri pro eorum honore. primo, quia ſi Concilium miſiſſet extractum monitorij ad Grecos, non fecit hoc animo infamandi quondam *Eugenium*, ſed potius intentione aviſandi Grecos, ne irent cum Galeis quondam *Eugenij* dimiſſis Galeis ſacri Concilij, quia ex quo quondam Eugenius erat multipliciter denuntiatus ſacro Concilio tan-

l) communitatis.

tanquam notorius criminosus & jam citatio apprehendisset eum, non debebant pro illa causa fidei ad eum declinare sed potius ad sacrum Concilium, ubi ex sua natura illa causa debebat agitari.

Item esto, quod ipse quondam Eugenius ex transmissione illa monitorij fuisset infamatus apud Grecos, non tamen sequitur, quod propter hoc debebat Concilium convocari in presentia Grecorum. ex hoc enim sequeretur, quod judex deberet facere ex debito processum coram illis ipsis, apud quos reus est infamatus, quod tamen est falsissimum. nam Papa tanquam Principalis Minister Ecclesie de facili non infamatur apud unam gentem, sed apud multas nationes & quandoque apud totam Christianitatem, oporteret ergo secundum illud Argumentum Adversariorum, quod omnes de Christianitate deberent vocari ut videant purgationem, quod tamen falsum est, satis enim est, quod reus se expurget coram judice & si potest se expurgare, ejus purgatio mitti potest ad omnia loca, in quibus infamatus est, & sic potest tolli infamia. Ita punctaliter *m)* fecit Papa alias de quodam Episcopo ut probatur in *c. habet hoc proprium. ij. q. V.* quin imo est unus textus satis notabilis ad propositum in *c. statuimus. de offic. deleg. li. VI.* ubi dicitur, quod si judex deputatus in certo loco super aliqua inquisitione facienda contra reum pretensum non potest ibi commode suum exercere officium propter potentiam rei, quod potest immutare locum judicij sine consensu novo

Prin-

m) præsentialiter.

Principis delegantis ne quo modo possit inquisitio impediri & reus de sua malitia reportet commodum & per illius tex. rationem dico, quod nedum Concilium Basiliense ex hoc facto non debebat ad *Ferrariam* transferri, sed etiam si fuisset in *Ferraria*, cum Papa tunc habebat ibi magnam potentiam & maxime propter vicinos ibidem existentes legitime Concilium poterat se inde transferre & venire ad Alamaniam, ubi tutius potuisset contra eum procedere. quis enim tam levis capitis est, ut possit istud in mentem adducere, quod Patres sacri Concilij Basiliensis potuissent secure ivisse ad Italiam ad faciendum processum contra Italicum ita potentem in terrarum & amicorum potentia. preterea illa ratio concludet quoad omnes partes, in quibus Papa fuit infamatus, unde oportet quod Concilium prius transferetur in Hispaniam & ibi facta purgatione transferretur ad Alamanniam, ut purgaretur apud Alamannos & deinde in singulis provincijs, quod ridiculum est dicere aut cogitare. Ad exempla autem summorum Pontificum dico, quod verum est, quod summi Pontifices infamia respersi congregaverunt Concilia sponte ut purgarent se in illis, & quia actus ille erat spontaneus merito poterant ad se vocare Concilia, sed quod Concilium jam sedens & inchoans *n*) processum contra Papam teneatur, velit nolit, se transferre pro voto Pape, ut se expurget, hoc nullibi probatur, imo ratio refugit, quod reus posset ad se vocare judicem; Rei enim est obedire; judicis vero,

n) inchoatus.

vero, precipere ut *in c. 1. de judic. cum multis. si.* nam si Concilium vel alter judex tenetur se transferre pro voto rei, nunquam sequeretur debitus inquisitionis effectus. ut in c. statuimus. quin imo legimus Concilium evocasse Papam, ut se defenderet in Concilio 11. *q. VII. C.* It: *cum Balaam.* Item *Symachus.* Et temporibus nostris vidimus *Pisis* Generale Concilium congregatum evocasse & citasse quondam *Benedictum* & *Gregorium.* Idem vidimus *Constantie.* ridiculosum fuisset, quod *Benedictus* citatus transtulisset Concilium in Panistolam locum sue residentie ut purgaret se in *Kathalonia* ubi erat infamatus per citatorium Concilij. & idem possumus dicere de Papa *Johanne XXIII* cujus infamia plurimum degenerabat apud Italiam & tamen processus fuit factus in *Constantia.* & idem de similibus.

Et per hoc remanet firma conclusio luce clarius declarata, quod Concilium Generale universalem Ecclesiam representans fuit & hodie est in Civitate Basiliensi, illo parvo decreto paucorum & injusta & iniqua ac pretensa dissolutione seu translatione facta non obstante. & hoc de primo dubio.

Ad Secundum Principale Dubium.

An scilicet Concilium Basiliense potestatem legitimam ipsum quondam *Eugenium* citandi & processum reliquum contra eum faciendi usque ad depositionem inclusive habuerit? & idem queri potest

de

de quolibet Concilio Generali reſpectu cujusque ſummi Pontificis, multa & multa dici poſſent. Nam olim ante determinationem ſeu declarationem per illam magnam ſinodum Conſtantienſem factam multi circa hunc articulum tractatus & libelli a diverſis editi fuere, varia ſentientes circa poteſtatem Eccleſie. hinc etiam Glo. juris canonici plurimum variarunt in hac materia trepidantes ut patet *ex nõ. IIII. di. in iſtis. XV. di. ſicut XL. di. ſi Papa XCIII. di. legimus. XCIX. di ecce. IX. q. III. nemo XXIIII. q. I. quodcunque & C. a recta. & in Cle. ne Romani. de Elec. & in Cle. ad noſtrum. de heretic. in c. ſignificaſti. de elec. & c. licet. ej. tit. & c. propoſuit de Conceſſ. prebend. in c. ad honorem. de uſu pall. & in c. quanto de translat. Prela.* & idem per Doctores juris Canonici & in multis alijs locis. ſed cum hodie Concilium illud magnum, famoſum & Generale Conſtantienſe illam difficultatem declaravit, interpretationes varie Magiſtrorum ceſſare debent. nam dicta Doctorum non ſunt neceſſaria id eſt non neceſſitant ad tenendum hoc vel illud, licet ſint probabilia ut *nõ. in c. I. de poſtu. prela. & in l. I. C. de legibus.* ſed auctoritas Eccleſie bene neceſſitat, imo hereticus eſt cenſendus, qui tenet ſententiam ab auctoritate Eccleſie deviantem. ut *in c. hereſis. & c. hereticus & in c. inter hereſin XXIIII. q. 3. ad hoc tex. juncta gloſſ. nõ in Cle. I. de uſu & fa. c. abolende. de heret. & notanter dicit gloſſa in dicta Cle. I. in verbo hereticum*, quod non ſolum eſt hereticus male ſentiens de articulis fidei vel ſacramentis Eccleſie, ut in alleg. c. abolende,

de, *o*) ſed etiam qui perverſum habet dogma vel falſas vel malas opiniones gignit aut ſequitur contra doctrinam Ecclesie, ut in juribus proxime allegatis & in dicta cle. ubi hereticus judicatur qui pertinaciter affirmare preſumit, uſuram non eſſe peccatum. hoc enim eſt contra doctrinam Ecclesie, *de uſur. c. ij. & in c. ij. & in c. cum tu. in fi. ad idem eſt glo. nõ. in §. quia vero XXIII. q. iij. que ponit*, octo modis quibus quis dicitur hereticus & inter alios ponit illum cum quis male interpretatur ſcripturam ut in dicto cap. hereſis. Declaratio autem Conſtantienſis Concilij hanc queſtionem omnino diffinit loquens per hec verba formaliter: hec ſancta ſynodus Conſtantienſis Generale Concilium faciens & univerſalem Eccleſiam repreſentans declarat, quod ipſam poteſtatem habet immediate a Chriſto, cui quilibet cujuscunque ſtatus, conditionis vel dignitatis exiſtat, etiamſi Papalis, obedire tenetur in his, que pertinent ad fidem, extirpationem ſcismatis & reformationem Eccleſie in capite & in membris. Item declarat, quod quicunque cujuscunque ſtatus & conditionis exiſtat vel dignitatis etiamſi Papalis, qui mandatis, ſtatutis & ordinationibus ſeu preceptis hujus ſacre ſynodi aut cujuscunque alterius Concilij Generalis legitime congregati ſuper premiſſis ſeu ad ea pertinentibus factis vel fiendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condigne penitentie ſubijciatur & debite puniatur etiam ad alia juris ſuffra-

o) omiſſ. a verbis *ſed etiam* usque *ut in dicto cap. hereſis.*

ſuffragia, ſi opus fuerit, recurrendo. Hec verba formalia declarationis facte per illam magnam ſynodum, que quidem declaratio cum apertiſſima ſit quoad caſum noſtrum, de quo queritur, cuilibet hodie de Eccleſia ſemoto quocunque ſcrupulo ſufficere debet. nam ut dicit Jeronymus in diſputationibus ſuis contra Luciferianum, Poteram hoc unico ſole omnes tuarum argumentationum rivulos exſiccare & appellabat ſolem, auctoritatem univerſalis Eccleſie. & Auguſtinus in multis locis dixit, quod non crederet Evangelio, niſi eum auctoritas Eccleſie commoveret. Ita hodie poteſt dici cuilibet volenti in dubium vertere poteſtatem Eccleſie ſupra Papam; Cum autem ſacrum Concilium proceſſerit contra quondam Eugenium, non poteſt revocari in dubium de ejus poteſtate, quidquid nonnulli adverſariorum non valentes aliter ſubterfugere auctoritatem Eccleſie dicant quod Conſtantienſe Concilium illam declarationem fecit poſt fugam Joannis a Concilio Conſtantienſi & obedientie aliorum, qui ſe gerebant pro ſummis PP. *Gregorij* ſcilicet & *Benedicti* unirentur illi Concilio Conſtantienſi, quaſi velint dicere quod illud Concilium Conſtantienſe tempore declarationis edite non erat *p)* univerſale, ſed repreſentabat obedientiam duntaxat Joannis. ſed profecto iſte objectiones dignitatem ſeu auctoritatem illius conſtitutionis ſeu declarationis non enervant, quia preſuppoſito quod ita ſit, quod poſt fugam Johannis & ante unionem aliarum obedientiarum fuerit facta,

 atta-

p) erat utile.

attamen tota Ecclesia universalis postmodum ibi unita tacite multifarie approbavit. primo approbando depositionem Johannis, qui fuit depositus ob multa delicta notoria scandalizantia Ecclesiam; non autem potuisset deponi per Concilium, nisi ipsum Concilium habuisset in eum potestatem, quia inferior non habet jurisdictionem in superiorem, nec par in parem *ut in c. inferior. c. denique XXI. di. & in c. Innotuit. de elec. & in L. ille a quo §. tempestivum. ff. ad Trebell.* & si diceremus contrarium, sequeretur, quod Papa *Martinus* non fuit legitime electus, quia non vacabat Ecclesia ex defectu q) Pontificatus; & idem deceremus quoad ipsum quondam *Eugenium*, qui etiam ex illa origine sortitus est Apostolatum. Item si diceremus illud Concilium errasse in potestate universalis Ecclesie declarando in prejudicium prelationis Ecclesie Romane omnes illi Patres & eos sequentes incidissent in heresim. *ut in c. 1. XXII. di.* & sic dampnaremus totam obedientiam Johannis, que maxima erat, nam ei obediebat tota Germania, Italia & multe alie nationes. Item si incidisset in heresin, quomodo alie obedientie *Gregorij* scilicet & *Benedicti* univissent se & incorporassent illi Concilio contra *c. cum quibus. XXIIII. q. iij.* Item illa constitutio erat ibidem plus quam notoria & nunquam post unionem factam contra illam reclamatum fuit, imo fuit per totam Ecclesiam recepta tacito consensu, quia id, r) cui non resistitur, approbatur,

ut

q) defectu potestatis.

r) id cui non resistitur.

ut *in c. error. LXXX. di.* Item hoc probo efficaciori ratione: Concilium Basiliense fuit legitime institutum per Ecclesiam universalem & indubitatam & nihilominus illud idem decretum Constantiense recensuit & approbavit & confirmavit, & quod plus est, ipsemet quondam Eugenius in adhesione *s*) sua videtur illud approbasse cum dixit & professus fuit Concilium Basiliense fuisse legitime institutum & legitime continuatum ac congregatum extitisse pro extirpatione heresum, pace populi Christiani ac generali reformatione Ecclesie in Capite & in membris & pertinentibus ad ea, quod ultimum est bene notandum & hec jam approbatio & confirmatio illius constitutionis Constantiensis precesserat illam adhesionem, ergo multipliciter illa constitutio fuit approbata per Ecclesiam universalem, quin imo & si ipse quondam *Eugenius t*) noluisset consentire, attamen in his que concernunt fidem & reformationem Ecclesie & in pertinentibus ad illa judicium Concilij prefertur sententie Pape. *ut no. in dicto. c. Anastasius. XIX. di. & probatur in c. sicut. XV. di.* Nec fuga Johannis habuit impedire effectum illius declarationis, quia ut declaratum fuit in illo Concilio per illius fugam non desijt esse Concilium nec auctoritas Concilij fuit aliquatenus impedita; facit enim *u*) Papa

s) omiss. videtur illud approbasse cum dixit & professus fuit Concilium Basiliense fuisse &c. usque: *& hæc jam approbatio.*

t) voluisset.

u) omiss. *Papa.*

Papa ſe alienum recedendo ab univerſali Eccleſia ut *in c. alienus XXIIII. q.* 1. & ipſa Eccleſia in qua eſt jurisdictionis fundamentum, poteſt omnem poteſtatem Eccleſie exercere ſicut poteſt mortuo Papa. ut enim dicit notanter *Archid. in c. porro LXXVI. di.* poteſt Eccleſia mortuo Papa mutare formam ſacramentorum, preter formam conſecrationis panis & vini & baptiſmi, quia illa forma fuit inſtituta a Chriſto & ſic Eccleſia poteſt mortuo Papa etiam arduiſſima exercere *x)* & reformare, que facta fuerunt etiam tempore Apoſtolorum, quod eſt bene notandum. ſi enim jurisdictio Eccleſiaſtica non eſſet in Eccleſia tanquam in fundamento, non poſſet hoc attemptare mortuo Papa; Papa autem fugiens a Concilio habetur pro mortuo ſeu alieno. *ar. c. cum dilecti. de elec. & XVI. q.* 1. *ecce. & in dicto c. alienus.* Et ut illa declaratio Concilij Conſtantienſis & approbatio ſubſequens Concilij Baſilienſis non videatur edita ſine fundamento, corroborabo & juſtificabo illam omni fere jure divino ſcilicet, dictis nonnullorum ſanctorum corroborato, Apoſtolico, Pontificio, ex geſtis Conciliorum & ſic conſuetudine univerſalis Eccleſie Item ratione juris naturalis & civilis.

Jure autem divino favetur multifarie multisque modis & primo tanquam pro fundamento totius edificij inducitur illa auctoritas Evangelica, *Math. XVIII* ſi peccaverit in te frater tuus &c. dic Eccleſie, quodſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus, neminem Chriſtus exci-

x) omiſſ. *& reformare.*

excipit a judicio Ecclesie, sed illud constituit universale & supremum, universale, neminem excipiendo, supremum, cum nullum aliud judicium ultra illud preservaverit, sed absolute dixit, contempnentem illud judicium habendum pro Ethnico & Publicano, & quod includatur Papa, patet primo, quia loquebatur ipsi *Petro* & sic eundem voluit remittere judicio Ecclesie vel ad judicium Ecclesie. secundo, quia quilibet christianus appellatur frater etiam Papa *XI. q. iij.* adversarij. imo ipsi *Petro* dixit, si peccaverit in te frater Tuus & sic appellabat quemlibet fratrem *Petri.* Item Christus in Evangelio: Vos omnes fratres estis *y*) & ipsemet *Petrus* in Concilio dixit: Viri fratres &c. *ut Act. X. & hoc voluit gloss. in c. nemo. IX. q. III.* que dicit, quod cum Papa delinquit seu peccat, potest peccatum illius Ecclesie denuntiari secundum admonitionem Evangelicam: si peccaverit &c. dicit tamen hoc determinasse *in c. si Papa LX. di. & in illo c. si Papa.* firmat hoc idem cum determinatione, videlicet, quod de illo crimine Papa denuntiari potest, de quo potest accusari & non de alio, quia tunc inutilis esset talis denuntiatio. que verba diligenter sunt notanda; Papa autem accusari potest de heresi & quolibet crimine notorio ex quo scandalizatur Ecclesia & de eo est incorrigibilis ut *nō. gloss. in dicto c. si papa.* & cum hoc temperamento debet intelligi & limitari. *Hosti. in c. proposuit. de Concess. preb. & Hugo in c. si Papa XL. di.* qui aliter in hoc sensisse videtur.

y) omiss. a verbis: *& ipsemet Petrus* usque ad illa: *& ut tolleret Christus &c.*

Et ut tolleret Chriſtus dubietatem, ne forte appellatione Eccleſie veniret ſolus Papa, immediate poſt illa verba ſubjunxit: Amen dico vobis, quecunque alligaveritis ſuper terram, alligata erunt & in celo, & ſic aperte oſtendit, quod nomine Eccleſie intelligebat de omnibus apoſtolis, qui repreſentabant tunc Eccleſiam. Cum ergo Chriſtus neminem excepit a judicio Eccleſie, vana eſt gloſſa, que exceptionem vult facere de Papa ſine expreſſa auctoritate Chriſti. nam qui totum dicit, nihil excludit & ſicut indiffinite locutus eſt Chriſtus, ita indiffinite intelligere debemus *XIX. di. ſi Romanorum. & in c. ſolite. de major. & obe.* & ſileant hodie vane gloſſe in contrarium, cum hec opinio ſeu ille intellectus generalis ad illam auctoritatem fuerit approbatus in magna ſynodo Conſtantienſi, ubi erat tanta Magiſtrorum & Doctorum juris Divini & humani copia, ut tanta auctoritas virorum tam preclarorum in unum congregatorum deberet ſufficere etiamſi illud *z*) non fuiſſet univerſale concilium. Item *a*) concurrit auctoritas Concilij Baſilienſis, in qua omnes fere viri eminentes de chriſtianitate per ſe vel procuratores fuerunt incorporati, unde dicere contrarium nil aliud eſt, quam aſſerere omnes fuiſſe hereticos & Concilium illud erraſſe in fide, quod non eſt admittendum propter opiniones Magiſtrorum, qui varie locuti fuerunt.

Secundo hoc idem probatur illa auctoritate Dominica ad omnes Apoſtolos prolata: vos eſtis

ſal

z) omiſſ. *non.*

a) loco: Item. *ita occurrit &c.*

ſal terre, quod ſi ſal evanuerit, ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus &c. ex qua auctoritate Apoſtolorum neminem Chriſtus excluſit, quin imo Jeronimus Vir Clariſſimus aperte ſenſit illam auctoritatem habere locum etiam contra Papam. ut colligitur ex verbis ſuis *in c. non omnes epiſcopi ij. q. VII.* ubi inter cetera dicit, ſic non eſt facile ſtare in loco Petri & Pauli *b)* ſcilicet tenere Kathedram jam regnantium cum Chriſto, infatuatum ſal ad nihilum valet, niſi ut projiciatur foras & conculcetur a porcis. hec ſunt verba Jeronymi & ut ibi dicit gloſſ. infatuatum ſal, dicuntur ſtulti prelati, inſipidi in predicando fatui in delinquendo, qui ponuntur foras & ejiciuntur per depoſitionem ut conculcentur a porcis id eſt. a demonibus, & quanquam ibi reſpectu Pape non dicatur, per quem fiat illa depoſitio, attamen *gloſſa eſt nõ. in c. ſicut. ij. q. VII.* que dicit, quod ubicunque reperitur Papam poſſe judicari, intelligi debet per Concilium Generale. pro hoc *fa. ar. c. ſi Papa. XL. di.* ſimpliciter dicit, Papam poſſe judicari de hereſi & non dicit per quem, ſed Doctores intelligunt per Concilium ut *nõ. Ar. in c. in fidei. de hereti. li. VI. & eſt gloſſ. in c. nunc. XXI. di. ad idem gloſſ. in c. ſi duo LXXIX. di. in glo. in fi.* que dicit, Concilium convocandum in caſu ſcismatis & idem in ſimilibus eſt dicendum, ubicunque reperitur Papam poſſe judicari, ex quibus plurimum patet de preeminentia ſupra Papam.

 Tertio

b) loco: ſcilicet, *ſed.*

Tertio facit illa auctoritas c) Evangelica in qua Chriſtus loquens de ſe dixit Apoſtolis omnibus, nemine excluſo: Ego ſum vitis vera, vos palmites, ſi quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes & areſcet, & colligent eum & in ignem mittent &c quicunque ergo, ſit ille, Papa vel alius, qui d) recedit a Chriſto, ut puta, in hereſin confingendo, debet deponi ſeu eijci de facto ab Eccleſia, & ſi non vult ſe corrigere, debet tradi curie ſeculari, ut igne pereat. *de hereti. & c. ult. & ſa. quod nō. glo. in c. abolende. ej. tit.* reſpectu electionis Pape congregabitur Concilium ut proxime dixi. ſi enim Concilium non haberet auctoritatem ſupra Papam, fruſtrate eſſent iſte auctoritates, quoad Papam. nec obicit, ſi dicatur, quod fundamentum jurisdictionis Eccleſie eſt in Eccleſia univerſali & non in Concilio, quia de ipſo Chriſtus non fecit mentionem, dico enim, quod licet fundamentum jurisdictionis ſit in Eccleſia univerſali, quia tamen impoſſibile eſt congregare Eccleſiam univerſalem, cum conſiſtat in univerſitate fidelium. *de conſe. di. 1. Eccleſia.* quin imo unica eſt Eccleſia militans & triumphans *ut pl. nō. per Jo. An. poſt jo. mo. in c. fundamento. de elec. li. VI.* attamen Eccleſia ipſa univerſalis exercet jurisdictionem ſuam per Concilium ipſam repreſentans. hoc probatur *Act. XV.* ubi in illo Concilio Apoſtolorum in diffinitione dictum fuit: Placuit Apoſtolis & ſenioribus & toti Eccleſie ad innuendum, quod Concilium dicitur Eccleſia

c) auctoritas *annumerata* loco Evangelica.
d) qui recidit.

ſia repreſentatione, ſicut in ſimili dicit *glo. no. ſunt. ru. C. que ſit long. conſuet.* que dicit quod Concilium civitatis repreſentat totum populum. ad Idem *XV. q.* 1. *c.* 1. hoc clarius innuit Chriſtus, qui cum Petro dixiſſet: dic Eccleſie; ſtatim dirigendo verba ſua ad Apoſtolos dixit: Amen dico vobis, quecunque alligaveritis ſuper terram &c. innuens ipſos facere eccleſiam quod ad exercitium & per hoc *c. firmiter de ſumm. Trin. in fi.* ubi dicitur: quod deus tradidit claves Eccleſie Apoſtolis & ſucceſſoribus. *ad idem c. nova. de pen. & rem.*

Quarto corroborantur predicta per idem quod habetur *Jo. XX°.* nam poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus volens confirmare poteſtatem datam Eccleſie in perſonis Apoſtolorum, dixit: ſicut me miſit Pater & ego mitto vos, Accipite Spiritum ſanctum. unde non dixit: Mitto te *Petrum*, ſed mitto vos, ſcilicet, in eadem poteſtate, qua me pater miſit, unde ſuam poteſtatem omnimode neceſſariam ad regimen Eccleſie Chriſtus tranſmiſit in Eccleſiam & pro hoc dictum facit Doctiſſimi Viri *Cypriani in c. loquitur. XXIIII. q.* 1. ubi inter cetera dicit hec verba: Quamvis omnibus Apoſtolis poſt reſurrectionem ſuam parem tribuat poteſtatem & dicat, ſicut pater me miſit & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum, tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejusdem originem ab uno ſcilicet Petro incipiente ſua auctoritate diſpoſuit; & ſubjicit hoc, erant utique ceteri Apoſtoli, quo *Petrus* fuit, pari conſortio prediti & honoris

noris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiscitur ut Eccleſia Chriſti una monſtretur, quam unam Eccleſiam in Canticis Canticorum ex perſona Chriſti deſignat & dicit: una eſt columba mea &c. & poſt pauca ſubjicit, quam unitatem vendicare debemus maxime nos Epiſcopi, qui in Eccleſia Dei preſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum unum atque indiviſum probemus, nemo fraternitatem fallat, nemo fidei *e*) unitatem perfida prevaricatione corrumpat, Epiſcopatus unus eſt, cujus cum ſingulis in ſolidum pars tenetur. & advertendum, quod licet gloſſ. ibi dicit, quod omnes apoſtoli fuerunt pares in ordine, *f*) ſecus in Adminiſtrationis plenitudine. & idem *nõ. in c. novo. XXI. di.* ubi dicit clarius, quod in Adminiſtratione *Petrus* fuit major alijs. & notanda eſt gloſſa illa, qua non dicit, quod Petrus ſolus habuit adminiſtrationem, ſed quod fuit major in adminiſtratione. Alij ergo Apoſtoli in adminiſtratione Eccleſie habuerunt adminiſtrationem; nam Petrus prelatus fuit in exercitio ceteris Eccleſijs & membris omnibus de Eccleſia ut *in c. quamvis. XXI. di.* & hoc modo intelligitur *c. in novo. prealleg.* dum dicitur, quod Petro Pontificatus Eccleſie datus eſt, tamen fundamentum jurisdictionis Eccleſie totius eſt in Eccleſia univerſali per *hoc c. ita dominus. XIX. di.* ubi dicit, quod hujus muneris ſacramentum ita dominus voluit ad omnium Apoſtolorum officium pertinere, ut in Beatiſſimo *Petro* Apoſtolorum omnium

ſummo

e) fidei veritatem.

f) loco *ſecus* ſcilicet.

summo principaliter collocaret. & sunt verba Beati *Leonis*, est & ponderandum illud verbum principale, non enim dixit, quod voluit ad solum *Petrum* pertinere, sed ad omnes Apostolos, sed ad *Petrum* tanquam ad caput g) ministeriale seu politicum Ecclesie *h*). hic notanter dicit *Hugo in c. porro LXVI. di.* quod omnes Apostoli fuerunt Episcopi & Principes constituti super universam terram & promiscue indifferenter omnes ubique ministrabant, & notanda sunt hec verba presertim ultima. & idem notanter scripsit Augustinus super illo Prophete: Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram. ut habetur transsumptione *in c. quorum vices. LXVIII. di.* Ubi Urbanus querens quorum vices ipsi in Ecclesia habebant, inducit pro solutione Augustini auctoritatem, qui exponendo illa verba Prophete sic dicit: Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis namque filij nati sunt; hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt; ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit & ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Et loquendo Ecclesie universali ad quam locutus fuerat propheta in verbis predictis dicit idem *Augustinus* sic: non te putes desertam, quia non vides *Paulum*, non vides *Petrum*, quia non vides per quos nata de prole tua crevit tibi paternitas, pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram,

g) caput principale.

h) omissa multa sc. a verbis *hic notanter dicit Hugo &c.* usque ad illa *nec obstat si dicatur &c.*

terram, filios genuit Ecclesia & constituit eos Principes pro patribus suis super omnem terram. hec *Augustinus*. ex quibus verbis patet plurimum Excellentia Ecclesie. Item infertur, quod cum Papa vel alius instituit Episcopum, hoc facit tanquam minister Ecclesie, & Ecclesia per ipsum hoc dicitur facere; unde Ecclesia eos generat baptizando & alia sacramenta exhibendo. secundo eos eligit & instituit in Episcopos, & sic duplici capite Episcopi dicuntur filij Ecclesie. Possunt etiam dici patres Ecclesie, quia eorum predicatione & ministerio homines convertuntur ad fidem ut ibi legitur & notatur. nec obstat si dicatur quod Christus claves Ecclesiastice potestatis & discretionis dederit soli *Petro*, ut habetur *Math. XVI.* & tibi dabo claves regni celorum &c. ut ibi. & hoc idem confirmatur in dicto c. in novo & *in c. loquitur. & in c. aliorum IX. q. iij.* cum multis. & super illa auctoritate fundabant se communiter *i*) Assertores Pape, quia si ipse habuit potestatem super omnes, ergo a nemine judicari potest, quia inferior non ligat superiorem ut *in dicto c. inferior. & c. denique. XXI. di.* imo nec par in parem ut in dicto c. innotuit. Ad hoc enim dicendum, ut patet ex premissis, quod soli *Petro* non fuit data potestas quin imo, nec per illa verba: tibi dabo claves, fuit data aliqua potestas sed promissa, cum sint verba futuri temporis, & illa promissio de datione clavium fuit facta *Petro* gerenti tunc typum seu figuram Ecclesie universalis, & hoc voluit *Augustinus* in plerisque locis,

i) assentatores Papæ.

cis, habetur enim per eundem in lib. primo de doctrina Christiana C. XIIII. ubi sic dicit: Est Ecclesia corpus, sic Apostolica doctrina commendat que conjunx etiam dicitur. & paucis interpositis dicit, sic has igitur claves dedit Ecclesie sue ut quecunque solverit in terra, soluta essent & in celo. & clarius idem *Augustinus* super jo: sermone CXXV. loquens de Ecclesia sic dicit. hujus Ecclesie apostolus *Petrus* propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personarum, quod enim ad ipsum proprie pertinet. nam unus homo erat, *k*) unus Christianus abundantiori gratia, unusque idem primus Apostolus, sed quando ei dictum est: Tibi dabo claves regni celorum & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in celis & quodcunque solveris super terram erit solutum & in celis, universalem significavit Ecclesiam, que in hoc seculo diversis *l*) temptationibus velut imbribus, fulminibus & tempestatibus quatitur & non cadit, quoniam fundata est supra firmam petram, unde *Petrus* nomen accepit; non enim a *Petro* petra, sed potius a Petra *Petrus*, sicut non Christus a Christiano, sed Christianus a Christo vocatur. Ideo quippe ait dominus, super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, quia dixerat *Petrus*: Tu es Christus filius Dei vivi; super ergo hanc petram quam confessus es, edificabo Ecclesiam meam, petra enim erat Christus, *m*) super

hoc

k) omiss. *unus Christianus* usque *Apostolus*.

l) diversis tempestationibus.

m) propter hoc quippe fundamentum &c.

hoc quippe fundamento nemo aliud poteſt ponere, preter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Eccleſia ergo que fundatur in Chriſto, Claves ab eo regni celorum accepit, in petro, id eſt ligandi ſolvendique peccata. hec Beatus *Auguſtinus* ubi ſupra. pro hoc dicto Auguſtini vide *gloſſ. in c. Ita Dominus XIX. di.* ubi idem ſentit quod *Auguſtinus*, quoad expoſitionem illorum verborum: & ſuper hanc petram &c. & idem in effectu ſentit *Archi.* poſt alios dicens, ſic exponendo: ſuper hanc petram, quam confeſſus es, ſcilicet me, petra autem erat Chriſtus. *de Conſe. di. ij.* revera ſupra quod fundamentum fundatus erat Petrus & hoc eſt ipſa veritas, quia Eccleſia fundata eſt ſupra Chriſtrum juxta illud Prophete: & perfice eam quam plantavit dextera tua ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. ad idem *Auguſtinus in libro de fide ad Petrum c. ij.* ubi dicit: nunquam precanti indicta eſſet deprecatio pro peccato, ſi deprecanti non eſſet remiſſio concedenda, ſed poenitentia primo tunc peccatori prodeſt, ſi eam in eccleſia Katholica gerat, cui Deus in perſona *Petri* ligandi, ſolvendique tribuit poteſtatem, dicens: quecunque ligaveris ſuper terram erunt ligata & in celis. Ad idem idem *Auguſtinus* in libro de Agone Chriſtiano dicens, *n)* omnino enim ſine cauſa inter omnes Apoſtolos hujus Eccleſie Catholice perſonam ſuſtinuit *Petrus*, huic enim eccleſie claves regni celorum date ſunt cum Petro, & quod ei dicitur, ad omnes dicitur: amas me, paſce oves meas. & notanda

n) dicens: non enim ſive inter omnes &c.

tanda ſunt verba hec ultima permaxime illa, ſi amas me, paſce oves meas, ad omnes apoſtolos, videntur dicta; hinc ut arbitror Eccleſia in prefatione illa Apoſtolorum dicit belliſſime & notabiliter in materia noſtra: qui gregem tuum paſtor eterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos continua protectione cuſtodias, ut eisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contuliſti preeſſe paſtores. ex quibus verbis clare colligitur, quod omnes erant paſtores, & ſic paſtura fidei ad omnes pertinebat. Item ponderanda ſunt illa verba, quos operis tui vicarios contuliſti &c. ergo omnes apoſtoli fuerunt vicarij operis Chriſti & per conſequens omnes Epiſcopi qui ſucceſſerunt in locum Apoſtolorum *LVIII. di. quorum vices. & in c. in novo XXI. di.* & quod quilibet Epiſcopus ſit vicarius Chriſti, eſt *text. Ambroſ. in cap. muliere. XXX. q. V.* ſed fatendum eſt, quod *Petrus* in hac paſtura fuit major, quia non ſolum fuit paſtor ut ceteri ſed etiam paſtor paſtorum, quia ipſe habuit generalem Pontificatum per illa verba: paſce oves meas. ut *in c. ſignificaſti. de elec.* unde ad omnes referuntur illa verba, ſed ad Petrum tanquam ad primum & ob hoc quia primus erat inter Apoſtolos, dignum fuit, ut gereret perſonam Eccleſie in promiſſione vel datione clavium, tamen fundamentum jurisdictionis eſt in ipſa eccleſia, unde *Petrus* recepit tanquam principalis miniſter Eccleſie, licet a Deo immediate, quia recepit pro ſe & Eccleſia & ſic pro omnibus de Eccleſia, ut ſatis ſentit *Auguſtinus* in locis preallegatis, & ſic poteſt

ſalvari

ſalvari dictum *Gratiani in c. ſi autem poſt. c. audivimus XXIIII. q.* 1. ubi dicit, quod cum omnibus diſcipulis parem ligandi atque ſolvendi poteſtatem daret *Petro* pre omnibus & pro omnibus claves regni celorum, ut exponamus illa verba, ut receperit pro omnibus, id eſt, in perſona omnium & pro omnibus, quia magis recepit ipſe quam alij ſinguli ſingulariter, quia *Petrus* prefuit & prelatus eſt omnibus membris Eccleſie ut *in c. quamvis. XXI. di.* ubi dicit tex. quod quamvis univerſe per orbem Catholice Eccleſie conſtitute unus thalamus Chriſti fuit, tamen ſancta Romana Eccleſia Catholica & Apoſtolica nullis ſinodicis conſtitutis ceteris Eccleſijs prelata eſt, ſed Evangelica voce Domini & ſalvatoris noſtri primatum obtinuit, tu es, inquit Dominus, *Petrus.* & ſic ponderandus tex. cum dicit, quod ceteris Eccleſijs prelata eſt Eccleſia Romana. Item ad hoc fa. glo. ord. ſuper illud *Math. XVI. c.* Tibi dabo claves regni celorum &c que ſic inquit ſpecialiter eam poteſtatem Petro conceſſit, ut ad unitatem nos invitaret; ideo enim Principem Apoſtolorum conſtituit ut Eccleſia unum Principalem Jeſu Chriſti haberet vicarium, ad quem diverſa membra Eccleſie recurrent, ſi forte inter ſe diſſentirent, quod ſi diverſa capita eſſent in Eccleſia, unitatis vinculum rumperetur, que ſunt verba notanda, & preſertim ibi ad quem diverſa membra Eccleſie concurrerent &c. quaſi primatus Petri fuit principaliter propter diverſa membra & particulares de Eccleſia, non autem quod ipſe ſolus poteſtatem recepiſſet, ſed pro omnibus illam

recepit,

recepit, sed ipse ut principalis minister, ut predixi, & sic possunt salvari infinite auctoritates sanctorum, ex quibus extolluntur adversarij in eo, quod videntur innuere quod solus Petrus habuit Primatum super omnes Ecclesias & ipse solus fuit Vicarius & fuit cuncte Ecclesie Prelatus. pro quibus *fa. c. ij. XXII. di. & L. di. c. considerandum & c. fidelior*, cum multis similibus, debet enim intelligi modo predicto, quod ipse recepit claves pro omnibus & pro se, sed ipse fuit principalis minister, cum nullus Apostolorum preter o) eum fuit prelatus ceteris membris Ecclesie, sed ipsa ecclesia in qua est jurisdictio tanquam in fundamento habet plenitudinem potestatis. pro hoc. fa. ad idem dictum Rabani, qui fuit Doctor excellentissimus in loco preallegato, ubi inter cetera sic dicit: hec autem ligandi atque solvendi potestas quamvis soli *Petro* data videatur a Domino tamen & ceteris Apostolis datur, nec non etiam nunc & Episcopis & presbyteris omnibus Ecclesie &c. & pro principali consideratione, quod potestas Ecclesie omnimoda sit in Ecclesia tanquam in fundamento, est etiam dictum *Jeronymi XXIIII. q. 1.* ubi sic dicit: omnibus consideratis puto me non temere dicere alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem Domus Dei, que dicitur edificium super firmam petram, que unica columba vocatur seu appellatur, que sponsa pulchra sine macula & ruga & hortus conclusus & fons signatus & puteus aque vive & paradisus, cum fructu pomorum,

o) propter eum.

rum, que domus etiam claves acceperit ac potestatem ligandi & ſolvendi hanc domum, ſi quis corrigentem corripientemque contempſerit, ſit tibi, inquit, tanquam Ethnicus & Publicanus. de hac domo dicitur: Domine dilexi decorem domus tue & locum habitationis glorie tue & qui habitare facit unanimes in domo &c. que omnia verba diligentiſſime notanda ſunt, nam clariſſime innuunt, quod Eccleſia vera veriſſime recepit claves & non ſolum Petrus, quod ipſa Eccleſia habet exercitium clavium, quando illis vult uti, ut patet ex illis verbis: hanc domum corrigentem contempſerit &c. ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus &c. Item tex. Jeronymi plurimum confundit motivum quorundam, qui non valentes ſubterfugere, quod Petrus recepit claves pro Eccleſia principaliter dicebant verum eſſe, quod jurisdictio Eccleſiaſtica eſt in Eccleſia tanquam theſaurus in arca, ſed Petrus fuit ille, qui recepit claves ut aperiret arcam, quando ſibi videtur, quaſi innuant, quod exercitium poteſtatis fuit conceſſum ſoli Petro, licet poteſtas in habitu fuit data Eccleſie. ſed per hunc textum Jeronymi aperte confunditur illorum opinio. ad idem tex. Chriſti in Evangelio, dum dixit: dic Eccleſie, & volens denotare, que eſſet illa Eccleſia, immediate ſubjunxit ad omnes Apoſtolos: amen dico vobis, quecunque ligaveritis ſuper terram. ergo etiam exercitium fuit ceteris Apoſtolis collatum repreſentantibus Eccleſiam, quam poteſtatem exercet eccleſia per miniſtros ſuos, unde eccleſia exercet, cum Epiſcopus ex-

commu-

communicat, vel presbyter absolvit in foro anime. ad hoc facit optime dictum Chrysostomi super illud *Math. XVIII.* quod si te non audierit, dic Ecclesie, exponit sic: Ecclesie, id est his qui president Ecclesie, vel dic toti Ecclesie ut majorem erubescentiam patiatur, & post hec omnia sequatur excommunicatio, que fieri debet per os Ecclesie, id est, per sacerdotem excommunicantem, quo excommunicante tota Ecclesia cum eo operatur, & hec verba ultima sunt plurimum notanda, hinc dicit canon, quod Episcopus est in Ecclesia & Ecclesia in Episcopo, unde appellatione Ecclesie venit Episcopus *VII. q. 1. sa. c. requisisti. de testam.* potest etiam dici: dic Ecclesie, id est, Concilio Generali, quod representat totam Ecclesiam ut aperte patet *Act. XV.* & inter ceteros expositiones hanc etiam ponit *Archi. in cap. precipue XI. q. iij supra alleg.* quod etiam patet, quia Concilium nomine Ecclesie exercet jurisdictionem omnimodam tam excommunicando quam aliter diffiniendo & statuendo ut *in c. certum, XI. q. iij. & c. si quis Episcopus. de heret. & c. 1. de judic. sa. c. 1. de spon.* & plenius hunc articulum attingam cum pervenero ad gesta Conciliorum & ex istis confunditur aperte opinio illorum qui dicebant, quod solus *Petrus* accepit potestatem jurisdictionalem, alij autem Apostoli receperunt potestatem parem in ordine, hoc enim falsum est, ut patet ex predictis. nam reclamatio, que fit in Ecclesia juxta salvatoris vocem, dic Ecclesie, aperte sapit jurisdictionem contentiosam, & idem patet per diffinitiones & sententias etiam

excommunicationum latas per Concilium Generale, ut dicam infra in gestis Conciliorum, hinc est quod *Paulus* Apostolus post Concilium Apostolorum, de quo *Act. XV.* perambulans Syriam & Galiciam mandabat custodiri mandata Apostolorum & seniorum. unde notanda sunt illa verba: precepta Apostolorum, que sapiunt jurisdictionem contentiosam. Item ponderandum est illud verbum: & seniorum, non enim solum mandabat servari precepta Apostolorum, sed & seniorum, id est, aliorum presbyterorum, ut colligitur ex verbis consultationis, que habentur *Act. XV.* in eo quod fuit missum ad Apostolos & presbyteros & facit ad factum Concilij Basiliensis, ex quo in Concilio incorporati fuerunt non solum Episcopi sed etiam inferiores, quod omnes simul tanquam facientes Concilium & representantes Ecclesiam universalem habent potestatem Ecclesie & possunt facere statuta & precepta & jurisdictionem exercere. unde ibidem dicitur: visum fuit Apostolis & senioribus & toti Ecclesie &c. quasi illi representarent Ecclesiam existentes in Concilio, quod est bene notandum. Item fa. quod habetur *Act. XVI.* cum enim *Paulus* & *Timotheus* transibant per civitates, tradebant eis custodire dogmata, que erant decreta per Apostolos & seniores qui erant in Jerusalem, & ponderandum est illud verbum, decreta, quod sapit jurisdictionem contentiosam. juxta *nō. in c. fi. de temp. ordi. & in c. ij. de judi. & iij. di. hec & si legibus. fa. glo. in di. iij.* ad idem facit quod habetur in Evangelio Math. dum dixit

Jesus

Jesus discipulis suis: amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes judicantes XII. tribus Jsrael &c. judicabit ergo Jesus in fine seculi cum Apostolis omnibus totum orbem, sic & fortius dicendum est in hac Ecclesia militante, ut ipsi apostoli & Episcopi eorum successores habeant jurisdictionem cum Papa, licet Papa sit principalior. *ar. in c. ad hec. LXXXIX. di.* que omnia faciunt ad innuendum, quod claves non fuerunt date seu promisse soli Petro, nam hoc est falsum, ut supra probatum est, & idem latius infra dicetur, ergo Petrus gerebat personam Ecclesie, hoc Argumentum videtur facere *Augustinus* super Jo. cujus verba ponuntur in *c. quodcunque XXIIII. q.* 1. ubi sic dicitur: quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in celis; dicit enim *Augustinus*, si hoc *Petro* dictum est, non hoc facit Ecclesia, si autem in Ecclesia fit utique que & in terra ligantur & in celo ligantur & que solvuntur in terra, soluta sunt in celo, quia cum excommunicat ecclesia in terra, in celo ligatur excummunicatus, cum reconciliat ecclesia, in celo solvitur reconciliatus. & subjicitur, si ergo hoc in Ecclesia fit, *Petrus* quando claves recepit, Ecclesiam sanctam significat &c. que verba sapiunt idem cum verbis Jeronymi preallegatis ut etiam exercitium clavium competat Ecclesie. ad idem est dictum *Leonis* Pape in sermone de beatis Apostolis, ubi dicit, quod jus *p*) hujus potestatis & decreti constitutio ad omnes Principes Ecclesie commeavit, sed non

 frustra

p) vis hujus.

frustra uni conceditur, quod omnibus intimatur, Ecclesie ergo date sunt claves principaliter. ad idem est *Rabanus*, qui sic dicit: quamvis soli Petro hec potestas videatur data, ceteris tamen Apostolis dabatur teste Christo qui in eos sufflavit dicens: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. & glo. ord. super illud ad *Ephes. IIII.* quosdam quidem dedit Apostolos, dicit glo. vice Christi predicantes, ac omnium ordinationes & judices. pro quibus facit illud, quod canit Ecclesia in hymno Apostolorum: Vos seculi justi judices & vera mundi lumina. & in alio hymno: Ecclesiarum Principes, belli triumphales duces, celestis aule milites & vera mundi lumina. derisio enim est dicere, quod solus Petrus receperit potestatem. ad idem *c. firmiter de summ. Trin.* quod fuit editum in Concilio Generali, ubi dicitur, quod Christus dedit claves apostolis & eorum successoribus &c. & de successoribus Apostolorum videnda est *glo. in c. videntes. XII. q.* 1. facit etiam ad predicta *c. nova. de penit. & remiss.* ubi dicitur, quod licet beata virgo fuerit excellentior omnibus Apostolis, non illi sed istis Christus tradidit claves regni celorum, multeque alie auctoritates ad idem possent allegari, quas brevitatis causa obmitto, quia in idem coincidunt; tamen non obmittam, quod est opinio multorum Magistrorum universitatis satis eminentis, quod licet Christus promiserat se daturum claves Petro per illa verba: Tibi dabo &c. quia gerebat tunc Petrus vices Ecclesie, non legitur, quod postmodum dederit sibi realiter

illas

illas claves promiſſas in perſonam Eccleſie contulit poſtea toti Eccleſie in perſonis diſcipulorum. nam *Math. XVI.* dixit Petro illa verba: Tibi dabo &c. & ſucceſſive *Math. XVIII.* dedit Eccleſie, dum dixit, dic Eccleſie. & ſubjunxit referendo ſe ad omnes Apoſtolos tunc Eccleſiam repreſentantes: Amen dico vobis, quecunque alligaveritis ſuper terram &c. unde ponderandum, quod inter diſcipulos Chriſti ſepe fuit facta contentio, quis eorum videretur eſſe major, & Chriſtus tunc aperte non reſpondit, ſed adducebat eos ad humilitatem dicendo: Reges terre dominantur eorum &c. vos autem non ſic, ſed qui voluerit eſſe major, fiat ſicut minor &c. ſed poſtmodum ſucceſſive contulit ſe ad Eccleſiam principaliter dicens Petro: ſi peccaverit in te frater tuus dic Eccleſie. & hec Magiſtrorum iſtorum opinio ſatis poſſet eſſe probabilis, intelligendo tamen ut ſupra dixi, poteſt etiam teneri quod Petrus habuit ſed nomine Eccleſie & quod ipſe *Petrus* accepit pro ſe & pro omnibus de Eccleſia declarando ut ſupra tetigi, hanc ſententiam in effectu tenuit Magiſter & Dominus meus Dominus *Franciſcus de Zabarellis* olim Cardinalis Florentinus, qui in ſuo tractatu de ſcismatibus inter cetera dixit, quod licet Petrus fuit princeps Apoſtolorum, tamen plenitudo poteſtatis non fuit in eo ſolo ut patet *Act. XV.* nam in illo concilio Apoſtorum *Petrus* tanquam unus de congregatione harengavit & poſt ipſum Jacobus & ſicut ambo conſulerunt, ita congregatio cenſuit; nec reſponſio data fuit ſub perſona *Petri* ſed congregationis, unde

epiſtola reſponſionis, de qua ibi agebatur, incipit ſic: Apoſtoli & ſeniores Patres his qui ſunt Antiochie & infra: viſum eſt Spiritui ſancto & nobis &c. & hinc mos antiquus habuit, quod omnia difficilia terminabantur per Concilium, per quod crebro fiebat poſtea, non quod ſummi Pontifices, qui magis ad modum terrenorum principum quam Apoſtolorum eccleſiam rexerunt non curarunt facere Concilia, ex qua obmiſſione prodiderunt multa mala & ex his urget aperte quod illud quod Papa habet plenitudinem poteſtatis debet intelligi, non ſolus, ſed tanquam caput univerſitatis, ita quod ipſa poteſtas eſt in ipſa univerſitate tanquam in fundamento, ſed in Papa eſt tanquam in Principali miniſtro per quem hec poteſtas explicatur, ita tamen, quod precedat clavis diſcretionis ut eleganter, dicit Innoc. in c. quanto de jur. jur. & facit quod nō. per eundem *in c. quod ſuper his. de voto. & eſt glo. in c. ad apoſtolice de re judi. li. VI.* q) & *bene fa. tex. in* § 1. *XX. di.* qui dicit, quod per alteram clavium declaratur ſcientia diſcernendi inter lepram & lepram, in altera vero poteſtas rejiciendi aliquos ab Eccleſia vel recipiendi, que ſunt verba notanda & hoc in preſentiarum ſufficiat dixiſſe quoad primum, ſive de jure divino nonnullorum dictis Doctorum roboratis, per que defenditur illa declaratio Concilij Conſtantienſis ſuper poteſtate Eccleſie ſuper qua defenſione principaliter nunc noſtra verſatur intentio.

Nunc

q) omiſſ. *& bene fa. tex.* usque *& hoc in preſentiarum &c.*

Nunc ad ſecundum, videlicet, ad jus Apoſtolicum condeſcendens adduco principaliter auctoritatem illius qui fuit vas electionis & Capitaneus in doctrina Eccleſiaſtica, videlicet Pauli Apoſtoli, qui ad *Rom. XIII.* inſpiratione quadam Spiritus ſancti dixit: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita &c. a qua univerſitate nec Pape anima excipitur. ſi enim Papa non ſubeſſet Concilio, tunc falſum eſſet dictum Apoſtoli: omnis anima &c. quia qui totum dicit, nihil excludit. *ut c. ſolite. de Maj. & obe. XIX. di. ſi Romanorum.* nam ſi Papa ſit ſubjectus Concilio, nulla anima relinquitur in hoc ſeculo que non ſit ſubdita ſublimiori poteſtati & quod ita generaliter debeat intelligi dictum Apoſtoli. *fa. illud Jeronymi XCIII. di. legimus.* ubi loquitur de auctoritate & non de terrarum ſpatijs, dixit, ſi auctoritas queritur, orbis eſt major urbe, quaſi dicat, quod tunc poteſtas Eccleſiaſtica ſit in Eccleſia tanquam in fundamento & in corpore Chriſti & Eccleſia Romana ſit de corpore Eccleſie univerſalis ut dicit *glo. nõ. juncto tex. Gregorij in c. Eccleſie. XCIX. di.* ſequitur. quod ſi Papa errat ſeu aliter ſuis pravis actibus ſcandalizat eccleſiam providere debet circa hoc eccleſia univerſalis tanquam major & comprehendens in ſe omnem poteſtatem eccleſiaſticam & pro hoc faciunt ſcilicet que dixi in precedenti membro. ſuadent etiam hunc Generalem intellectum varia & mirifica & ſublimia nomina que in varijs ſcripture locis Eccleſie attribuuntur. nam quandoque ipſa Eccleſia appellatur mater *Eccli XXIIII.* Ego mater pulchre dilectio-

 nis

nis &c. & tex. appellat Ecclesiam matrem etiam Pape & omnium membrorum Ecclesie *XII. q. ij. qui abstulerit.* ubi *Anacletus* Papa & Martir sic inter cetera dicit, Pater noster est sine dubio Deus, qui nos creavit, mater nostra Ecclesia est, que nos in baptismo regeneravit. ad idem c. recurrat *XXXII. q. IIII. & c. quorum vices LXVIII. di.* ubi *Augustinus* super illo verbo psalmiste: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram, bellissime dicit, quod per illa verba apparet, quorum vices in Ecclesia *r*) ipsi gerant & quis eis hanc dignitatem dare debeat, nam Patres fuerunt Apostoli, pro Apostolis namque filij nati sunt & constituti sunt Episcopi; hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum, unde nati sunt, ecclesia enim illos genuit & ipsa Ecclesia illos constituit in sedibus Patrum & subjungit loquendo ecclesie universali, non te ergo putes desertam; quia non vides *Paulum*, non vides *Petrum*, quia non vides illos per quos nata es de prole tua crevit tibi paternitas, pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram, filios genuit Ecclesia & constituit eos pro patribus suis principes super omnem terram, si ergo universalis Ecclesia genuit per baptismatis sacramentum & Papam & omnes Episcopos & eos constituit in sedibus Patrum in locum Petri scilicet & aliorum Apostolorum manifeste patet preeminentia Ecclesie universalis ad Papam & ad omnes episcopos & Reverentiam, quam debet Papa & omnes Episcopi

r) Ecclesia Episcopi.

Episcopi ad Ecclesiam universalem, *s*) sunt enim Papa & alij Episcopi filij Ecclesie ex duplici capite, primo, quia ipsos per baptismum & alia sacramenta regeneravit, secundo, quia ipsos elegit & instituit in eorum dignitatibus ut in dicto *c quorum vices. & ibi nō. hinc* idem *Augustinus in libro de symbo. tractatu quarto:* si quis ab Ecclesia separatus inventus erit, alienus erit a numero filiorum Dei, nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam suam noluit habere in matrem. & ideo dicit *tex. in dicto c. qui abstulerit.* Pater noster sine dubio est Deus, qui nos creavit, mater nostra est Ecclesia que nos in baptismo regeneravit, & hanc Ecclesiam representat Concilium Generale ut sepe numero supra dixi. Item dicitur Regina tanquam sponsa illius qui dicitur Rex Regum & Dominus Dominantium *t*) *Apoc. I. & XXI.* vidi civitatem magnam Jerusalem novam descendentem de celo tanquam ornatam viro suo & advertendum, qualiter Propheta describit Ecclesiam, dicit enim sic in *ps. XLIIII.* astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, dicitur enim assistere a dextris Christi, ad denotandum ejus potestatem, sicut de filio dicitur quod sedet ad dexteram patris. dicitur vestita vestitu deaurato propter ejus pre alijs excellentiam. describitur circumdata varietate propter diversitatem prelatorum & aliorum membrorum Ecclesie, sicut varij & diversi ordines inferiores

s) omiss. *sunt enim Papa* usque, *hinc idem Augustinus.*

t) cap. potest XXI. dist. vidi &c.

riores & ſuperiores ut in *c. ad hoc LXXXIX. di. & omnes ſunt ad decorem Eccleſie.* unde *Auguſtinus* tractans illud *prov.* ult. ſc. mulierem fortem quis inveniet, procul & de ultimis finibus pretium ejus &c. dicit per mulierem fortem debere intelligi Eccleſiam & inter ceteras laudes dicit, quod ipſa Eccleſia pretioſior omnibus ſuis lapidibus pretioſis vocat *u*) lapides pretioſos filios & ſanctos ejus, unde dicit, quod quantumcunque ſit, vilis ipſe tamen ſi lapis pretioſus, pretioſius eſt ornamentum, cujus eſt, quia omnis lapis pretioſus eſt ornamentum ejus & ipſa eſt pretioſior omnibus lapidibus pretioſis. ſi autem Papa non eſſet ſub Eccleſia & de corpore ejus non eſſet Eccleſia pretioſior omnibus lapidibus pretioſis, non eſſet ornamentum Eccleſie. Item advertendum, quod Eccleſia appellatur Regina, ut ſupra. Item Domina & Princeps ut in Deploratione Jeremie: Domina Gentium facta es ſub tributo & habetur tranſumptive *in c. non minus. de Immun. Eccleſ. non ideo. ne cle. vel mon.* ibi Princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo &c. Papa autem & ceteri Prelati dicuntur diſpenſatores & non Domini. unde Apoſtolus: ſic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores *x*) miſteriorum Dei, hic jam queritur *y*) inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur &c. *z*)

hinc

u) vocatque pretioſas ſanctis ejus, unde dicit &c.
x) miniſtrorum.
y) quæritur diſpenſator, ut &c.
z) omiſſ. a verbis *hinc notanter* usque *ſi ergo Eccleſia.*

hinc notanter dicit *Inno. c. cum super. de caus. poss. & propr.* quod bona Ecclesiarum dicuntur Pape & Prelatorum quoad administrationes sed ad Ecclesiam universalem pertinent quoad Dominium & possessionem, que Ecclesia nunquam moritur, nec potest esse nulla, quod est notandum. si ergo Ecclesia est Domina, est Regina, est sponsa & uxor Christi, ergo ubi opus est, *a*) potest exercere jurisdictionem supra Papam; valet enim Argumentum ab Ethymologia vocabuli *XII. q.* 1. *duo sunt genera cum multis* & ex his potest inferri, quod etiam jure prophetico illa constitutio seu declaratio Concilij Constantiensis comprobatur, cum Prophete previderunt Ecclesiam esse futuram Dominam, Reginam & sponsam & conjugem. Item facit illud, quod de Ecclesia dicitur: Terribilis ut castrorum acies ordinata *Cant. VI. b*) que sic propter nimiam potentiam nuncupatur.

Secundo principaliter juvatur illa auctoritas & superioritas Ecclesie ex gestis omnium Apostolorum. Reperitur enim apostolos fecisse quatuor Concilia & inibi totam congregationem disposuisse & determinasse ardua nomine congregationis & non nomine solius *Petri*, quod utique Apostoli, cum Spiritum sanctum *c*) visibiliter accepissent, minime *d*) attemptassent, nisi scivissent jurisdictionem

a) *potest* omiss.

b) omiss. *que sic* usque *secundo.*

c) verisimiliter.

d) minime acceptassent.

nem illam competere *e*) Ecclesie. Ar. IX. q. ij. Lugdun: non enim valet sententia, quando verus *f*) judex assumit sibi alium tanquam conjudicem & ambo ferunt sententiam, unde habet locum illud: quod noluit potuit & quod voluit adimplere nequivit. ut *in c. cum super. de Offi. dele.* in primo ipsorum Apostolorum Concilio, de quo *Act. primo*, ubi tractatum fuit de surrogatione *Mathie* in locum *Jude*, licet *Petrus* tanquam ceteris honorabilior factum proposuisset & persuasisset, sic faciendum, unde ibi dicitur &c. surgens *Petrus* in medio fratrum &c. actus tamen & dispositio, que videntur jurisdictionem & potestatem denotare cum fuerint omnibus communes. dicitur enim ibi de omnibus, quod statuerunt duos & dederunt eis sortes, & cecidit sors super Mathiam. non enim ibi dicitur, quod solus *Petrus* illos duos elegerit & sortem posuerit super eos. & *fa. nō. illud CXIII.* ad probandum quod totum Concilium potest providere de Episcopatu; nam de Episcopatu Jude tunc agebatur; unde Petrus tunc allegavit illud Psalmiste: & episcopatum ejus accipiet alter. In secundo vero Concilio, de quo Act. VI. hec auctoritas non minus clare conscribitur; nam ibi dicitur quod XII. apostoli convocantes multitudinem discipulorum dixerunt: non est bonum nos relinquere verbum Dei & ministrare mense, considerate ergo ex vobis septem viros boni testimonij plenos Spiritu sancto, quos constituamus super hoc opus & ita ibidem dicitur, quod

e) omiss. Ecclesiæ.

f) reus judex.

quod electis imposuerunt manus; constat autem, quod hec manus impositio denotat auctoritatem. & ex his possunt inferri duo notanda: primo, quod etiam inferiora ministeria possunt conferri per Concilium Generale, & quod Concilium Generale potest disponere de alio Concilio futuro & facit hoc ad firmandam Constitutionem in *c. frequens* editam in Concilio Constantiensi. In tertio vero Concilio, de quo *Act. XV.* magis patet & relucet auctoritas Conciliorum; nam cum dubitaretur: an conversi ad fidem debeant circumcidi & esset magna contentio inter quosdam de Ecclesia, questio decidenda fuit delata ad Apostolos & seniores qui erant in Jerusalem, & in tractatu illius *Petrus* proposuit questionem & dixit, quid sibi videbatur, sicut fecisset quilibet de Ecclesia, neque solus judicavit. Jacobus autem secundo proposuit & usus est verbo judico. unde nonnulli voluerunt dicere, quod Jacobus tulit sententiam, quam approbavit tota Ecclesia. sed quidquid sit, sive verbum judico exponitur id est sentio, vel judicium meum existimo, secundum quod ipsi duo proposuerunt & concluserunt totum Concilium judicavit, unde diffinitio non fuit facta sub nomine Petri vel sub nomine Jacobi, sed totius congregationis, ut visum est Apostolis & senioribus & toti Ecclesie &c. ut plenius habetur in *illo XC.C.* non enim poterat tunc questio esse difficilior, cum tangeret fidem & esset magnus rumor in Ecclesia & tamen questio fuit delata ad totum Concilium & non ad solum g) *Pe-*

trum.

g) solum Papam.

trum. si enim potestas Ecclesiastica non esset in Ecclesia tanquam in fundamento, nullo modo isti viri sancti hanc rem attemptassent, nec Spiritus sanctus dimisisset eos errare. In quarto etiam Concilio de quo *Act. XXI.* idem potest colligi; fuit enim injunctum *Paulo* a tota congregatione seniorum, ut deberet se conformare in Cerimonijs legis Mosayce propter scandalum tunc imminens, de quo dicendum, ut ibi plenius habetur, unde ibi dicitur: Fac *Paule* quod tibi dicimus, & ita Paulus fecit & sic tota congregatio usa est illa potestate & auctoritate, facit etiam quod habetur *Act. VIII.* ubi *Petrus* ipse acquievit ordinationi Apostolorum, ubi dicitur, Apostoli miserunt eum & *Johannem* ad civitatem *Jerusalem*, ut patet ibi, miserunt ad eos *Petrum* & *Johannem*; ex quibus omnibus patet propositum nostrum quod etiam juri Apostolico & etiam Prophetico potest illa auctoritas Ecclesie approbari & sic defendi illa declaratio Concilij Constantiensis.

Dixi tertio, quod potest approbari illa declaratio Concilij Constantiensis magis specifice in omnibus suis tribus partibus jure Pontificio. & primo quod Concilium sit supra Papam in casu heresis. probatur *in c. si Papa XL. di. ad idem tex. juncta gloss. in c. nunc. XXI. di. & in c. Anastasius. XIX. di. & est tex. juncta gloss. in c. si duo contra fas. LXXIX. di. & per intellectum illius c. si duo, est singulariter notanda glossa in c. si forte. LXIII. di. in ℣ ut nullus.* que allegando illud *c. si duo.* videtur singulariter sentire, quod occasione scandali

vitandi,

vitandi, si reperiuntur due electiones facte de diversis personis pro summo Pontifice, potest Concilium utramque cassare, & debet intelligi quod altera tenebat, alias nihil operaretur consideratio scandali, quod apertius sentit *Hug. in c. si duo contra fas. LXXIX. di.* facit quod in simili *nō in c. nisi cum pridem. de Renunt.* ex quibus apparet, quanta sit auctoritas Ecclesie.

Quoad tertium casum contentum in dicta constitutione Constantiensi, scilicet de superioritate in concernentibus reformationem Ecclesie in capite & in membris, facit optime dictum Gregorij in *c. sicut XV. di.* nam *Gregorius* licet Papa & vir sanctissimus dixit & confessus est, se suscipere illa quatuor Concilia principaliora sicut sancti Evangelij quatuor libros, dicens se illa amplecti tota devotione & integerrima approbatione custodire subjiciens rationem; quia in his velut in quadrato lapide sancte fidei structura consurgit & cujuslibet vite & actionis norma consistit & diligenter ponderanda sunt hec verba pro ratione posita, quia non solum comprehendunt venerationem Conciliorum in causa fidei per Papam habendam, sed etiam in omnibus concernentibus salutem animarum & colligitur hoc ultimum ex illis verbis: & cujuslibet vite atque actionis norma consistit. unde *Archidi. notabilissime in dicto c. sicut per illum tex.* dicit, quod in his que ad fidem pertinent & salutem & Generalem statum Ecclesie non potest Papa contra statuta Conciliorum venire, secus dicit in alijs ut puta in his, que in animadversione criminum sunt

ſtatuta, & hoc dictum debet colligi ex ipſa littera diligenter inſpecta, ubi dicit, fidei ſtructura & cujuslibet vite atque actionis norma exiſtit. unde exponit: actionis id eſt: *b*) reformationis & pro hoc *fa. c. Nicena. XXXI. di. ubi tex. loquens* de Concilio Niceno quod fuit unum ex illis quatuor, dixit, quod Nicena ſynodus volens corrigere hominum vitam in Eccleſia commorantium poſuit leges, quas Canones vocamus &c. & ſic Nicena ſynodus multos canones edidit circa correctionem vite. ad *idem XVI. di. habeo librum. in fi.* ubi dicitur, quod ſynodus Conſtantinopolitana, que fuit etiam una de iſtis quatuor, promulgavit ad correctionem Eccleſie canones numero CC. & duos. & ſic de alijs Concilijs, & tamen Gregorius illa Concilia recepit ſub ea veneratione, ſicut quatuor libros Evangeliorum, & per conſequens infertur, quod Concilia in reformatione Eccleſie poſſunt edere Canones, quos tenetur Papa cuſtodire & obſervare. unde pro veneratione illorum dixit beatus Gregorius in dicto *c. ſicut.* hec verba: cunctas vero quas prefata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo & quas venerantur, amplector, quia dum ſunt univerſali conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit quisquis preſumit abſolvere quos ligant, aut ligare quos abſolvunt. ex quibus verbis patet auctoritas Eccleſie ſupra Papam & ponderanda ſunt illa verba, dum univerſali conſenſu ſunt conſtituta quaſi velit dicere, quod conſtitutio Eccleſie univerſalis in fide & reformatione morum

eſt

b) informationis.

eſt preferenda cuilibet conſtitutioni etiam Pape. & fa. pro illo dicto *Jeronymi*, quod orbis eſt major urbe. *XIII. di. legimus.* ad idem facit optime *tex. in c. contra. XXV. q. V.* ubi dicitur quod contra ſtatuta patrum aliquid condere vel mutare nec hujus quidem ſedis poteſt auctoritas. qui tex. debet intelligi in illis caſibus, in quibus loquitur dictum *c. ſicut.* ut ſupra dixi poſt *Archidi.* ad predicta etiam *fa. tex. nō. Leonis. in c. requiritis.* 1. *q. VII.* ibi, quod jam multis eſt dampnatum Concilijs, nulla poſſumus penitentia ſubvenire & tot ſpiritualibus Patribus obviare, ſed in illorum Patrum ſententia convenire &c. *ad idem XXV. q. ij.* ibi hujus ſancte ſedis Pontificibus neceſſe eſt perſeverantem exhibere famulatum & loquitur de geſtis Conciliorum. multique alij Canones ſummorum Pontificum poſſunt adduci & hoc de jure Pontificio.

Sed contra dicta in hoc membro fortiter obſtare videntur *c. aliorum & c. nemo. IX. q. iij. & XL. di. ſi Papa. & c. ſi. LXXIII. di. & c. ſignificaſti. de Elect. & c. licet ej. tit. nam in c. aliorum* dicitur, quod Deus aliorum hominum cauſas voluit per homines terminari, ſed ſedis iſtius preſulem ſuo ſine queſtione ſervavit arbitrio & ſic aperte innuit, quod ſolus Deus poteſt de Papa judicare & pro hoc *fa. gloſſ. in c. quanto. de transl. Prelat.* que dicit, quod nemo poteſt dicere Pape, cur ita facis, *alleg. c. quamvis de pe. di. iij. In c. vero nemo.* dicit, quod nemo judicabit primam ſedem. & ſtatim ſubditur: neque enim ab Auguſto nec ab

omni clero, neque a Regibus, neque *i*) a populo judex judicabitur, & ſic videtur quod a nemine poteſt Papa judicari etiam a Concilio, quod importare videntur hec verba: nec ab omni clero &c. *in c. ſi Papa.* habetur, quod licet Papa ſue & fraterne ſalutis ſit negligens & deprehendatur inutilis & remiſſus in operibus ſuis & inſuper a bono taciturnus, quod magis officit ſibi & omnibus nihilominus innumerabiles populos catervatim ſecum ducit primo mancipio gehenne, cum ipſo plagis multis vapulaturus, cujus culpas iſtic redarguere preſumit mortalium nullus, quia cunctos ipſe judicaturus eſt, a nemine eſt judicandus, niſi deprehendatur a fide devius &c. & ſic excipit ſolum unum caſum ſcilicet in caſu hereſis, firmat ergo verba in contrarium in *c. ſi. LXXIX. di. k*) dicitur, quod ejectiones ſummorum Pontificum ſibi Dominus reſervavit, licet electiones eorum alijs conceſſit. *in c. ſignificaſti.* habetur, quod Concilia non poſſunt prefigere Romano Pontifici legem, cum omnia Concilia ejus auctoritate ſunt & robur acceperunt & in eorum ſtatutis patenter excipitur eorum auctoritas. *in c. licet. in ſi.* dicitur, quod ſpeciale inducitur in electione ſummi Pontificis, ut due partes Cardinalium debeant ad minus eſſe concordes, quia non poteſt in difficultatibus, ſi qui poſſunt oriri, ex minori concordia ad ſuperiorem haberi recurſus & ſic tacite innuit, quod in facto tangente Papam non eſt in terris dare ſuperiorem.

i) neque apoſtolis.

k) diſt. pro correctione ſummorum Pontificum.

riorem. Possent & alia plura jura allegari, que tamen non ita stringunt sicut predicta, ideo sufficiat in presentiarum dare responsum ad illa scilicet, nam ipsorum intellectu dilucidato facillime patebit ad alia jura, si qua sunt, responsio.

Et primo ad *c. aliorum.* respondetur, quod non excludit sacrum Concilium, patet, quia tex. dicit, quod causas aliorum Deus voluit per homines terminari &c. excludit ergo judicium duntaxat hominum, quasi innuens, quod nullus *l*) unicus id est, persona singularis potest de Papa judicare & quod hoc sit verum, probat tex. in dicto *c. si Papa*, ubi dicit quod mortalium nullus judicare potest &c. sed Patrum Generale Concilium universalem Ecclesiam representans non dicitur mortale, neque venit appellatione hominum ut *in l. iij. §. hec autem verba. ff. de nego. gest. & fa. c. liberti. XII. q. ij.* & quod non possit intelligi de Concilio probabo alia responsione; nam ad excludendum jurisdictionem aliorum supra Papam allegat ille textus duas rationes, prima propter Primatum quem recepit per illa verba: Tu es Petrus & super hanc petram &c. & quecunque solveris super terram &c. secunda ratio, quia voce sanctorum Pontificum illius sedis dignitas facta est venerabilis, dum illi, quidquid fidelium est, ubique subjicitur, dum totius corporis caput esse signatur &c. nam prima ratio non vendicat sibi locum supra Concilium, quia ut supra satis probatum fuit, illa verba: tu es Petrus &c. sunt dicta ipsi Petro tanquam

 gerenti

l) nullus vivens.

gerenti perſonam Eccleſie univerſalis, cum ergo ut ſupra dictum fuit, jurisdictio ſit fundata in Eccleſia tanquam in fundamento & illa eſt major, quam illa, que eſt in Papa tanquam in Principali miniſtro ut in *dicto c. legimus. XCIII. di.* quia orbis eſt major urbe, ibi ergo non poteſt dictum referri ad Concilium, cum ratio contradicat, nam ratio conducit verba legis ut *in l. cum pater §. dulciſſimus ff. de le. ii & in c. fi. de Re. jur. li. VI.* ſecunda ratio etiam non obſtat, quia ut videbitur ſtatim in ſequenti membro, ubi tractabitur de geſtis ſacrorum Conciliorum, ſancti Patres non dixerunt Papam nullo caſu ſubjici Concilio, ſicut loquitur ille tex. *c. aliorum.* & pro hoc facit, quod ſtatim dicam *ad c. nemo.* ſecunda ſolutio ad iſtum tex. eſt, quod non habet locum in caſu hereſis ut in preall. *c. ſi Papa*, ubi tex. aperte dicit contrarium & ſic neceſſario oportet limitare & reſtringere iſtum tex. nam in caſu hereſis nemo negat quod Concilium ſit ſupra Papam, ut in c. in fidei favorem. *de hereti. li. VI. & tex. juncta gloſſ. in c. nunc. XXI. di.* Item tex. iſte non loquitur in crimine notorio ſcandalizante Eccleſiam, de quo Papa ſit incorrigibilis, nam tunc Papa poteſt judicari per concilium, ut eſt gloſſa ſingularis in dicto *c. ſi Papa.* ubi poſt diſputationem gloſſ. ibi ponit iſta notabiliſſima verba, videlicet: certe credo, quod ſi notorium eſt crimen ejus quodcunque & inde ſcandalizatur Eccleſia & incorrigibilis ſit, quod inde poſſit accuſari. nam contumacia dicitur hereſis ut *LXXXI. di. ſi qui presbyteri*, & contumax dicitur

infide-

infidelis ut *XXXVIII. di. nullus.* sed hic scilicet in c. si Papa. fit mentio de heresi, quia etsi illa occulta sit, potest de illa accusari, sed de alio occulto crimine non possit &c. hec sunt verba glosse, que Doctores non reprobant, imo cum glossa transeunt & expresse eam approbant & similiter Dominus *Franciscus de Zabarellis* olim Cardinalis Florentinus *in predicto tractatu de scisma. in ℣. Vtus modus in fi.* ubi dicit, quod de quolibet notorio crimine Papa, etiam qui est unicus, si est incorrigibilis & scandalizator Ecclesiæ, potest accusari, quia censetur pro heretico & alleg. gloss. prealleg. dicens, quod hec incorrigibilitas concernit causam fidei, ut in eadem glossa habetur & pro hoc idem *nō. de pe. c. fi. & de hereti. cum contumacia. li. VI.* & hanc opinionem ego semper fui secutus etiam antequam presens scandalum oriretur in Ecclesia, ut videri potest in Lectura mea super c. significasti. de elec. & in quadam disputatione, quam alias in studio Senensi feci super ista potestate Ecclesiastica & incipit: Episcopus &c. & quod istud c. non loquitur in tali crimine, sed in facto indigente discussione, patet per illa verba illius tex. ibi voluit beati *Petri* Apostoli successores tantum debere celo innocentiam & subtilissimi discussoris indagini inviolatam habere conscientiam, unde ponderanda illa verba, discussoris indagini &c. Idem innuunt verba ibi sequentia, ut patet ibi, nolite existimare eas animas inquisitoris non habere formidinem; Item cum postea subditur, quod ibi judicabitur Papa ab eo, qui erit testis & judex, nec

apud illum habebit de allegationis nitore ſubſidium &c. que verba omnia *m)* non includunt crimen notorium, ex quo ſcandalizatur Eccleſia, & ad illud, quod dicitur in illo tex. de capite. dicam infra, cum adducam rationem juris naturalis; nam quando crimen Pape non eſt notorium, non debet *n)* prejudicium adduci cum ſcandalo totius Eccleſie, cum preſumatur ſanctus alio non apparente. ut in *c.* I. *XL. di.* ſed data notoreitate modo predicto ſuccedit notabile dictum *Clementis* Pape, qui ait, quod qui rebelliter vivit & diſcere aut agere bona recuſat, potius diaboli quam Chriſti membrum convincitur eſſe & potius infidelis quam fidelis eſſe monſtratur, ut habetur in *c. fi. XXXVIII. di.* unde cum talis licet videatur in dignitate Pontificali conſtitutus minor tamen eſt quolibet catholico ut dicit *gloſſ. nõ in c. Acbatius XXIIII. q.* I.

Ad *c. nemo.* idem per omnia reſponderi poteſt, nec obſtat illud verbum, ab omni clero, ibi poſitum, quod videtur excludere Concilium, nam tex. non loquitur de clero faciente Concilium, nam ſi totus clerus erit in uno loco congregatus, non propter hoc dicetur ibi congregatum eſſe Concilium, niſi eſſent ibi congregati legitime ad faciendum Concilium, ſicut dicimus de populo civitatis, quod ſi totus populus concurreret ad aliquod maleficium perpetrandum, non diceretur civitas

m) omnia concludunt.

n) non debet per Concilium in judicium adduci &c. cum non preſumatur de facto alieno non apparente.

vitas perpetraſſe, niſi fuiſſent cives legitime congregati & fuiſſet in univerſitate illud deliberatum, ut *nõ. per gloſſ. & Doct. in l. ſicut ff. quod cujusque. & plenius per Bar. in l. aut factam ff. de pe. nõ. in c. felicis de pe. li. VI. nam ſi tex. in dicto c. nemo.* voluiſſet intelligere de Concilio, bene ſciviſſet exprimere, hinc eſt, quod gloſſa ibi dubitans, an deberet intelligi de Concilio, proceſſit colligendo Argumentum dicens, quod Concilium non poteſt Papam judicare ut extr. de elec. ſignificaſti. ſed ſtatim poſt aliqua verba collegit argumentum in contrarium dicens, quia orbis eſt major urbe. *ut XCIII. di.* legimus & gloſſ. cum iſto ultimo contrario tranſivit, & ſic videtur potius ſenſiſſe contrarium, quod non loquitur de Concilio. Item non loquitur in caſu hereſis nec in notorio crimine ſcandalizante Eccleſiam. Item tex. fundat ſe in fi· quia ipſe eſt judex aliorum, ſed Papa non eſt judex Concilij & per conſequens tex. ille non habet locum in Concilio. nam ut dicit *Franciſcus de Zabarellis* in loco preallegato, Concilium habet judicare, an Papa bene aut male adminiſtret, & quod non potuit transferre poteſtatem in Papam in tantum quod deſineret eſſe penes ipſum, quia hoc eſſet contra jus divinum & exempla Apoſtolorum, nam illorum tempore omnia difficilia, que emergebant in Eccleſia deducebantur in congregatione, ut ſupra dictum fuit in jure Apoſtolico, & valet iſta ratio ad ſecundam rationem, quam allegat tex. in prealleg. *c. aliorum*, dum fundat ſe, quod antiqui Patres o) extulerunt illam ſedem &c. ad

 gloſſ.

o) abſtulerunt.

gloff. prealleg. & *c. quanto*, quod dicit, quod nemo poteft dicere Pape, cur ita facis & allegat illud *c. quamvis.* refpondetur, quod illud c. quamvis quod allegat, loquitur de Deo & non de Papa, fed forte gloffa voluit applicare ad Papam, quia ipfe gerit vicem Dei in terris ut dicit tex. dicto c. quanto. nam Pape nedum tota Ecclefia, imo quilibet de Ecclefia dum male agit, poteft dicere: cur ita facis. fic fecit Paulus Petro, nam reftitit fibi in faciem & reprehendit eum, quia reprehenfibilis erat, cur tu cum judex fis &c. ut habetur plene ad *Gal. ij. c.* & *ij. q. VII. c. Paulus Petrum* reprehendit. ad idem quod *nō. Innocentius in c. quanto. de confue.* ubi plus dicit, videlicet, quod Papa non eft fuftinendus, fi vult venire contra ftatum Ecclefie univerfalis fine caufa magna & rationabili & alijs nota. & fa. quod de triplici reprehenfione notat *gloff. in c. nolite. XXI. di. Item gloff. ibi.* nec obftat quod gerat vices Dei in terris, quia illud verum, cum bene miniftrat, fed cum male facit, non eft Papa, id eft, non habet poteftatem tanquam Papa malefaciendi. *tex. in c.* 1. *XL. di.* & *fa. c. manet. XXIIII. q.* 1. oportet enim quod clavis non erret, ut fupra dictum fuit, hinc eft quod Petrum errantem Chriftus vocavit Sathanam, dum ei dixit, dum diceret: faciamus hic tria tabernacula &c. vado retro fathanas, fcandalum enim es, non fapis ea que Dei funt ut habetur in Evangelio Jo. dicit lex quod reatus omnem excludit honorem ut *in l. ij. C. ubi fenatores vel. cla. It.* fententia Concilij non eft humana fed potius divina, quia Deus

judicat

judicat in medio Concilij inſpirando corda Patrum *XXI. q.* 1. *violatores.* & *L. di. ſi ille & c. ſi quis Diaconus.* & pro hoc allego *tex. nõ.* in Papa, cum bene judicat, ut *in c. inter Corporalia. de translat. prelat.* ubi illud, quod non poteſt diſſolvi per homines, diſſolvitur per Papam, quia tunc Deus videtur diſſolvere, ita in propoſito non homo judicat Papam, cum Concilium ipſum judicat, ſed ipſe Deus. & ultra predicta fa. illud Pſalmiſte: Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deus dijudicat. ut *in c. ſacerdotibus XI. q.* 1.

Ad *c. ſi Papa.* patet etiam reſponſio ex ſupra dictis, non enim loquitur, excludendo ſacrum Concilium, ſed perſonas particulares, ut ibi tex. mortalium nullus &c. que verba non poſſunt adaptari ad Concilium ſacrum, tum quia Ecclesia univerſalis nunquam moritur, nec eſt vera perſona ſed ficta & repreſentata. Item quia judicium ſacri Concilij eſt potius divinum quam humanum. preterea tex. excipit caſum hereſis & ſic clare preſupponit, quod poteſt tunc judicari ſaltem a Concilio, quia ut ſupra dixi, ubicunque reperitur Papam *p*) poſſe accuſari vel judicari, intelligitur quod per Concilium vel coram Concilio, ut in gloſſ. *nõ. in c. ſicut. in q. VII. preall.* ad idem, quod *nõ. Doct. in c. in fidei. de hereti. li. VI. & nõ. etiam gloſſ. in caſu hereſis in c. nunc. XXI. di.* Item ut dicit gloſſ. *in c. ſi Papa*, *q*) non habet locum ille tex. cum crimen Pape eſt notorium & ex eo ſcan-

p) non poſſe.

q) ſi Papa. habet locum ille tex.

ſcandalizatur Eccleſia & eſt incorrigibilis, quia tunc poteſt dici hereticus. Item ſaltem non poteſt negari, quando ex eo Papa reddatur ſuſpectus de hereſi, quia videtur ex illa perſeverantia male ſentire de fide ad hoc quod *nõ. Doct. in c. fi. de penit. & tex. optimus XXXVIII. di. nullus.* ſed Papa etiam ſuſpectus de hereſi poteſt accuſari ut *nõ. archi. in c. ſatagendum. XXV. q.* 1. & pro illo dicto *Archidi. fac. tex. in dicto c. ſi Papa.* juncta gloſſ. que intelligit illum tex. etiam in hereſi occulta, *r*) ad idem quod habetur *ij. q. VII.* §. *Item cum Balaam.* Item Symmachus Papa fuit accuſatus de hereſi coram Concilio & occaſione hereſis fuit ejectus de facto a Papatu, Concilium vero mandavit ante omnia eum reſtituendum & poſtea veniret ad cauſam, ſed quia compertum fuit poſtmodum accuſationem illam fuiſſe calumpnioſam, fuit per Concilium abſolutus, ut dicit gloſſa prealleg. ergo infertur, quod ex ſola ſuſpicione de hereſi fuit accuſatus & fa. quod qualitercunque ipſe accuſatur de hereſi, Concilium ſemper eſt judex & idem ut predixi, quando ex ſuis actibus eſt ſuſpectus de hereſi, quia jacet in notorio crimine & non vult ſe corrigere. nec obſtat quod ſi dicatur, quod gloſ-

ſa

r) omiſſ. in MS. & pro hoc optime facit gloſſ. in cap. ad Apoſtolicæ de re judic. lib. VI. in verbo hæreſi. quæ dicit quod propter crimen hæreſis non ſolum Imperator ſed etiam Papa poteſt deponi. & quod ſuſpectus de hæreſi debet ſe purgare, alias punitur, ut habetur in cap. excommunicamus §. 1 & §. ſi qui autem de hæret. *ad idem &c.*

ſa in dicto *c. ſi Papa* videtur *contra tex. quia in tex.* dicitur quod etiamſi catervatim innumerabiles populos ſecum ducit ad dampnationem, non poteſt redargui ſeu accuſari, quia dico, quod ille tex. loquitur de Papa negligente & remiſſo & taciturno a bono, ita quod ex ejus taciturnitate & exemplo ſue male opinionis populus ruit in peccatum; non enim loquitur, cum Papa perſeverans in peccato actuali notorio & ſcandalizante Eccleſiam; nam aliud eſt perpetrare delictum notorium & aliud negligere que incumbunt officio ſuo, quia illa negligentia poteſt contingere aut ex puſillanimitate animi aut ex timore aut ex ignorantia aut ex ſimili cauſa occulta, ſed delictum actuale notorium, ex quo ſcandalizatur Eccleſia & ipſe eſt incorrigibilis, non poteſt provenire ex predictis cauſis ſed quia videtur non firmus in fide, nam hoc caſu rebelliter vivit & ſic convincitur eſſe diaboli membrum & potius infidelis quam fidelis ut dicit tex. *Beati Clem. in c. ſi. XXXVIII. di.* ſed ſecus in caſu prealleg. in quo loquitur ille *tex. ad c. ſi. LXXVI. di.* ubi quod ejectionem ſummorum Pontificum Deus ſuo judicio ſervavit, quod non loquitur quando ſubeſt cauſa ejectionis, puta, hereſis vel notorietas delicti modo predicto, nam tunc Chriſtus mandavit quemlibet ejiciendum, ut ſupra dixi in primo membro adducendo jus divinum & patet in dicto *c. ſi Papa. in tex. & gloſſ.* ad idem *nō. gloſſ. ij. in* ℣. *Item quare iſti non depoſuerunt Papam &c. XXI. di. & in c. Achatius. XXIIII. q.* 1. *& in c. Anaſtaſius XIX. di.*

Ad

Ad *c. significasti. de elec.* de quo multi parum intelligentes faciunt magnum festum, dico quod nihil probat in materia nostra; illud c. solum dicit, quod concilia non possunt prefigere legem Romane Ecclesie & sic loquitur non de Papa male vivente aut de Cardinalibus injuste agentibus, sed de ipsa Ecclesia Romana que constituitur ex Papa & Cardinalibus. ut *nō. Doct. in c. Ego. ij. de jur. jur. & in c. antiqua. de privileg. & in c. felicis de pe. li. VI.* & Ecclesia Romana non presumitur errare ut *nō. gloss. in c. quicunque XXIIII. q.* 1. unde Ecclesie Romane bene administranti non datur lex per Concilium, quia esset sibi tollere privilegium sibi a Deo tributum, quod non licet ut in *c.* 1. *XXII. di.* sed sermo noster est de Papa heretico vel suspecto de heresi, ut quia notorie jacet in crimine scandalizante Ecclesiam & non vult se corrigere, nam tunc Concilium procedendo contra eum non imponit legem Romane Ecclesie, sed corripit personam auctoritate divina, prout dixi supra in primo membro, inducendo jus divinum. nam tunc Papa videtur minor quolibet Catholico, ut *nō. gloss. in dicto c. Achatius.* nam hoc casu solus Paulus restitit Petro in faciem & reprehendit eum, quia reprehensibilis erat, ut supra dictum fuit, & ultra predicta videndus est *textus in §. Ecce ostensum ℣. Item Paulus Petrum reprehendit ij. q. VII.* fortius ergo tota Ecclesia potest contra Papam taliter *s*) irretitum procedere & quod ita iste tex. debeat restringi, probatur in dicto c. si Papa.

maxime

s) taliter hæreticum.

maxime juncta gloff. & aperte tenuit *Francifcus de Zabarellis* in dicto tractatu. & quatenus tex. in dicto *c. fignificafti.* dicit, quod omnia Concilia auctoritate Romane Ecclefie facta funt & robur acceperunt, debet intelligi de auctoritate in congregando, quia auctoritas congregandi Concilium Generale fpectat ad Romanam Ecclefiam. *XVII. di. per totum.* & videtur, quod illud fpeciale fuit inductum in preeminentiam fedis Apoftolice ab Apoftolis & fucceffloribus. ut eft *tex. nō. in c. dudum iij. q. VI.* fed Concilium generale legitime congregatum habet auctoritatem non a Romana *t*) Ecclefia fed a Deo, per illud, quod habetur *Math. XVIII.* fi peccaverit in te frater tuus, dic Ecclefie &c. nam fi Concilia haberent poteftatem a Papa, non poffent judicare Papam etiam hereticum, quia inferior non utitur jurisdictione contra fuperiorem, quod eft falfum ut patet ex predictis. nec obftat fi dicatur, quod cum Papa hereticus definit effe Papa, quia tunc judicatur a Concilio & multos decipit hec confideratio, que profecto non eft bona confideratio, neque vera; nam videmus, quod Concilium judicat de Papa in cafu herefis etiamfi illa fit occulta, vel calumpniofe inftituta accufatio, ex quo de calumpnia non conftat; vel quando eft fufpectus de herefi, in quibus cafibus Papa non definit effe Papa, quia poteft effe, quod judicia fint falfa & accufatio calumpniofa. Item, quod Papa aliquid fecerit contra fidem ex timore vel per errorem & paratus eft fe corrigere, quibus

t) non a Romana curia.

bus casibus non desinit esse Papa, ad hoc *tex. juncta gloss. in preulleg. c. nunc. XXI. di. & facit XXIIII. q. iij. dixit Apostolus. & fa. gloss. in dicto c. si papa.* dum dicit, quod de occulta heresi Papa potest accusari & nihilominus in istis casibus Concilium exercet jurisdictionem in Papam condempnando vel absolvendo eum, ergo non ab eo sed a Deo potestatem accepit, ut eleganter declaravit illa constitutio Constantiensis & Concilium Basiliense idem recensuit, ut supra dixi.

Ad *c. licet. in fi. de elect.* respondetur, quod dum ibi dicitur, quod non potest haberi in electione Pape recursus ad superiorem, intelligitur scilicet de presenti, quia Concilium non semper sedet, & ideo verum est dicere, quod non potest haberi recursus ad superiorem, quia non est actu, nec de facili potest congregari, ex quo Ecclesia vacat vel est in scismate, sed negari non potest, quando Concilium possit in facto electionis congregari & de electione vel electionibus judicare. ut est tex. apertus & maxime juncta gloss. *in c. si duo contra fas. LXXIX. di. & idem ibi Doct.* scribentes & maxime *Hug.* qui dicit quod Cardinales poterunt convocare Concilium factis duabus electionibus in discordia, si aliter scandalum sedari non potest. & hoc de jure Pontificio.

Descendendo nunc ad aliud membrum scilicet ad gesta Conciliorum, ex quibus clare probatur, quod jurisdictio Ecclesiastica plenimoda est in Ecclesia universali tanquam in fundamento, & per conie-

consequens quod habeat jurisdictionem in Papam errantem, nihil est enim ita arduum in Ecclesia Dei seu contingere potest, quod per sacra generalia Concilia explicari non possit, seu explicatum non sit, quod non esset, si potestatis plenitudinem a Deo non haberet, quia Deus non fuisset passus ecclesiam suam a tempore Apostolorum ita errasse, cum promisit assistentiam suam in Dei Ecclesia usque ad consummationem seculi, juxta illud: & ero vobiscum usque ad consummationem seculi. & alibi: Spiritus Paraclitus qui procedit a Patre, docebit vos omnem veritatem &c. Legimus enim & nostris temporibus vidimus summos Pontifices in causa heresis, scismatis & alterius criminis ad generalia concilia evocari & ibi aliquando se purgasse, nonnunquam absolutos fuisse & aliquando a Papatu dejectos exstitisse. patet *in c. si Papa. prealleg.* ubi expresse habetur, quod in casu heresis potest judicari. ad idem *tex. in c. nunc autem. XXI. di. cum gloss. sua.* nam licet textus videatur ibi facere prima fronte in oppositum, tamen debet restringi, sed glo. quod fuit judicatus Papa per Concilium in casu heresis, quia Marcellinus fuit confessus se thurificasse idolis & correxit se. Item quia a Paganis coactus illud fecit, alias ut ibi dicit glossa, fuisset depositus per Concilium. ad idem *XVII. di. §. hinc etiam*, ubi congregatum fuit sacrum Concilium contra *Simachum* & tandem ibi dicitur, quod Imperator *Theodericus* inspirante Deo respondit: synodalis esse arbitrij in tanto negotio sequenda *u*)

u) sequendæ. paulo post varia omissa.

prefcribere, committens poteftati Pontificum ut fi depofitum vellent audire negotium five non, quod magis putarent utile, deliberarent, ut dicitur ibi *in gloff.* Ille Symachus fuit per Concilium primo reftitutus hoc adjecto, quod poftea refponderet fuis accufatoribus & demum abfolutus. ad quod *alleg. tex. ij. q. VII. Item cum Balaam. ℣. Item Simachus. ad idem textus Gregorij II. q. VII. fi quis nos*, ubi ipfe fe obtulit coram Concilio accufatoribus refpondere. ad idem quod habetur de *Leone II. q. V.* auditum. & *x*) de *Sixto in c. mandaftis. e. caufa. & queft. & Jeronymus* refert in libro virorum Illuftrium, quod *Damafus* Papa a fubditis de adulterio accufatus cum XLII. Epifcopis fe purgavit, ut refert *Gratianus in dicto §. Item cum Balaam in ℣ Item Jeronymus refert.* Item *fa. c. fi duo contra fas. LXXIX. di.* ubi concilium congregatur in caufa fcismatis poteft etiam propter fcandalum evitandum utramque electionem caffare, ut fupra dixi. Item per facra Concilia quandoque fuit fubtracta obedientia ipfis Romanis Pontificibus ut *Marcellino*, *Anaftafio*, *Liberio*, *Joanni XIII. Benedicto XIII. & Joanni XXIII.* ut legitur in libro Conciliorum. & de *Anaftafio* facit quod habetur in dicto *c. Anaftafius.* Item *Joannes XII.* fuit depofitus propter fua fcelera prefertim quia plurimum excedebat cum mulieribus & notorie: Item temporibus noftris vidimus obedientiam fubtrahi *Gregorio* quondam & *Benedicto* in Concilio Pifano & tandem in eodem Concilio eis depofitis creatus fuit *Alexander.* In

Con-

x) & dic ex ifto.

Concilio vero magno Constantiensi fuit subtracta obedientia *Johanni* & tandem ipse Johannes ob sua scelera fuit depositus per Concilium & *Gregorius* male sibi conscius cessit in eodem Concilio & *Benedictus* fuit postea depositus per totam synodum universalem, & *Martinus* Papa Vtus promotus tunc exstitit, qui nullo modo eligi potuisset, si non valuisset privatio per sacrum Concilium facta. insuper legimus Cardinales fuisse depositos in Concilio, ut est *tex. in c. ex gestis. de cler. non resid.* imo voluit ibi *Hosti.* quod Cardinalis non possit deponi nisi in Concilio. contrarium tamen videtur probari *in c. unico. de scismat. li. VI.* ubi solus Papa privavit duos Cardinales, sed non est hec intentio nostra, satis enim est, quod Concilium potest ex causa deponere Cardinalem. Item Concilium deposuit Patriarcham Alexandrinum, quia presumpsit excommunicare sanctissimum Papam *Leonem* & eum deposuerunt Patres de Concilio, ut ibi habetur. Episcopos vero multos legimus & dampnatos & restitutos per sacrum Concilium. ut in *c. Joannes Chrysostomus L. di. ad idem XI. q. iij. si quis Episcopus & V. q. iiij. nullus Episcopus.* Item synodus excommunicat & sic exercet censuram Ecclesiasticam. *XI. q. iij.* certum & *c. si quis episcopus in c. sicut. de heret.* Hinc *Gregorius* vir sanctissimus dixit se & non Concilia destruit, quisquis presumpserit absolvere, quos Concilia ligant & ligare, quos absolvunt. ut *in c. sicut. XV. di.* Apostoli quoque simul primum Episcopum post Domini Resurrectionem elegerunt, videlicet *Mathiam* in locum *Jude*,

ut patet *Act.* 1. & *in c. clericos. XXI. di.* quod autem Mathias fuerat in Episcopum ordinatus, patet per illa verba Prophete adducta per *Petrum:* & Episcopatum ejus accipiet alter, de Episcopatu Jude loquens, ut interpretetur scripturam in actis Apostolorum. Demum successive in singulis civitatibus Episcopos & presbyteros Apostoli tunc representantes Ecclesiam ordinarunt, Levitas etiam per eosdem Apostolos ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus *Stephanus. Act. VI. & XXI. di.* §. *in fi.* ubi etiam dicitur, quod subdiaconos & Acolytos Ecclesia precedente tempore sibi constituit. ad Idem *tex. nõ. in c. urbes. LXXX. di.* ubi dicitur, quod post adventum Christi Apostoli & eorum successores in certis urbibus Patriarchas & Primates posuerunt. ad idem *c. nulli XCIX. di.* & alibi dicit *tex. nõ.* quod dispositione Apostolorum ordinante Domino primitus Episcopi sunt constituti, ut habetur *in c. uno. VIII. q. V.* Item Papa presidens in Concilio promulgavit decretum inter cetera in hec verba: si quis contra hoc nostrum decretum sinodali sententia promulgatum &c. designant enim illa verba magnam auctoritatem Concilij, etiam ubi Papa est presens in Concilio. tex. est in c. in nomine Domini. ☧ *si quis XL. di. & c. si quis. XXIII. di. ad idem tex. in c. si alicujus Zelus ij. q.* 1. ubi Papa in depositione duorum Episcoporum usus est his verbis: Ergo discernente nobiscum sancta synodo in presentia depositi & ab officio sacerdotali & excommunicati atque a regimine Episcopatus alienati indubitanter existant. que sunt verba notanda.

notanda. ad idem tex. optimus in c. nimis. de jur. jur. ubi Papa utitur his verbis: ſacri auctoritate Concilij prohibemus &c. & neſcio alibi ita pulchrum textum in materia, quod Papa non indigne ferre debet, quod aliquid prohibeat ſeu ſtatuat auctoritate Concilij. videndus eſt etiam *tex. in c. ex multis* 1. *q. iij.* ubi dicitur, quod Chalcedonenſis ſynodus una de principalioribus fecit ſtatutum ſuper ſimonia eliminanda ab Eccleſia Dei. *ad idem c. virgines. XX. q. iiij.* ubi ſynodus ſtatuit, quod moniales poſſunt ad aliud monaſterium ſe transferre propter diſtrictiorem vitam. & eſt alius *tex. valde nō. in c. placuit* huic magne ſancte ſynodo, ubi Gelaſius Papa exiſtens in Concilio enuntiavit conſtitutionem in perſonā ſacri Concilij. & eſt tex. in hac materia valde notabilis, quod etiam ubi Papa eſt preſens, poteſt conſtitutio edi nomine ſacri Concilij, nec Papa indigne ferre debet; & ſi aliquando reperiatur quod Papa concipiat ſtatutum nomine proprio cum Concilio vel conſenſu Concilij, dico enim pro diverſitate illa concordanda prout in *c.* 1. *de ſpon.* ſoleo dicere, quod ubi materia habuit originem & concluſionem a Concilio debet fieri nomine Concilij, quia Concilium eſt *y)* illud quod ſtatuit & non Papa, qui non fuit auctor illius materie, ſed ubi materia originatur a Papa & tunc poteſt quandoque dicere cum conſilio Concilij vel conſenſu, prout habuit conſenſum vel conſilium Concilij. & an conſtitutio debeat attribui Concilio vel Pape, quando Papa loquens dicit: nos

y) eſt aliud.

cum consilio Concilij vel cum consensu Concilij &c. videndum est, quod in simili *nōt. Archidi. XVII. di.* Item Concilium decidit causas etiam matrimoniales & imponit penam transgressoribus in *c.* 1. *de sponſ.* & statuit super electionibus ut in *c. Osius. de Elect.* Item synodus *z*) Constantinopolitana divinitus inspirata ad correctionem Ecclesie promulgavit *canones. num CCII. ad idem fa. c. Nicena. XXIIII. di. ubi dicitur*, quod Nicena synodus volens corrigere vitam hominum, multos canones edidit. ad idem potest multipliciter adduci *c. bene quidem XCVI. di.* ubi Papa in Concilio loquens & ad Concilium sua verba dirigens dixit hec verba: potest *a*) vestrum judicare concilium &c. & ibi sancta synodus &c. ubi congregatio prelatorum appellatur etiam synodus sine Papa & potest judicare, dummodo legitime sit congregata. Item Concilium statuit tunc psallendi modum in Ecclesia. *ut in c. de his XII. di. & c. placuit. XIII. di. ad idem XVI. q. ij. visis*, ubi Papa appellat Concilia sancta ibi a sanctis Concilijs post principium, multaqne alia jura & pene infinita possent adduci, ex quibus clarissime potest concludi ex gestis conciliorum, & sic ex consuetudine universalis Ecclesie preeminentia magna sacrorum Conciliorum. nam ut predixi, si non habuissent hanc potestatem a Deo, minime potuissent hanc jurisdictionis plenitudinem in Ecclesia exercere, quin imo ipsa Concilia videntur potestatem dedisse in multis ipsis Romanis Pontificibus,

z) Constantiensis.

a) potest verbum vestrum.

cibus, & non ſic legitur e contra, primo enim eſt *tex. in §. hinc etiam XVII. di.* ibi, ſcientes, quia ejus ſedi primum Petri Apoſtoli meritum, deinde conciliorum veneranda auctoritas ſingularem in Eccleſijs tradidit poteſtatem. ad *idem iij. q. VI. in c. dudum* ubi dicitur, quod dudum a ſanctis Apoſtolis ſucceſſoribusque in antiquis eſt decretum ſtatutis, quod hactenus ſancta & univerſalis Apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere *b*) preter conſcientiam Romani Pontificis univerſalia Concilia celebrari vel Epiſcorum dampnari, & ſubjicitur ibi quomodo *c*) ſanctam Romanam Eccleſiam primatum omnium Eccleſiarum eſſe voluerint &c. ex quibus verbis gloſſ. ibi colligit, quod Concilia dederint primatum Eccleſie Romane, quod dicit ibi gloſſa verum eſſe ſecundario ſed ipſe Chriſtus principaliter ut *L. di. quamvis.* & ita intelligitur cum hac diſtinctione *c. aliorum IX. q. iij.* ubi idem videtur probari, quod Concilia dederint Pape ſingularem poteſtatem in Eccleſia & hanc diſtinctionem quod primario Papa habuit a Deo & ſecundario a Concilijs. *gloſſ. in dicto §. hinc etiam.* ſi ergo Concilia non haberent hanc poteſtatem ſupremam a Deo, quomodo potuiſſent aliquam poteſtatem dare *d*) primario aut ſecundario, & cum nemo det quod non habet ut *1. q. VII. Daibertum & in c. quod autem de jure patr.* ſed ego ſoleo dare aliam & arbitror elegantiorem ſolutionem ad illa jura, videlicet,

b) non oporteret.

c) loco *quomodo* quoniam.

d) dare Papæ principaliter aut &c.

cet, quod Concilia dederint singularem potestatem Pape in Ecclesia Dei non accumulative sed privative quoad alios quia multa subtraxerunt ab Episcopis & ministris ecclesie & voluerunt pertinere ad solum Papam, a multisque abstinet Concilium voluntarie volens illa per solum Papam explicari. Exemplum in dicto *c. dudum.* & *in c. quamvis iij. q. VI.* nam Concilium provinciale poterat olim ex causa deponere episcopum *XV. q. VII. si quis & c. si autem cum si.* sed statutum postmodum fuit per Concilia, quod licet apud Provinciales posset ventilari causa Episcoporum diffiniri tamen absque Romani Pontificis potestate non debet, ut dicit tex. allegans hanc rationem, videlicet: sicut ab Apostolis eorumque successoribus multorumque consensu Episcoporum jam diffinitum est &c. Idem dicitur *in c. dudum. fa.* etiam, quod hodie statutum est quoad Indulgentias dandas, nam restricta est potestas Episcoporum ut *in c. cum ex eo. de pen. & rem.* & idem dicendum in multis. nam Apostoli olim ad omnia fere apponebant manus, que hodie reservata sunt soli summo Pontifici. & *fa. optime tex. in c. sacro sancta. XXII. di.* ibi & post pauca inter beatos Apostolos *e*) quondam fuit discretio, & licet omnes essent Apostoli, *Petro* tamen concessum est a Deo & ipsi inter se *f*) voluerunt id ipsum, ut reliquis preesset Apostolis & Cephas id est, caput & principium ac primatum tenet *g*) apostola-

e) quædam fuit.

f) inter se noluerunt.

g) teneret.

ſtolatus, qui & eandem formam ſuis ſucceſſoribus & reliquis Epiſcopis tenendam tradiderunt. que verba ſunt etiam valde notanda; *b*) ex quibus etiam infertur, quod Papa non habuit omnimodam poteſtatem ſolus ſed primus in Apoſtolatu & ſic jurisdictio, ut predixi, eſt in toto corpore eccleſie *i*) olim repreſentato per apoſtolos & in Petro eſt tanquam in Principali miniſtro & ideo ſi errat, poteſt tota eccleſia id eſt, Concilium illam repreſentans contra eum modis predictis animadvertere, quia orbis eſt major urbe. ut ſepe dictum eſt. & *fa. optime tex. Gregorij juncta gloſſ. XCIX. di.* Ecce ſimile eſt videre in regione Venetiarum, nam Dux eorum eſt primus & in Concilijs & inter membra civium, ſi tamen errat, ſibi reſiſtitur per civitatem & ſi opus eſt, deponitur, quia fundamentum jurisdictionis eſt in corpore civitatis & in Duce tanquam in principali miniſtro & quanquam poſſit hec ſimilitudo morderi ex eo quia Dux jurisdictionem recepit a populo, jam non mirum, ſi ex cauſa a populo deponi poteſt, ſicut olim Imperatores qui recipiebant poteſtatem a populo Romano ex cauſa deponebatur ab ipſo populo ut probatur *l. jii. ff. de ori. jur. & fa. quod nõ. Bar. in l. fi.*

b) omiſſ. in MS. & præſertim ibi & ipſi inter ſe noluerunt id ipſum, quaſi de novo Apoſtoli elegerunt Petrum in caput & ut Principium teneret Apoſtolatus. quæ verba etiam ſunt notanda. ex quibus &c.

i) olim repræſentatæ per apoſtolos in Petro & tanquam Principali. & ideo ſi &c.

fi. C. de legi. ſed Papa habet principaliter poteſtatem a Deo ut in dicto *c. quamvis XXI. di. & in dicto c. ſacroſancta XXI. di. in novo.* ad hoc enim reſpondetur, quod licet Papa recepit poteſtatem a Deo, tamen Eccleſia univerſalis etiam recepit a Deo & majorem, quia tota poteſtas Eccleſiaſtica eſt in corpore Eccleſie tanquam in fundamento, *Petrus* autem recepit tanquam principalis miniſter, ut ſupra dixi, poſt *Auguſtinum* & alios, cum ergo Papa ſit de corpore Eccleſie & non Eccleſia univerſalis, ut *nõ. gloſſ. in dicto c. Ecce.* poteſt tota poteſtas & ipſum corpus Eccleſie ſibi reſiſtere & in eum tanquam in deviantem a voluntate Divina animadvertere, ſicut ſupra probatum eſt. & ut finem membro huic faciam, ſubmitto quandam notabiliſſimam auctoritatem *Auguſtini* pro hac excellentia Concilij; ipſe enim *Auguſtinus* in quadam ſua epiſtola ad Glorium *k*) & Pheſynum &c. inter cetera contra Donatiſtas qui fuerant reprobati & quidam *Cecilianus* Epiſcopus Carthaginenſis abſolutus, ſententia *l*) Martialis tunc Romane urbis Epiſcopi & quorundam aliorum *m*) Collegarum ex parte Imperatoris deputatorum, quos ad preces Donatiſtarum miſerat Imperator, ſic inquit, quod ſi dicent malos & perverſos eſſe judices, que vox eſt omnium male litigatorum, cum fuerint etiam manifeſtiſſima veritate ſuperati, quaſi non eis ad hoc

k) & yleſinum.

l) ſententia Melchidis.

m) aliorum collega.

hoc dici posset & justissime dici, ecce putemus *n*) illos Episcopos qui Rome judicarunt, non bonos judices fuisse, restabat adhuc plenarium Ecclesie universale Concilium, ubi etiam cum eisdem judicibus causa possit agitari, & si male judicasse convicti essent, eorum sententia solventur. Ex quibus verbis notanter infertur, quod ex sententia Romani Pontificis, quam etiam tulisset cum *o*) nonnullis Pontificibus potest haberi recursus ad Concilium & per ipsum Concilium sententia Pape reprobari potest, si convincitur injusta & hoc probat tex. ex auctoritate *Augustini* in casu fidei, pro quo facit quod legitur & notatur *XIX. di. Anastasius. & XXIIII. q. III. cum quibus.* nec obstat, si dicatur quod in predicto casu Papa cognovit, ad instantiam imperatoris quasi ex delegatione sua, unde fuit postea appellatum ad Imperatorem, quia dico, quod ex quo Imperator scripsit Pape in pertinentibus ad jurisdictionem suam, potius suam jurisdictionem videtur excitare quam potestatem delegare ut *in c. licet. de offi. ordi. hinc. Augustinus in dicta Epistola in ij. Columpna* appellat illud judicium Ecclesiasticum, nec obstat illud quod fuit appellatum ad Imperatorem, quia de facto hoc processit, nec Augustinus hoc ibi approbat, & hanc opinionem, quod in casu heresis, puta cum precipit Papa, aliquid contra fidem vel sententiat quod possit ad Concilium appellari, tenui olim in illa disputatione, que incipit: Episcopus motus.

quia

n) putemus alios.

o) cum non nunc Pontificibus.

quia in casu heresis Concilium est supra Papam, & licite in hoc casu subditi ab eo recedunt. *XXIIII. q. ij. Achatius. XIX. di. Anastasius. & in gloss. & in dicto §. Item cum Balaam ℣ Simachus.* in eo enim quod Papa est hereticus est minor quolibet Catholico ut dicit gloss. in dicto c. Achatius, nec est caput Ecclesie, sed extra ecclesiam, hoc autem cognoscere habet Ecclesia, cujus fides deficere non potest. *XXIIII. q. 1. a recta. & in gloss. & c. quandocunque est ead. causa & q.* & si diceremus contrarium Ecclesia posset periclitari ut in simili *nō. gloss. in c. si Papa. XL. di.* & in hoc casu non facio dubitationem, sed aliquos alios casus in quibus potest appellari a Papa ad Concilium, prosequor in dicta disputatione. & hoc de gestis Conciliorum.

Ex quibus ut supra dixi, resultat generalis consuetudo Ecclesie, que magnam habet auctoritatem in Ecclesia, nam ut dicit *Augustinus* de fide Christiana habetur *in c. Catholica XI. di.* Catholica Ecclesia per orbem diffusa tribus modis probatur existere; quidquid in ea tenetur, aut auctoritas est scripturarum aut traditio universalis, aut certe propria & particularis instructio &c. qui textus est notandus. *ad idem c. omnia XII. di.* ubi etiam bonus textus Augustini in principio.

Ad quintum membrum scilicet ratione juris naturalis potest adduci hec consideratio: Licet caput in corpore regat corpus & influat in ipsum, tamen si caput incidit in gravem egritudinem, membra ut subveniant toti corpori, ligant caput

&

& ſtringunt; Ita debent facere omnia membra Ecclesie & preſertim totum corpus ipſius Ecclesie congregatum, ut ſi Papa deviat a vero & ſcandalizat Ecclesiam, debet occurrere ſaluti totius corporis preſertim cum Papa non ſit verum caput Ecclesie, ſed *p*) miniſteriale & politicum, nam verum caput eſt Chriſtus ut *in c. unico de ſacr. & nõ. glo. in cle. ne Romani. de elec.* nam cum Ecclesia ſit corpus. ut apoſtolus in plerisque locis dicit & *tex. in c. ſcisma. in fi. XXIIII. q.* 1. & *in c. advocabit. ead. cauſa & q.* ſequitur neceſſario, quod ipſe Chriſtus ſit caput Ecclesie, ad quod facit, quia deficiente ſuperiore licitum eſt cuique ſibi dicere jus. ut *nõ. glo. in c. jus gentium. I. di. & Inno. in c. olim.* 1. *de reſti. ſpo. fa. tex. juncta glo. in l. nullus. C. de jude. & tex. nõ. in ti. de mili. vaſal. q. contu. eſt in uno. in fi. in li.* ſeu ubi permittitur vaſallo in defectum juſtitie ſibi conſulere & Dominum depredari, quia in defectu magiſtratus *q*) revertimur ad jus priſtinum ante conſtitutos Magiſtratus, quo tempore licebat unicuique jus ſibi dicere. Preſuppoſito ergo & non conceſſo, quod Papa non hic haberet ſuperiorem, attamen cum ſuis pravis operibus adducit Ecclesiam quaſi in perditionem, nec poteſt aliter induci ut ſe corrigat, licitum eſt uti jure naturali ſcilicet expellere eum ab illo regimine, quia non dicitur Pontifex ex quo tali modo abutitur Pontificatu. malus enim Prelatus & incorrigibilis non videtur ex voluntate Dei conſtitu-

tus.

p) ſed adminiſtrale ſeu politicum.

q) omiſſ. verba: revertimur ad jus priſtinum.

tus. *r*) pro hoc *nō. dictum jeronymi in c. audacter VIII. q.* 1. ubi concludit, quod non ſemper princeps populi & judex Eccleſie per Dei arbitrium datur. Adducit exemplum de Saule contra quem dixit Dominus, poſtquam populus *s*) lapſus eſt, fecerunt ſibi Regem & non per me principem & non per conſilium meum & tamen *Saulem* elegerat Dominus, ſed quoniam non ſecundum Dei voluntatem ſed ſecundum Peccatoris populi meritum fuerat electus, negat eum cum ſua voluntate vel conſilio conſtitutum. Item licet Papatus in ſe ſit de jure divino tamen in perſona illius vel iſtius eſt ex facto hominum, quia Cardinales gerentes in hoc vicem Eccleſie univerſalis eum eligunt merito, ſi non eſt ſecundum voluntatem Dei & Eccleſie univerſalis, debet poſſe ejici, quia erraverunt eligendo talem, quia Deus non videtur velle reſiſtere huic ejectioni ſed potius aſſiſtere, cum dixerat ſal infatuatum ad nihilum valet ultra niſi ut mittatur foras & conculcetur *t*) ab hominibus, ut ſupra in primo membro plene dixi. Item non eſt veriſimile, quod Deus non diviſerit poteſtatem in terra, que valeat providere adverſus hoc maximum periculum Eccleſie, ubi Eccleſia pro paſtore recepit lupum rapacem, & quod non poſſit adverſus illius rapacitatem providere, quaſi Deus magis diligit perſonam unius ſceleſtiſſimi hominis, quem ipſe

r) loco: *pro hoc notandum.* per hoc naturale dictum.

s) omiſſ. lapſus eſt.

t) ab omnibus.

ipſe non elegit, quam ſalutem totius Eccleſie, pro qua voluit ſanguinem proprium effundere, nam ſic in ſimili dixit *Inno. in c. quod ſuper his. de voto.* quod non fuiſſet Chriſtus diligens Pater familias, ſi non dimiſiſſet in terra aliquem qui vice Chriſti non poſſet ſubvenire omnibus neceſſitatibus eccleſie; ita dico quod ſicut ſubvenit eccleſie dimittendo vicarium, ita non eſt veriſimile quod non ſubvenerit eccleſie dimittendo poteſtatem ſuper vicarium, ſi convertitur in lupum; & iſte perſuaſiones ſunt ex ſuperabundanti. nam recto jure poteſt eccleſia providere omnibus ſuis neceſſitatibus ex poteſtate ſuprema a Chriſto ſibi tradita ut patet ex ſupradictis.

Ultimo probatur intentio noſtra ex ratione juris civilis per *tex. nō. in l. ſi Cornelius ff. de ſolu.* ubi habetur. ſi mandavi Titio, ut rem meam traderet Sempronio, ſi conditio Sempronij eſt ita mutata, quod veriſimiliter ego non mandaſſem rem ſibi tradi, non debet Titius rem ſibi tradere, eo quod ex ſolà voluntate mea conjecturata videtur revocatum mandatum; ita in propoſito, ex quo quis eligitur in paſtorem & principaliter eligitur ut paſcat oves. unde Chriſtus volens committere curam Petro ter eum primo interrogavit, an diligeret ipſum? *jo. ult. & in c. ſignificaſti. de elec.* quaſi innuat quod non eſt idoneus paſtor, qui non diligit Deum, ſi ergo videt Eccleſia aliquem non uti officio paſtoris ſed lupi, nec poteſt induci aliter ut ſe corrigat, debet ex tacita voluntate Dei illi ſubtrahere

trahere obedientiam. pro quo facit etiam ratio *l. ſi hominem ff. mandati.* ubi patet, quod Procurator ſpecialis impeditur ſuam poteſtatem exercere ſi aliqua ſunt innovata veriſimiliter non cognita per Dominum tempore conſtitutionis & dationis mandati. ad idem quod *le. & nõ. in c. ſi quis cum ff. pro emptore*, multo fortius poteſt ſibi providere Eccleſia univerſalis adverſus malum paſtorem ex voluntate divina non electum, ſed forte propter peccata populi ut dicit Jeronymus in dicto c. audacter, que quidem Eccleſia, ut ſupra dictum eſt, eſt Regina & corpus Chriſti & ſponſa & conjux ejusdem & terribilis ut caſtrorum acies ordinata. & hec ſint pro perſuaſionibus ad confirmandum ea, que ſupra veraciter probata ſunt de poteſtate Eccleſie. & hoc de ſecundo dubio Principali.

Tertium Dubium Principale.

Reſtat poſtremo tertium & ultimum attingere dubium, an ſcilicet contra dictum quondam *Eugenium* ſacrum Baſilienſe Concilium juſte proceſſit, tam citando quam ſuſpendendo ac ſucceſſive a Papatu deponendo. Et quod non ſolum juſte, quin imo manſuetiſſime & cum magna *u*) patientia contra eundem proceſſerit, multifarie illico oſtendam, & quoniam citatio eſt judicij fundamentum ut in c. quoniam. de probat. & in §. fin. Inſtit. de poen. temere litigantium. ad ejus juſtificationem primo condeſcendam, pro qua premitto, quod ſacrum Concilium ob tria precipue & ſanctiſſima quedam opera

u) magna potentia.

opera consumanda congregatum extitit, primo pro extirpatione heresum 2do pro pace in populo Christiano procuranda 3tio pro Ecclesie Dei reformatione tam in capite quam in membris fienda. Quantum profecto & quanto tempore illa sacra Basiliensis synodus circa primum laboravit, sumptibus & laboribus non parcendo, ipsum inclytum Bohemie regnum attestari potest, nam quod diu magni armorum exercitus gentium gladijs materialibus efficere non valuerunt, ipsa sacra synodus doctrine sermone, variisque legatorum missionibus ac mutuis disputationibus Deo primum favente peregit, ita ut illud regnum jam per omnia pacatum crederetur, & profecto, si hoc presens dissidium Ecclesie allatum non extitisset, nulla erroris scintilla in dicto regno remansisset, & nisi Concilium illud *x*) manum & ingenium apposuisset, non modo in regno illo incendium accensum devastationem attulisset, sed multas finitimas regiones infecisset & penitus consumpsisset, ut in multis locis experientia rerum magistra edocuit. Quantum vero erga Grecorum reductionem & unionem profecerit, nemo est qui nesciat, nam ut supra prelibatum est, suis crebris legationibus ad hanc unionem excitati sunt Greci suis adhortationibus & pecuniarum largitionibus in civitate Constantinopolitana Grecorum *y*) prelati ad hanc rem tractandam adunati sunt, & demum cum eorum

Orato-

x) magnum ingenium.
y) græcorum prælibati.

Oratoribus ad instantiam ejusdem sancte synodi z) ad eandem missis negotia reductionis & unionis, concordata fuere & tandem non sine maximo & fere intolerabili sumptu ipsa synodus pro eisdem Grecis ad Concilium oecumenicum vehendis suis pecunijs & sumptibus Galeas plures destinavit, venissentque juxta votum sacri Concilij, nisi quondam Eugenius suas Galeas destinasset, fuissentque per alios viros potentes & communitates plurimum, ut ad eum Eugenium declinarent, solicitati, & si quid boni cum ipsis Grecis actum est, sacrum Concilium causa exstitit, ipsum enim fuit causa cause & per consequens causa efficiens. Adducti enim fuerunt ad *Ferrariam*, ne venirent ad Concilium & si ad sacrum Concilium venissent, nulla profecto erroris scintilla remansisset. sed hoc diximus, ut videant cuncti, quod non frustra sacrum Concilium tanto tempore a) resedit; non enim operam suam ab eo, quod erat prius operandum, manum vere retraxit. Ad pacem aurem reformandam inter varios principes & diversos populos non pigre operam apposuit; attestari hec possunt tota Gallia, Italia & multe provincie Germanie & multorum Legatorum tam Cardinalium quam aliorum Patrum varie missiones, cura enim mandabatur dispensatoribus per Christum & non curatio, quia illa non est in homine, ait enim ipse in parabola, curam illius habe, unde cura remuneratur & labor. unde Apostolus ait, se plus

ceteris

z) synodi in eadem.

a) addit. *Basilea*.

ceteris laboraſſe, non enim dixit plus ceteris profuiſſe, ideo inquit ſcriptura, reddet Deus mercedem laboris. Erga Eccleſie reformationem ſaluberrima plurima edidit decreta, omnium fere curie Romane inveteratorum abuſuum & ſimoniace pravitatis extirpativa reducendo eccleſie ſtatum proh dolor collapſum ad priſorum patrum ordinationem ſaluberrimam, utpote decretatio de Annatis non ſolvendis, pro quarum ſolutione ex Chriſtianitatis provincijs omnibus aurum deteſtabili inventione ad ipſam Romanam curiam ducebatur; Eccleſiaſtice dignitates ob intolerabiles ſolutiones ita comprimebantur, quod aut perpetuo feneratoribus ipſis remanerent obligate, aut ex illorum redditibus nil ſuper erat, quod ad aliquem pium uſum converti potuiſſet, promovebantur plurimum quaſi per quandam *b*) negotiationem, qui majores & uberiores pecunie ſacculos deferebant, ſcientia *c*) & bonitate omnino contemptis & teſte *Auguſtino* potius fures aut mercenarij Eccleſijs preficiebantur quam paſtores. ut *in c. tres perſonas XXIII. q. IIII.* & ut canon veriſſime atteſtatur, nihil eſt quod Eccleſie Dei magis officiat, quam quod indigni aſſumantur ad regimen animarum. ut *in c. ne pro defectu. de elec.* unde adimpleta videbatur ipſa prophetia: obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva. Extinxit gratiarum exſpectativarum abuſum, que indifferenter pecunie obtentu absque perſonarum

X 2 delectu

b) per quandam rogationem.

c) diſciplina & autoritate contemptis.

delectu concedebantur. Providit super beneficiorum collatione seu super reservationibus auferendis, Ordinariis locorum consulendo, qui per gesta & abusus curie Romane ita compressi erant & in suis jurisdictionibus exhausti, ut solus Papa omnibus incumberet, omnia solus occuparet, ac si super eo duntaxat Christi ecclesia fundata esse videretur, oblitusque foret Gestorum Petri & aliorum *d*) successorum. non sic egit Gregorius sanctitate & scientia mirificus, qui ad Patriarcham *e*) Alexandrinum, qui eum in prefatione Epistole universalem Papam appellaverat, rescripsit, ut tale verbum ita superbum ultra non scriberet, dicens quod alijs detrahitur, cum alteri plusquam ratio exigit prebetur, submittens, honorem meum non esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco, honor meus namque est honor universalis Ecclesie, meus honor est fratrum meorum solidus vigor; tunc ego honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negetur. ut latius habetur *XCIX. di. ecce.* & alibi idem *Gregorius* sic inquit: si sua unicuique Episcoporum jurisdictio non servatur, quid agitur aliud, nisi per vos, per quos Ecclesiasticus custodiri illesus ordo debuit, confundatur. ut *in c. pervenit. XI q.* 1. Edidit insuper sancta Basiliensis synodus decretum de causis, imitando illam sanctam synodum Nicenam, que statuit negotia tractari debere in provincijs, in quibus orta sunt. ut plenius

in

d) sanctorum successor.

e) Alexandrum.

In Conciliorum libris narratur. *iij. q. VI. neminem.* Edidit insuper decretum de Concilijs provincialibus & synodalibus celebrandis, dans formam, ut jugiter ibi de morum reformatione tractetur. Item de Concubinarijs, de judeis, de assumptione ad Apostolicam sedem & *f*) Cardinalatum, de pacificis possessionibus & multis alijs quidem honestissimis ad reformationem Ecclesie in capite & in membris pertinentibus & precipue inter alia preclarissima opera edidit illud decretum ut Ecclesijs Collegiatis & precipue Cathedralibus per electionem Ecclesiarum & non per ambitionem vel secundum carnem & pecuniarum largitionem provideretur; sed pro dolor ipse quondam Eugenius, qui primus & precipuus in hoc sanctissimo opere esse debuit, cui tanquam in persona Petri a Christo dictum fuit, si diligis me Pasce oves meas. Joann. ult. non solum hec omnia decreta respuit, sed etiam illa que in sua solemni adhesione approbavit profitendo illud sacrum Basiliense Concilium legitime fuisse initiatum, legitimeque continuatum prosecutionemque habere debere ad illa sanctissima opera ob que extitit congregatum, faciens specialiter mentionem de reformatione fienda tam in capite quam in membris. Quantum enim magna animadversione hec transgressio digna sit, ut saluberrima decreta per generale Concilium legitime congregatum super reformatione Ecclesie edita, per Papam contempnantur, facile ex infra dicendis quisque comprehendere poterit. ex hoc enim con-

 temptu

f) & cardinalium.

temptu blasphemia in Spiritum Sanctum oritur, ut est tex. not. Damasi Pape sic inquientis, violatores canonum voluntarie graviter a sanctis Patribus judicantur & a sancto Spiritu instinctu cujus & dono g) dictati sunt dampnantur, quoniam blasphemare Spiritum Sanctum non incongrue videntur qui contra eosdem sacros Canones non necessitate compulsi sed libenter ut premissum est, aliquid aut proterve agunt aut loqui presumunt aut facere volentibus sponte consentiunt, talis enim presumptio manifestum genus est blasphemantium Spiritum Sanctum, quoniam ut jam prelibatum est, contra eum agit, cujus jussu & gratia sancti canones editi sunt, hec notabilissime *Damasus* Papa *in c. violatores XXV. q.* 1. cui *h*) quidem *Damaso* concordare videtur ille magnus *Leo* Papa inquiens inter cetera, magna voce pronuntiare non timeo, quod qui illa, que diximus sanctorum Patrum *i*) statuta, que apud nos Canonum nomine pretitulantur, sive sit ille Episcopus sive clericus non indifferenter convincitur *k*) recipere neque Catholicam neque Apostolicam fidem nec sancta vera quatuor Christi Evangelia utiliter & efficaciter ad effectum suum retinere vel credere probatur. ut est *tex. not. ipsius Leonis in c. de libellis Pape. fi. XX. di.* unde glossa ibi colligit, quod non recipiens canones sanctorum Patrum ex contemptu est

g) ditati.
h) cui quondam.
i) Patrum sancta.
k) convertitur recipere.

eſt hereticus & ſatis hoc probat ipſe tex. nam videtur negare poteſtatem condentium, *l*) quo caſu absque heſitationis ſcrupulo talis in hereſis crimen incidit ut *leg. & not. in c. nulli fas XIX. di.* nam hereticus eſt non ſolum qui errat in articulis fidei ſed etiam qui habet diverſum dogma vel novas gignit opiniones diverſas a judicio Eccleſie. ut eſt *tex. cum gloſſ. in Clem. I. de uſur. ad idem XXIIII. q. III. in c. hereſis & in c. abolende. de heret.* & ad propoſitum noſtrum contra ipſum quondam *Eugenium. tex. in c. hereticus XXIIII. q. III. ubi tex. beati Auguſtini* ſic belliſſime ad propoſitum dicit, hereticus eſt, qui alicujus temporalis commodi vel maxime vane glorie, principatusque ſui gratia falſas ac novas opiniones vel gignit vel ſequitur &c. hinc dixit *gloſſ. ſingularis in c. ſacerdotes &* reliqui Eccleſie miniſtri *ij. q. VII.* quod ſi prelati non ſervant canones, poteſt ab eis recedi propria auctoritate ſicut ab hereticis & excommunicatis, etiam ante ſententiam. & *fac. c. alieni. ead. cauſ. & q.* & intelligo illam gloſſam quando Prelati indifferenter ſeu ex contemptu nolunt ſe ſubmittere canonibus, ſicut de decretis Concilij faciebat ipſe dictus *Gabriel*, unde ex predictis potuiſſet ſacrum Concilium ſubtrahere obedientiam, cum ipſa notoria exiſterent, nam ſacrum Concilium ſepe numero ipſum quondam *Eugenium* monuit per ſuos oratores & litteras ut decreta ſacri Concilij vellet, ut tenebatur, recipere, ſed in vanum ſemper elaboravit, ſed cum monitionibus non proficeret,

 debuitne

l) concedentium.

debuitne pati ut Concilliorum auctoritas collaberetur *m*) & eum in Papatu tolerare, quem male sentire de auctoritate Ecclesie videbat, imo ipsam *n*) conterere videbatur. nam error, cui non resistitur, approbatur ut *LXXXIII. di. error.* quin imo non solum predicto contemptu respersus erat, sed tanquam notorius scandalizator ecclesie & incorrigibilis Concilio ipse delatus fuit utpote de Simonia, perjurio, dilapidatione bonorum Ecclesie, de transgressione Concilij Basiliensis statutorum, de homicidiis & alijs quam plurimis in citatorio contra ipsum expressis notorie irretitus, quibus attentis quis negare audebit sacrum Concilium citare non valuisse aut non debuisse ipsum quondam *Eugenium*, nam ut patuit in precedenti dubio, sacrum Concilium procedere potest contra Papam in causa heresis manifesta vel occulta etiam si suspectus tantum dicatur de heresi, quo casu non solum sacrum Concilium imo Imperator potest exigere a Papa ut fidem suam ponat in scriptis ut est *tex. not. in c. satagendum XXV. q.* 1. Item ubi aliquod crimen quodcunque sit illud & notorium & ex eo scandalizatur Ecclesia, ac in casu nostro concurrebant omnia predicta, que nisi fuissent debito modo per ipsum excusata heresim apertam inferebant & scandalum totius Ecclesie, potuit ergo & debuit sancta synodus ipsum quondam Eugenium admonere & citare ut compareret per se vel alium in Concilio ad excusandum vel defendendum, nec

poterat

m) ad eum.

n) ipsam contemnere.

poterat oculis conniventibus ſine offenſa illam citationem preterire, quia ſicut dicit Gregorius, ſicut laudabile diſcretumque eſt, reverentiam & honorem exhibere prioribus, ita rectitudinis & Dei timoris eſt, ſiqua in eis ſunt, que indigent correctione, nulla diſſimulatione poſtponere, ne totum quod abſit corpus morbus invadat, ſi languor non fuerit curatus in capite, ut latius habetur *ij. q. VII. in c. ſicut* inquit, precavereque debuit ipſa ſancta ſynodus illud jeronymi ſuper jeremiam, qui dixit otioſe non eſſe transcurrendum, quod uno peccante ira ſuper omnem populum venit, ſicut accidit Achor peccanti, qui furatus fuerat regulam auream ut *ibi dicit gloſſ.* hoc enim ſecundum eum frequenter accidit, quando ſacerdotes qui preſunt, erga delinquentes benevoli videri volunt & verentes peccantium linguas ſacerdotalis ſeveritatis immemores nolunt complere quod ſcriptum eſt, peccantem coram omnibus argue ut ceteri metum habeant. & iterum: aufferte malum de vobiſmet ipſis. & poſt pauca: dum uni parcunt univerſe Eccleſie moliuntur interitum, que iſta bonitas, que iſta miſericordia eſt uni parcere & omnes in diſcrimen adducere, polluitur enim ex uno peccatore populus, ſicut ex una ove morbida univerſus grex inficitur. que verba notanda ſunt in propoſito & habentur latius *XLV. di.* ſed quid multis immoror, debuitne tandem illud preceptum Dominicum ſancta ſynodus preterire quod contempnentem & non audientem Eccleſiam mandat ut Ethnicum & Publicanum habendum. ſed

fortassis dicent Adversarij hoc & alia in citatorio expressa, minime veritatem continebant; profecto hec allegatio non excusat ipsum quondam Eugenium, quoniam ad justificationem citationis satis est, quod illa exprimantur in illa citatione, que si vera essent, fundarent jurisdictionem citantis. ut *not. Bar. in l. ij. ff. si quis in jus vo. & Inno. in c. verum & c. cum sit de foro compe. & Guido Suza in authent. qua in provincia. C. ubi de crim. agi oport. fac. lex cum quedam puella ff. de jurisd. omn. jud.* dixi plene in *lect. mea in c. si clericus laicum. de for. compet.* si enim ipse quondam Eugenius pretendebat illa falsa vel habebat aliquam excusationem ad illa, cur non comparuit per se vel alium & illa inficiatus fuisset ostendissetque suam innocentiam & dedisset pacem Ecclesie, cur non imitatus est *Gregorium*, *Sixtum*, *Leonem*, *Simmachum*, *Marcellinum* & multos alios summos Pontifices, qui sponte in Concilijs Generalibus suam infamiam purgare voluerunt ut in juribus supra allegatis ac in casu nostro non solum infamia dicebatur contra eum degenerare, sed delictorum notorietas cum scandalo ecclesie universalis & cum incorrigibilitate; unde quanto res erat periculosior, tanto animosior, si sibi conscius erat ad suam innocentiam ostendendam, venire aut mittere ad se excusandum seu defendendum juxta citationis edictum debuisset; At ipse pro obedientia, quam Ecclesie matri sue exhibuisse debuerat, non solum contumaciam sed etiam rebellionem exhibuit, falso asserens libertatem non adesse in civitate Basiliensi &

multa

multa alia adjecit per que *o*) tacite Ecclesie auctoritatem erga eum negare videbatur, ut postea per alias litteras per diversas mundi partes per eum destinatas sole *p*) clarius patuit, ac Concilium illud Basiliense se dissolvere & tunc dixit, si Concilium ad ulteriora procederet contra eum seu aliquem alium ex presidentibus suis *Basilee* tunc commorantibus, & quia ejus contumacia in Concilio Basiliensi accusata exstitit & ad ulteriora cum mansuetudine processum fuit, ipse declaravit Concilium Basiliense fore dissolutum & *Ferrarie* translatum. unde si notoria ea que sibi impingebantur, videbantur per ejus tamen contumaciam lucidiora facta sunt, nam contumacia presertim in causa heresis presumptionem vehementem adjicit, ut *in c. cum contumacia de her. li. VI.* & quod *leg. & not. in c. nullus. de presumpt.* unde potuisset, ut supra dixi, sacrum Concilium alio non exspectato ad ejus depositionem procedere, precipue ex contemptu decretorum sacri Concilij, que notorie nunquam recipere voluit & sic consideratis his que dicta fuere in precedenti dubio & predictis in hoc dubio, quia notorie constabat de ipsius delicto hoeresin sapiente & ex eo scandalizabatur Ecclesia *q*) nec voluit se corrigere, alio processu opus non erat, & precipue quia contempnendo citationem sacri Concilij legitime factam in alia non minus

o) per quæ tantæ.

p) scholas clarius.

q) omiss. *nec voluit* usque *nam ex non paritione &c.*

nus gravia delicta incidit; nam ex non paritione & contemptu poterat tanquam Ethnicus & Publicanus haberi ait enim Dominus in Evangelio, si quis Ecclesiam contempserit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus; quod etiam in congregatione Concilij spreta verificari potest juxta illud *Jeronymi in c. omnibus consideratis. XXIIII. q.* 1. *r*) Et quod delictum contumacie ex contemptu sapit heresim, aperte voluit *Gregorium in Moralibus & VIII. q.* 1. sciendum habetur transsumptione, ubi inter cetera sic dicitur: si enim quasi peccatum Ariolandi est repugnare, & quasi Zelus idololatrie; nolle acquiescere, sola est obedientia que fidei meritum possidet, sine qua quisquis infidelis convincitur etiam si fidelis esse videatur. hec Gregorius & idem *Gregorius in quadam epistola ut habetur LXXXI. di. si qui* sic inter cetera inquit, erui vero huic saluberrimo precepto obedientie noluit, idololatrie peccatum incurret, Samuele testante, peccatum est ariolandi non obedire & quasi scelus idololatrie non acquiescere. peccatum igitur paganitatis incurrit &c. hinc *gloss. in c. si papa:* dicit, quod contumacia est heresis & contumax dicitur infidelis. pro qua bene facit *tex. XXXVIII di. nullus.* sed sacrum Concilium volens uti mansuetudine solita & experiri, si tandem vellet ad cor redire, manum pro tunc non misit ad fortia, presertim consideratione supplicationis facte per inclyte memorie Sigismundum quondam Imperatorem & Illustrium virorum Domi-

r) a verbis: *& quod delictum.* deest in impresso integer quaternio. usque ad Signum ⊙

Dominorum Electorum sacri Imperij, sed duntaxat declaravit nullitatem illius dissolutionis ac etiam insinuavit & decrevit, quod alias statutum fuerat in decreto XI. sessionis, quod ipsemet quondam *Eugenius* in sua adhesione approbaverat, in quo cavetur, quodsi Papa in futurum presumeret Concilium quoque modo mutare, impedire, prorogare vel dissolvere & infra quatuor menses cum reali satisfactione non resipisceret, ex tunc a papali administratione ipso jure foret suspensus, & si penam predictam per duos menses post dictos quatuor animo sustineret indurato usque ad privationem inclusive contra eundem per Concilium Generale procederetur. At ipse quondam *Eugenius* nedum infra quatuor menses post sequentes non resipuit, nec infra duos alios menses sequentes, sed ad acriora contra Patres in Concilio existentes processit exponendo eos & eorum bona prede & capture & erigendo Conciliabulum Ferrariense contempta suspensione sibi intimata & decreta quam incurrit non se corrigendo infra quatuor menses, nec ab ista sacrum Concilium licet potuisset, voluit repente ad depositionem procedere sed ad majorem probabilitatem & sui excusationem processum continuavit inchoatum, testes plurimos super notoreitate criminum recipiendo & citando jugiter ipsum quondam Eugenium licet citare amplius non oportuisset, cum citatio prima fuisset facta ad totam causam, juxta *nos. per Inno. in c. auditis. de procur.* & plenissime *in Lect. mea in c. fi. de dila.* & tandem post XXIII. menses a tempore

cita-

citationis ſue prime non valens eum amplius tolerare, cum apertiſſime ſuam incorrigibilitatem cum ſcandalo eccleſie oſtenderet & manifeſte in crimen hereſis incideret, negando auctoritatem Eccleſie & contempnendo ejus precepta & altare contra altare erigendo, ad ejus depoſitionem proceſſit, quia ſal infatuatum juxta dominicam ſententiam ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras per depoſitionem & conculcetur ab hominibus, preſertim cum fere omnia crimina in citatorio illo expreſſa per teſtes notorie probata forent, unde omnibus conſideratis ex ſeptem capitibus potuit depoſitio defendi, potuitque ipſe quondam Eugenius deponi, quorum quodlibet erat ſatis ad depoſitionem ſuam.

Primo quia contempſit decreta ſacri Concilij ſuper reformatione edita, ex quo contemptu reſultabant crimina ſupra enuntiata.

Secundo, quia contempſit citationem Eccleſie, ex quo contemptu ut predixi, reſultat paganitatis delictum.

Tertio quia negavit poteſtatem ſacrorum Conciliorum facto & verbo & preſertim per litteras quas ad diverſas mundi partes transmiſit, ex quarum tenore diverſimode de hereſi convinci poteſt tanquam male ſentiens de auctoritate Eccleſie.

Quarto quia diſſolvit ſeu diſſolvere niſus eſt Concilium Baſilienſe contra decretum XI. ſeſſionis,

imo

ſimo contra decretum Dei, quia per Eccleſiam monitus ut ſe defenderet, Eccleſiam ipſam ut divinam effugeret ſententiam niſus eſt diſſolvere. ex decreto autem preſertim autem novo mandato Concilij intercedente incidit in ſuſpenſionem, & quia animo indurato illam per duos menſes ſuſtinuit, potuit ſacrum Concilium ad ejus depoſitionem procedere, que cauſa ſola ſufficiebat ut in dicto decreto XI. ſeſſionis & preſertim illud decretum ſervandum erat contra eundem quondam Eugenium, qui non ſolum illam diſſolutionem attemptavit, ſed etiam illam preſens preſumpſit, & demum recognovit ante ſecundam diſſolutionem, illam facere non potuiſſe, eamque ut decuit, renovavit Eccleſiam non parum ſcandalizando, unde ex geminato actu acrius puniri debuiſſet, quaſi in conſuetudinem illud delictum adduxiſſet. *XXV. q. ij. ita nos.* unde alibi dicit tex. quod non eſt in eum humanitatis liberalitas conferenda, qui impunitatem admiſſi ſceleris potius conſuetudini quam emendationi deputavit. ut *in l. ij. C. de Epiſ. au.* per quam quidem diſſolutionem ſeu translationem tria ut ſupra dixi, violavit decreta, primo Conſtantienſe, ſecundum quod etiam translationis cauſa legitima ſubſiſtente debebat Concilium transferri ad locum ejusdem nationis ut in *c. frequens.* ipſe autem de Germania transtulit in *Ferrariam* nationis Italice. ſecundo Decretum ſacri Concilij Baſilienſis violavit, quo cavetur, quod Concilium actu congregatum diſſolvi aut de loco in locum mutari ſine illius Concilij expreſſo conſenſu per Romanum

num

num Pontificem nullatenus possit, quod quidem decretum tanquam in sua adhesione approbatum precipue violare minime debuisset & presertim cum hoc fecit ex causa apertissime injusta & a divino & humano jure dampnata, videlicet si Concilium procederet contra eum, nam si talis dissolutio valeret, nunquam posset Romanus Pontifex etiam hereticus condempnari, quia citatus per Concilium confugeret ad hoc flebile dissolutionis remedium. Tertio violavit solempne decretum in facto Grecorum editum, quod ipsemet quondam Eugenius jam approbaverat specifice in quo inter cetera ad propositum cavetur, quod Concilium Basiliense deberet stare firme in *Basilea* donec Imperator Grecorum cum suis ad ultimum portum latinum se conferret, & si interea accideret causa legitima translationis Concilij, deberet Concilium transferri juxta dispositionem dicti c. frequens intra eandem nationem sed ipse ante Grecorum adventum & nulla existente legitima causa Concilium Basiliense dissolvit & in *Ferrariam* transtulit. nec quenquam moveat quod Papa suspendi non possit, nam & Concilium Constantiense in c. frequens. in certis casibus Papam suspendit & obedientiam sibi subtrahit. preterea qui potest majora, potest & minora in c. *per venerabilem. q. si. sunt legi.* sed Concilium potest ex causa Papam deponere, multo fortius potest suspendere, cum suspensio sit quedam depositio ad tempus. *fa. quod leg. & not. in c. & si clerici. de judi.*

Quinto

Quinto potuit principaliter deponi ex eo, quod erexit conventiculum Ferrarienſe durante Concilio Baſilienſi contra decretum VIII. ſeſſionis, quod ipſemet approbaverat in ſua adheſione, ex quo facto incidit in penas ſcismaticorum vigore illius decreti, imo vigore juris divini & antiquorum canonum, quia cum Eccleſia unica ſit & indiviſibilis, non poteſt eſſe niſi unicum generale concilium illam repreſentans, ut ſignum reſpondeat ſignato, nam ſicut alibi dicit *gloſſ. VII. q.* 1. *in c. non autem*, quia prima regula ſeu ille articulus & unam ſanctam Eccleſiam Catholicam &c. in ſymbolo poſitus offenderetur, ſi eſſent duo Apoſtolici in Eccleſia, quia ſicut unica eſt Catholica Eccleſia, ita & unum caput eſſe debet, ut *in c. loquitur. XXIIII. q.* 1. ita & hereticum eſt dicere, quod una duntaxat ſit eccleſia & quod duo poſſint eſſe univerſalia Concilia illam in ſolidum repreſentantia, unde dicit *tex. in c. non nos. XXIII. q. VI.* quod erigens altare contra altare & eccleſiam contra Eccleſiam incidit in ſcisma & debet ab omni miniſterio Eccleſiaſtico ſine ſpe reſtitutionis deponi. ad idem *c. ſcisma. XXIIII. q.* 1. & per conſequens incidit ex hoc in excommunicationem ut in c. licet. de elec. & privavit ſe communione Eccleſie, dicto *c. ſcisma & c. omnino nos*, & ſubditi ab eo recedere ſine alia ſententia poterant, *ut not. gloſſ. in c. cum non liceat. de preſcript. fa. tex. in c. quia diligentia. de elec.* hinc dicit *gloſſ. prealleg. in c. in nomine Domini XXIII. di.* quod ſcismatico omnis denegatur audientia, quin imo ut dixi,

 poteſt

poteſt dici, quod ſtatim incidendo in notorium ſcisma, deſinit eſſe Papa, quia impoſſibile eſt, quod ſit extra eccleſiam & quod ſit caput Eccleſie. *ar. XXXII. q.* 1. *cum renuntiatur.* Idem dixit *Cyprianus:* alienus eſt prophanus eſt, hoſtis eſt, Deum patrem habere non poteſt, qui univerſalis Eccleſie non tenet unitatem.

Sexto deponi potuit propter crimen ſimonie notorie contra eum degenerans & multipliciter in proceſſu contra eum facto probatum; contra quod delictum mirum in modum invehitur *tex. in c. patet* 1. *q. VII.* ubi dicitur, patet ſimoniacos veluti primos & precipuos hereticos ab omnibus fidelibus eſſe reſpuendos, & ſi commoniti non reſipuerint, ab exteris etiam poteſtatibus comprimendos, omnia enim crimina ad comparationem ſimoniace hereſis quaſi pro nihilo reputantur. ad idem *tex. valde not. in c. eos.* 1. *q.* 1. ubi inter cetera dicitur, quod tolerabilior eſt *Macedonij* & eorum qui circa ipſum ſunt ſancti Spiritus impugnatorum impia hereſis, illi enim creaturam & ſervum Dei Patris & Filij Spiritum Sanctum delirando fatentur, iſti vero ſimoniaci eundem Spiritum Sanctum efficiunt ſuum ſervum; omnis enim dominus, quod habet, ſi vult, vendit, id eſt ſervum ſuum vel aliquod eorum que poſſidet ſimiliter & emit; Dominus enim volens eſſe quod emeret per pretium pecunie illud acquirit; & poſt pauca ſubditur, atque ut verius dicamus Jude comparantur proditori, qui Judeis Dei occiſoribus Chriſtum vendidit; hoc

enim

enim deliĉtum nedum per Chriſtum in figura, quando ejecit ementes & vendentes de templo, prohibitum fuit ut habetur *not. in c. ex multis ij. q.* 1. ſed etiam expreſſe poſtea fuit prohibitum tanquam graviſſimum ſcelus in Concilio Niceno & Conſtantinopolitano, que fuerunt duo ex quatuor principalioribus Concilijs, que Eccleſia univerſalis recepit ſicut quatuor Chriſti Evangelia ut *in c. ſicut. XV. di.* & de his Concilijs ſeu ipſorum prohibitione habetur 1. *q.* 1. *ſicut Epiſcopus & ead. cauſ. q. iij. ex multis. & q. VII. ſi quis omnem.* pulchre per *Gregorium* 1. *q.* 1. & *c. fertur*, nec Papa excuſatur in his que prohibita ſunt quia ſimoniaca, ut *not. in c. ex parte. de offi. dele. & nõ. in c. cum pridem. de pac.* nec in hoc dubitandum eſt, cum Papa ſubjaceat legi divine ut *in c. ſunt quidem XXV. q.* 1. & etiam Concilijs Generalibus, in his que concernunt ſalutem animarum; ut in diĉto *c. ſicut.* ut ſupra latius dixi & optime etiam *fac. c. ſalvator* 1. *q. iij.* nec obſtat quod ſi dicatur Papa de ſimonia accuſari non poteſt quia ſtriĉte non eſt hereſis, de qua Papa accuſari poſſit, ut *not. gloſſ. in c. ſi quis pecuniam XXIX. di. nam gloſſ.* debet intelligi, quando ſimonia eſſet occulta, quia de deliĉto Papa non accuſatur cum preſumatur pro ejus ſanĉtimonia. ut *in c.* 1. *XL. di.* ſecus autem ſi eſt notoria & ſcandalizat Eccleſiam & illam adduxit quaſi in conſuetudinem & ſic eſt incorrigibilis, per id quod *not. gloſſ. in diĉto c. ſi Papa XL. di.* que dicit, quod ſi notorium eſt crimen Pape, quodcunque ſit illud, ſi ex eo ſcandalizatur Eccleſia, poteſt

accusari & sic vult quod non solum de simonia que est gravissimum delictum, sed quodcunque sit illud ex quo scandalizatur Ecclesia, potest Papa de illo accusari & sic una gloss. debet limitari per alium; obmitto etiam alia quam plurima delicta, que probata sunt in processu, ut: perjurium, dilapidatio, translationes facte de invitis Episcopis contra decretum Concilij Constantiensis & multa alia de quibus in processu, que ne videar in maledicta prosilire & infamare potius quam justitiam sacri Concilij defendere, obmitto, cum predicta & quodlibet predictorum satis atque satis ad suspensionem & depositionem defendendas per se sufficiat, unde si bene predicta ponderentur etiam omni processu cessante sufficienter ad ejus depositionem manutenendam & justificandam. nec obstat si dicatur, quod superius expressa non fuerunt in citatione expressa, ut puta, contemptus citationis, negatio auctoritatis Ecclesie, dissolutio geminata Concilij, erectio conciliabuli Ferrariensis; quoniam de his que contingunt post judicium inchoatum, que aliquo modo contingunt processum inchoatum seu ejus causa descendunt, potest judex in animadversione sive punitione vel sententia diffinitiva habere respectum, ut not. *in c. veritatis de do. & contu. & ibi gloss.* & hoc clarius ibi tetigi *in Lect. mea* nam Papa ibi in depositione cujusdam Episcopi sententiam fundavit & nedum super criminibus in processu expresse deductis sed etiam super irregularitate quam contraxit, celebrando divina post suspensionem seu excommunicationem

contra

contra illa decreta vigore ſue contumacie, ſic in caſu noſtro omnia illa delicta provenerunt occaſione ſue contumacie ſuique contemptus & rebellionis, quam fecit contra Eccleſiam, merito de omnibus potuit ſacrum Concilium habere in ſua ſententia reſpectum, quin imo potuiſſet ſacrum Concilium tanquam ſupremam obtinens poteſtatem etiam delicta ſupervenientia, ſeparata omnino a proceſſu, ex quo erant ultione digna, punire etiam ſuper illo proceſſu, quia princeps non aſtringitur illo ritu judiciorum, ſed quomodocunque crimina claruerint, ferire illa poteſt ſententia ſua per hoc quod not. *Jo. And. in c. mandatum de reſcript. fac. tex. in c. ad petitionem de accu. & XXIIII. q. in c. ecce.*

Septimo & ultimo dignus erat depoſitione, cum ſepe numero in multis negavit Concilium Conſtantienſe ex quo ipſe primatus ſui originem traxit, nunc aſſerendo, quod in principio non fuerit Concilium Generale nunc negando validitatem aliquarum Conſtitutionum ejusdem, nunc negando ejus poteſtatem & multa alia aſſerendo, ut clariſſime colligi poteſt ex ſuis litteris preſertim noviſſime ad aliquos Dominos temporales & univerſitates ſtudiorum transmiſſis. Debuit ergo Concilium tanta & tam graviſſima tolerare; non enim patientia, ſed peſtifera potius negligentia nuncupanda foret ut inquit ille magnus *Leo XXIIII. q. iij. illud* ubi inter cetera ſic inquit, his quibus non poterit prodeſſe correctio non parcat abſciſſio,

 opor-

oportet enim Evangelicis meminiſſe mandatis, ut ſi vos oculus aut pes aut dextra ſcandalizaverit, manus a compage corporis auferatur; & poſt pauca ſubdit, nam ſuperflue extra eccleſiam poſitis reſiſtimus, ſi ab his, qui intus ſunt, vulnerantur, abjicienda prorſus peſtifera hec a ſacerdotali vigore patientia eſt, que ſibi met ipſis peccatis aliorum parcendo non parcit. hec ille. & preſertim defendendum erat & eſt illud magnum & preclarum Concilium Conſtantienſe, ex quo Eccleſia Dei abjecto inveterato ſciſmate unitatem priſtinam reaſſumpſit & multa alia preclara opera edidit, que omnia non ſine magno Chriſtianitatis ſcandalo vacillarent, illius auctoritate Concilij leſa & preſertim contra peſtiferam hereſin nonnullorum Bohemorum, qui in illo Concilio dampnati fuerunt, nam poſſent illum errorem ſequentes negare auctoritatem illius Concilij ad exemplum quondam Eugenij & revolvere multa & maxima ſcandala, que per illud concilium ſedata fuere. nam ut dicit Auguſtinus in epiſtola ad Jeronymum & habetur *in c. ſi ad ſcripturas. IX. di.* ſi ad ſcripturas ſanctas admiſſa fuerint vel officioſa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis, que tandem de ſcripturis illis ſententia proferetur, cujus pondere contentioſe falſitatis conteretur improbitas. hec ille. nam ſi Concilium erravit in uno facillime dicetur quod erravit in alijs, ut ibi, defendenda eſt ergo auctoritas illius concilij usque ad ſanguinem & animam oportuit ergo ad ſalutem totius corporis eccleſie intendere, ne ſicut dicit Proſper: ſicut ca-

ro

ro morbida & mortua ſi abſciſſa non fuerit ſalutem relique carnis putredinis ſue contagione corrumpit, ita iſti, qui emendari deſpiciunt & in ſuo morbo perſiſtunt, ne ſi moribus dampnatis in bonorum ſocietate permanſerint, eos ſue predicationis exemplo interficiant *ut XXIIII. q. iij. ecce.* ⊙ Opponere contra predicta adverſarii ſolent de aliquibus proteſtationibus nomine aliquorum Principum & Prelatorum aliquorum in dicto Baſilienſi Concilio, ut illa depoſitio non fieret factis; ad quas ſi bene adverterent, defenſionis clypeum nequaquam ex eis aſſumerent; nam ante factum, antequam lex edatur licitum eſt contradicere, exceptiones veriſimiles *s*) opponere, proteſtari & ſimilia facere, ſed poſtquam lex edita eſt per univerſitatem ſeu Concilium vel majorem partem ejusdem, legi & judicio univerſitatis ſtandum eſt. ut in *c. in iſtis iiij. di.* ubi dicit tex. quod in iſtis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent, cum eas inſtituunt, tamen cum fuerint inſtitute & firmate, non licebit de iſtis judicare, ſed ſecundum ipſas. unde gloſſ. ibi colligit, quod cum Papa vult condere canones, Epiſcopi poſſunt contradicere & allegare, quod non conveniunt conſuetudini regionis vel quid ſimile. Proteſtatio enim eſt declarativa conſenſus de preſenti, quod proteſtans non conſentit, non tamen ſequitur quod contradictio aliquorum per proteſtationem expreſſam habeat impedire, quod per totum Concilium vel ma-

s) exprimere.

jorem partem licite fit, judicatur enim in Concilijs a majori parte ut *in c. ſane LXV. di.* ibi. obtineat plurimorum ſententia ſacerdotum &c. nam idem eſt reperire in omni univerſitate ut *in l. quod major. ff. ad municip. & in leg. nomination. C. de decur. li. X. & in l. aliud. §. refertur. ff. de R. I. & c. 1. de his que fiunt a præfatis. cum ſimil.* unde eſto quod Principes, quorum nomine proteſtationes dicuntur facte habuiſſent vocem deciſivam in depoſitione Pape, attamen ex quo major pars Concilij imo due partes & ultra in depoſitione legitime conſenſerunt, paucorum proteſtatio Principum vel prelatorum non debet obſiſtere. ar. *in c. ſi quando. de elec. li. VI.* licet poſſet cum veritate dici, quod principes ſeculares non habent vocem, cum agitur de correctione Pape vel aliorum prelatorum ſeu clericorum, ut Imperator Theodericus Deo inſpirante in Concilio congregato contra Simachum Papam profeſſus eſt, inquiens, nihil ad ſe preter reverentiam de Eccleſiaſticis negotijs pertinere, committens tunc poteſtati Pontificum ſive vellent audire negotium contra Papam, ſive nollent. Idem & apertius voluit *Jo. And. in c. fi. de his que fi. a prel.* ubi concludit, quod in Eccleſiaſticis negotijs & clericorum correctionibus laici ſunt a Concilio excludendi. *ar. in c. Maſſana. de elec.* & expreſſius *in extrav. Bonifac. de offi. or.* debent. & cum hoc dicto *Jo. Andr.* tranſeunt communiter ibi Doct. nec video aliquem in hoc heſitaſſe. nam reſpectu Imperatoris ſolum fuit dubietas facta, an in caſu fidei ſcilicet, cum tractatur de novo Articulo

ticulo fidem tangente Imperator debeat intereſſe in Concilio. unde *tex. in c. ubi nam XCVI. di.* Ita Imperatorem alloquitur, ubi nam legiſtis Imperatores anteceſſores veſtros ſynodalibus conventibus interfuiſſe, niſi forte in quibusdam, ubi de fide tractatum eſt, que omnium communis eſt, que non ſolum ad clericos, verum ad laicos & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos. hec ille. tex. not. qui ſolum reſervare videtur cauſam fidei. Idem videtur ſenſiſſe Martianus Imperator, qui in prima Act. Chalcedonenſis Concilij inter cetera dixit: nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam exemplo religioſiſſimi Principis Conſtantini ſinodo intereſſe voluimus ut veritate inventa non ultra pravis *t*) doctrinis a vera discordet &c. & notanda ſunt illa verba: ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam, quod etiam in caſu fidei princeps intereſt non ad potentiam oſtendendam. Ex quibus verbis puto inferendum, quod Principes & alij laici intererunt ad tractandum cum alijs ſed non ad *u*) decidendum, nam tractatus diviſus & ſeparatus eſt a deciſione ut *in c. tua. & c. fi. de his que fi. a prel.* nam laicis non licet ſibi vendicare illa ſpiritualia ut *in c. bene quidem XCVI. di.* habebunt ergo laici in cauſa fidei vocem conſultivam & non deciſivam niſi quatenus eis permittatur per Concilium, quin imo dixit Jo. An. quod etiam in cauſa fidei non eſt neceſſe laicos vocari ad Concilium cum ibidem diffinienda eis

 pote-

t) ipſis doctrinis.
u) ad dicendum.

poterunt poſtea in predicationibus publicari. dicit tamen notabile verbum, quod laici poterunt ad Concilium venire pro juſtitia petenda vel defendenda. *alleg. c. novit. de judi.* Ego allego tex. optimum *in c. 1. de ſponſ.* aliter tamen in cauſa fidei ſenſit *gloſſ. in dicto c. fi. & gloſſ. in c. Adrianus LXIII. di.* ſed quidquid ſit in alijs laicis puto quod Principes jure ſuo debent admitti, ubi tractatur de fide non ad potentiam oſtendendam ſeu ad diffiniendum, ſed ad fidem confirmandum, cum de pace Eccleſie & de ejus integritate teneantur Deo reddere rationem ut *in c. principes in fi. XXIIII. q. V.* eodem modo non curandum de proteſtationibus quorundam prelatorum, nam non eſt novum neque reprehenſibile, quod in univerſitate ſeu Concilio vota varia ſint *LXIII. di. ſi forte & c. nec novum. VIII. q. 1.* & ex diverſis conſiderationibus conſentientes & diſſentientes poſſunt ante factum juſte moveri, ſed per diſſenſum aliquorum, ex quo major pars remanet firma & legitime procedit, non debet officere minoris partis contradictio, nam jus fingit omnes conſentire, quando major pars conſentit. ut *in l. aliud. §. refertur. prealleg.* & eſt *tex. juncta gloſſ. in c. non poteſt. de re judi.* nam difficillimum & prope impoſſibile propter animorum diverſitatem que reſultat ex perſonarum varietate, quod omnes in Concilio poſſint in unam ſententiam convenire, nemine diſcrepante. nam in illo ſancto Niceno Concilio, ubi interfuerunt CCCXVIII. epiſcopi in cauſa hereſis contra *Arium*, fuerunt XVII. epiſcopi & quidem non de inferio-

ribus

ribus qui discrepantes ab aliorum judicio sense-rant cum ipso *Ario* heretico, sed tamen prevaluit judicium majoris partis & illud tanquam a tota sinodo emanasset, receptum ab Ecclesia universali fuit ut *in c. sicut &. c. canones XV. di.* nec quisquam moveri debet quod in hoc Concilio Basiliensi non fuit tantus numerus Episcoporum, quoniam ex quo Concilium fuit ibi legitime institutum ut supra dictum fuit, non venientes vel inde ante tempus recedentes fecerunt se alienos & potestas tota resedit penes remanentes ut patet ex *not. per gloss. in Cle. quo circa. de elec. fa. tex. in c. cum dilecti. de elec. & Jo. An.* apertissime voluit *in c. in causis. de elec.* ubi tenuit validum & firmum esse quod factum fuit per XXX homines in universitate de qua erant homines centum & ultra, dicens, quod ex quo universitas fuit vocata per habentem potestatem, totum jus resedit penes venientes, licet sint pauci nec attingant majorem partem vel prope. ad idem quod not. *Inno. in c. 1. de maj. & ob. & in c. ij. de nov. op. nunt.* nam in Concilio illo Niceno famosissimo convenerunt solum CCCXVIII. Episcopi & tamen non dubium quin longe plures numero remanserint in eorum Ecclesijs. Item synodus Constantinopolitana acta fuit ex CL. Patribus, synodus Ephesina ex CC. & tamen valuerunt eorum diffinitiones, quanquam major pars Prelatorum Christianitatis non interfuerit, quin imo est *tex. in c. sexta synodus. XVI. di.* ubi narratur, quam plurimas synodos generales ex paucissimis Patribus congregatas fuisse & canones edidisse; & nimi-

nimirum, nam ut dicit Cyprianus, magis ad unitatem quam ad *x*) pluralitatem Chriſtus advertit cum dixit: ubi duo vel tres in nomine meo congregati fuerint, ſum ego in medio eorum. ut habetur *in c. alienus XXIIII. q.* 1. obmitto quod multitudo numeroſa inferiorum tam prelatorum quam magiſtrorum interfuerit in dicta depoſitione; nam & tempore Apoſtolorum vocabantur etiam ſeniores de Eccleſia ultra Apoſtolos & etiam in arduis fiebant diffinitiones nomine Apoſtolorum & ſeniorum ut *Act. XV.* Item reperio quod *Leo* Papa ſynodum congregavit Rome cum cuncto clero & populo Romano ut *in c. ſynodo LXIII. di.* ubi inter cetera in diffinitione ponuntur hec verba: Ego quoque *Leo* ſervus ſervorum Dei Epiſcopus cum cuncto Clero & populo Romano conſtituimus confirmamus & corroboramus &c. ad idem *c. ad ſedem. XXXV. q. V.* ubi Papa convocavit ad Concilium Epiſcopos & clericos ac judices diverſarum Provinciarum. ad idem *c. in nomine Domini. XXIII. di.* ubi legitur Epiſcopos, Abbates, presbyteros & Diaconos interfuiſſe & conſediſſe in concilio ut *in c. convenientibus* 1. *q. VII.* probatur. Idem de monachis vel ſaltem de Abbatibus, exponendo monachos pro Abbatibus, ut exponit ibi *gloſſ.* & *in c. Anaſtaſius XIX. di.* expreſſa fit mentio de Epiſcopis & presbyteris & cunctis clericis eccleſie Catholice. & *in c.* 1. *XVI. di.* fit mentio ſpecifice; in genere de presbyteris. Item in Conſtantienſi, Senenſi & Piſano Concilijs temporibus noſtris fuerunt admiſſi

x) quam ad qualitatem.

admissi etiam inferiores, & idem vidimus ac videmus in Concilio Basiliensi. unde ex quo admissi fuerunt sive de jure sive de gratia, vocem habere debuerunt, nec potuerunt excludi nec fuerunt exclusi, quin imo videntur in possessione vocis dande, illud autem certissimum est ut ex juribus superioribus patet, quod nedum clerici inferiores sed etiam laici possunt ad Concilia convocari & eis potest vox communicari ut *in c. Adrianus ij. & in c. in synodo. LXIII. di. & in juribus alijs supra allegatis.* ex predictis autem clare patet legitime fuisse ad suspensionem & depositionem ejusdem quondam *Eugenij* per sanctam synodum Basiliensem processum & per consequens sede vacante potuit & debuit ad electionem novi Pontificis procedi. & hoc de Tertio dubio.

Ex quibus cognita nunc gestorum veritate non multitudini sed veritati adherendum est. Et presertim hoc efficere debet serenissimus Romanorum Rex, qui ut primus est inter orbis Principes & specialis protector & advocatus Ecclesie, ita debet esse primus in agnitione veritatis; non enim est hesitandum, quod eum alij facillime sequentur, cum in hac re assidue sine aliqua y) passione se ostendit. Vidimus enim fidem Christianam apud paucissimos in principio constitisse, sed quia veritate & justitia referta z) erat, dilatavit fimbrias a mari usque ad mare; & tempore Ariani paucissimi episcopi in vera fide Christiana remanserunt,

tandem

y) aliqua pactione.

z) recepta.

tandem quia Christus Ecclesiam suam non deserit, conculcato errore prevaluit veritas, que omnia superat; non aliter in hoc negotio presentis dissidij futurum speramus, quod ut cito fiat, Christus concedat. Amen.

Finis Tractatus Panormitani de Concilio Basileensi.

Premissa in effectu fuerunt proposita in *Francfordia* Maguntinensis Diocesis per Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum Dominum *Nicolaum* divina miseratione sacro sancte Romane Ecclesie tit. Basilice XII. Apostolorum presbyterum Cardinalem, *Panormitanum* vulgariter nuncupatum, sacri Basiliensis Concilij legatum, in presentia oratorum serenissimi Principis Domini *Friderici* de Domo Austrie Romanorum Regis & Dominorum sacri Romani Imperij Electorum videlicet Dominorum Episcopi Augustensis, Episcopi Chimensis, Marchionis de Rotelen & ceterorum per dictos Regem & Electores &c. deputatorum de Mense Junij Anno Domini MCCCCXLII°.